PRÆCIPVÆ QVAESTIONES LOGICALES.


PIETATE ET
LABORE.
PRÆCIPVÆ QVÆSTIONES
LOGICÆ
Adm. Reuē. Patris Francisci Ros.
Ordinis Minim. Sacrę Theologię
Lectoris · Iubilati
IHS
CHA
RI
TAS
MAR

PRÆCIPVÆ QVAESTIONES,

QVÆ A MODERNIS

Exagitantur in Logicam Aristotelis; vnà cum introductione ad easdem.

AVCTORE ADM. R. P. FRANCISCO ROS HISPANO Perpinianense Ord. Minim. S. Francisci de Paula Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM

IOANNEM AVSTRIACVM

Filium MAGNI PHILIPPI IV. Hispaniarum, atque Indiarum Potentissimi Regis.

CVM DVPLICI INDICE LOCVPLETISSIMO.

BERGOMI,

Typis Marci Antonij Rubei. M. DC. LIV.

Superiorum permissu.

SERENISSIMO PRINCIPI

D. IOANNI AVSTRIACO

PHILIPPI IV. CATHOLICI MONARCHÆ FILIO,

Eidemq; à Supremis Consilijs, omnium Maritimarum Classium Imperatori, Magno Castellæ Priori, Catalonjæ Proregi, &c.

FR. FRANCISCVS ROS MINIMVS, Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus,

Salutem, & felicitatem perpetuam precatur.

MAGNANIMO quondam Persarum Regi belli æstibus adhuc calenti gratissimum accidit munus aquarum, quas haustas è proximo flumine manibus concauis popularis Persa in obsequium obtulerat, Te quoque speraui S.P. has qualescumque è Philosophico flumine lymphas deriuatas, meisq; auctas sudoribus, dum, etiamnum triumphali

perduellium sanguinis siti ardescis, non aspernaturum. Grati animi ne dedigneris ingenium, cui superi genium concessere de omnibus triumphandi, vt in omnes conferas beneficia. Post diuturnum Patriæ exilium Barcinonem repetere nefas duxi, ni Patriæ liberatori grates in munere retulissem. Sponte à rebelli solo indignatus abieram, & in Italiam profugus vix sui compotem mentem abduxeram, altas animi curas beneficio scientiarum premere conatus, nec alius reditum vnquàm suasisset, quam tua propè diuinæ virtutis triumphus. Qua enim luce oculi patriam reuisissent, dum nescio quo nostro miseriarum fato bellica nubila Hesperij solis vultum obduxerant? Post hostium sanguinis imbres te duce serenum arrisit. Scelus eßet tuam non experiri clementiam, quandoquidem ira etiam tua felices nos reddidisti. Perieramus ni vincebamur, quando te Victorem fata decreuerant. Tu prius Oceani vndas armatis classibus frænasti Xersis in morem; ingentiq; exercitu famem vna, & rebellionem incluseras, quibus hostium tui Regis viscera discerperentur. Pertinaci timore omnia tentarunt, ne humanitatem tuam sentirent; qui se nimium iram prouocasse cognouerant. Iuisti, circumtulisti Hispani solis Aquilas, denique pugnauisti: multis sponte arma ceciderunt, multis excussa sunt,

aman-

amantibus illis te Victorem, formidantibus istis vltorem. Prudentia tua veluti alterius sibillæ ductu ferrea licet in sylua triumphalem lauream nactus es, hoc est aurei pratium rami, quo gratum salutis Elysium aperuisti. Quantum supra nostra vota elata vis tua fuit? quæ Cadmi seminibus potentior ex persulcatis perduellijs membris, veluti ex prædio mortis, viuam pacis messem progerminasti, & homines protulisti in hostes dumtaxat armatos? nonne tu Alexandro felicior inextricabiles malorum nexus salutari ictu ferri dissoluisti? Quod si tu solus nostræ libertatis vindex futurus eras, si in Patriæ pernicie tuæ gloriæ basis erigenda, rebellionem minime damno; tot enim in malorum mercedem tui triumphi minimè arrident. Et quoniam Cælum ijs moribus tuam indolem finxit, ijs casibus pueritiam erudijt, tot fatis, tot hostibus exercitus es, videtur Hispania omnia summa à te expectare. Præuenisti annos victorijs, cum Italiæ prius in scena Neapolim penè euersam erexisti, musicasq; parthenopis aures tympanorum fragore liberasti. Catalonia amat Victorem, Lusitania timet vltorem, & Perpiniani, ex qua vrbe originem me traxisse confiteor, spero me tibi grates quàm citissime relaturum. Interim feliciter viue, & vale.

Bergomi die 7. Septembris 1654.

AD

AD LECTOREM.

CVM duodecim annos A. L. in Philosophia, & Sacra Theologia explicanda consumpsissem, totoque illo tempore cum aliquibus Philosophis Platonicis, Pytagoricis, Peripateticis, cumq; alijs diuersarum Sectarum versatus essem, statui tandem summo studio omnes illas sectas diligenti trutina perpendere. Perpendi quidem, & in omnibus illis grauia multa, multaque leuia inueni; non nilque veritatis immixtum falsitati. Quem sequerer penitus ignorabam. Adhuc tamen dubiè cogitanti occurrit mihi Potamus ille Alexandrinus electinorum Princeps, & eius secta, cuius præcipuum dogma est; quod sola veritas est quærenda non mediatè per Philosophorum sententias, (auctoritas Philosophorum non potest generare scientiam, sed fidem humanam, vel ad summum opinionem, cum inter locos topicos connumeretur) sed immediatè per sua principia; vtpotè quod nullus fuit

vel Homerus Philosophus, qui non quandoque dormitauerit. Dogma hoc semel, ac iterum examinaui, nec à veritate longius, nè latum quidem vnguem abire comperi. Quapropter statim electinus factus in via electinorum introductionem ad apicem verorum scripsi Philosophorum, vbi multa arcana equitum tabulæ smaragdinæ non affectantibus auctoritatem alicuius Philosophi propono. Cuius primum Tomum hoc anno in lucem edere existimaui, at cum vidissem in introductione ad Logicam, quam anno 1642. legeram typis me inscio tradita à meis discipulis, confusa multa, & alia incorrecta reperiri coactus fui eam perficere, & perfectam tradere excudendam. De hoc non ignari quidam mei familiarissimi totis animi sensibus me rogauerunt, vt vna cum illa Dialecticam typis mandarem. Ego verò, qui Logicam in via electinorum non scripsi; sed tantùm in via Peripatetica nullatenus votis eorum satisfacere volebam, ne postea ex dictis in Logica, quis in Philosophia me redargueret Aristarcus. Multum tamen rogatus, quæ à Modernis solent exagitari, præcipuas quæstiones in octo disputationes disposui primam, & vltimam in septem quæstiones distribui; secundam verò, & penultimam in octo, & reliquas quatuor in varias partitus sum sectiones, & vnamquamque ex istis in diuersas quæstiones, in quibus non multum

discedo

diſcedo à Peripatetica doctrina, quas ſi æquo animo ſuſceperis, anno immediatè ſequenti introductionem Philoſophicam ſupradictam, ex occulta Philoſophia tibi quoque aperiam. In qua, ſi quid bonum inuenies lauda D. O. M. à quo eſt omne bonum; ſi quid diſſonum agnoſces, meæ ignoſcens tribue imbecillitati. Vale.

NOS

NOS F. Balthasar d'Auila totius Ordinis Minimorum humilis Generalis: Dilecto nobis in Christo Reu. Adm. Patri Francisco Ros eiusdem instituti Sacerdoti Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Lectori emerito, salutem.

Vt opera tua cunctis prodesse valeant, vtilis doctrinæ copiam continentia, facultatem tibi prædicto Reu. Adm. Patri concedimus, Typis mandandi librum à te compositum, cui titulus est, *Præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis exagitantur in Logicam, vnà cum introductione ad easdem*, modò priùs à duobus Ordinis Nostri Theologis per Reu. Adm. Patrem nostræ Venetiarum Prouinciæ Prouincialem deligendis legatur, & approbetur.

Dat. Neapoli hac luce secunda Februarij, Anni 1653.

F. Balthasar d'Auila Generalis Minimorum.

FRater Ignatius Verigola sacri Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in Prouincia Veneta Minimus Corrector Prouincialis.

Cùm per Reuer. Patres Theologos à nobis deputatos atteſtationes habuerimus: opus cuius titulus est: *Præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis exagitantur in Logicam, vnà cum introductione ad easdem*, compositum à Reu. Patre Francisco Ros Nostri Ordinis Minimorum Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, nihil contra fidem, aut bonos mores continere: imò perutile ipsum existimare; ideò licentiam eidem concedimus, vt in lucem detur, ac Typis mandetur. In quorum fidem, &c. Dat. Venetijs hac die 15. Iunij anni 1653.

F. Ignatius Verigola Minimus Corrector Prouincialis.

LIbrum cuius titulus est, *Præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis exagitantur in Logicam, vnà cum introductione ad easdem*, compositum à Reu. Patre Francisco Ros Ordinis Nostri Minimorum Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, vidi ego infrascriptus perlegi, & examinaui, de mandato Adm. Reu. Patris Ignatij Verigolæ Nostræ Venetæ Prouinciæ Prouincialis, nec quicquam in eo reperi, quod aut sacræ fidei, aut bonis moribus repugnet; ideò vt Typis detur dignum censeo. In quorum, &c. Dat. in Conuentu Veronæ S. Francisci de Paula hac die prima mensis Iunij Anno 1653.

F. Thomas Curtus Sac. Theol. Professor, & collega Prouincialis.

DE

De mandato Adm. Reu. Patris Ignatij Verigolæ huius Prouinciæ Venetæ Prouincialis librum à Reu. Patre Francisco Ros instituti Nostri Minimorum Sacræ Theol. Lectori Iubilato inscriptum, *Præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis exagitantur in Logicam, vnà cum introductione ad easdem*, ea qua potui diligentia perlegi, & attentè consideraui ego infrascriptus, nihilq; in eo inueni, quod Catholicæ fidei sit contrarium, vel quod moribus non sit consonum, ac consentaneum. Itaque opus iudico dignissimum, quod Typis mandetur ad plurimorum vtilitatem; In quorum, &c.

Dat. Venetijs in nostro S. Bartholomæi Conuentu die 8. Iunij 1653.

F. Isidorus de Sanctis Theol. & in Conuentu Venetiarum Minimus Corrector.

De mandato Reuerendiss. Patris Mag. Vincentij Mariæ Raualli Inquisitoris Generalis Bergomi vidi ego infrascriptus, & diligenter, attenteque perlegi opus Logicale Adm. Reuer. Patris Francisci Ros Hispani Perpinian. Ord. Minimorum S. T. Lectoris Iubilati, quod inscribitur: *Præcipua Quæstiones, quæ à Modernis exagitantur in Logica auctore &c.* Et cum nihil offenderim à Fide Catholica, recta SS. Patrum doctrina, vel bonis moribus dissonum, imò omnia doctè, luculentèr, & solidè digesta inuenerim, atque ideo digna, quod in studiosorum emolumentum Typis demandentur; propterea censeo valde vtile fore, quod publicam lucem videat. In quorum fidem &c.

Dat. In Conuentu S. Augustini Bergomi die 3. Septembris Anni 1654.

F. Donatus Caluus Bergomen. Prior Augustinianus Congr. Lomb. S. T. Lect. & S. Off. Consultor.

Visa suprascripta approbatione

Imprimatur.

Fr. Vincentius Maria de Bononia Ord. Præd. Inquisitor Generalis Bergomi.

IN-

INTRODVCTIO
AD QVAESTIONES LOGICALES,

NE insolitus animus ad varias capescendas difficultates terreatur, præmittitur hæc introductio, in qua facili stilo traduntur ea, quæ ad assuescendos animos ad percipiendas arduas difficultates Logicales, existimantur necessaria, quæ claritatis gratia in tres diuidam libros, seu partes: Ne terreatur, inquam, si quas voces tàm in hac introductione, quàm in tota Philosophia apud Grammaticos audierit inusitatas, memor illius Diui Augustini 4. de Doct. Christ. cap. 11. scilicet: Quid obest clauis lignea, si per eam id, quod volumus aperire licet? *Decreui veritatem anteponere omni auctoritati humanæ, consilio acrepto ab Aristotele 1. Ethicorum, cap. 6. dicente:* Oportere, vt Philosophus pro veritatis salute sua propria refutet, nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere. *At si sanctum est veritatem anteponere proprijs placitis; Sanctum imò sanctissimum quoque erit eandem anteponere placitis omnium hominum.*

LIBER PRIMVS. DE TERMINIS.

CVM ars, teste Aristotele 1. Physic. cap. 3. imitetur naturam, & hæc in suis operationibus sæpè progrediatur à simplicioribus ad composita; ideò in hoc primo Libro de Terminis, qui sunt simpliciores omnibus, de quibus in hac introductione agemus, sermonem instituimus, & ideò sit.

SECTIO I.

De operationibus intellectus.

QVIA omnia, quæ in Logica tractantur, specialiter ordinantur ad dirigendas operationes mētis; ideo visum est non esse abs re in hac prima sectione, introductiuo modo, quid, & quot sint operationes mentis explicare; nam ex professo de illis agere, pręsens superat institutum, & ideo:

Sciendum est, quod mens humana, quæ oculus animæ dicitur: vt ex Arist. prim. prior. cap. 1. colligitur, tres habet operationes; per quod valdè assimilatur naturæ, vt egregiè docet D. Thom. prim. poster. lect. 1. scilicet simplex apprehensio; compositio; & diuisio; & discursus illatiuus, quarum duæ priores sunt operationes mētis quatenus intellect⁹: tertia verò quatenus ratio; vt ex eodē Arist. 3. de anim. tex. 2. deducitur.

2 Supposito vt certū, quod operatio mētis nostræ est actio spiritualis repręsentans obiectum perceptū sensibus elicita à mente. Simplex apprehensio, vel simplicium apprehensio est operatio intellectus, per quam simpliciter cognoscimus aliquam rem, idest non affirmando, neq; negando de illa, sed solū illam contemplando; v. g. Si quis simpliciter cognoscit hominē, actus intellectus, per quem hoc facit, dicitur prima operatio intellectus; & si per talem cognitionem solùm confusè hominem cognoscat, hoc est, non cognitis distinctè partibus essentialibus illius, talis cognitio simplex apprehensio vocatur; si autem per talē cognitionem distinctè hominē cognoscat, idest cognitis distinctè partibus essentialibus illius, tunc talis cognitio simplicium apprehensio, seu indiuisibiliū intellectio dicitur; quia per ipsam cognoscimus attributa simplicia, & indiuisibilia.

Notandum tamen est, quod res, quæ cognoscitur per primā operationem mentis, non est necesse, vt sit simplex, sed potest esse composita; dummodò de illa nihil affirmemus, vel negemus: v. g. quando cōcipimus hanc propositionem? an detur materia prima, per modū cuiusdam interrogationis, vel dubitationis, nihil de ipsa iudicando. Vnde dicit Comptonus in Logica disp. 6. sect. 1. quod prima operatio intellectus est duplex; vna cōplexa, & alia incomplexa: Per primam rem simplicem apprehendere dicit, & per secundam compositam.

3 Et tandem notandum est, quod si conceptus intellectus non est resolubilis in plures conceptus: vt cōceptus entis, & vltimæ differentiæ, dicitur conceptus simpliciter simplex: si autem potest in alios resolui, vt conceptus hominis, &c. dicitur simplex, nō tñ simpliciter simplex.

Compositio, & diuisio est operatio intellectus, per quā de re apprehensa aliquid affirmamus, vel negamus, & si per ipsam aliquid de alio affirmamus, dicitur compositio, si autem aliquid negamus, dicitur diuisio: v. g. si de homine simpliciter apprehenso affirmemus, quod sit risibilis; actus intellectus, per quē hoc facimus, dicitur secunda operatio intellectus, & compositio; idem ferè contingit, si de ipso negamus, quod

sit hinnibilis, sed tũc ille actus intellectus, per quem hoc facimus non compositio, sed diuisio dicitur. Et meritò talis operatio secunda dicitur, cum primam præsupponat.

4 Hic tamen est notãdum ex Io. de S.Thom.tom. 2. in pr.par. D.Th. disp.2.art.3. n.11. Quod secũda operatio intellectus, seu compositio, & diuisio est duplex: Vna est compositio, & diuisio apprehensiua, & alia compositio, & diuisio iudicatiua. Prima est ille actus intellectus, per quem enunciationes tàm affirmatiuas, quàm negatiuas formamus: Secunda verò est ille actus intellectus, per quem iudicamus, ita esse in re, sicut per enũciationes tàm affirmatiuas, quàm negatiuas enunciatur. Quod ex professo, & satis pulchrè prædictus Doctor ibidem probat.

Discursus illatiuus, seu formalis ratiocinatio est operatio intellect9, per quem de rebus iudicatis aliquid deducimus: v. g. si ex hoc, quod de homine affirmauimus, quod sit animal, deducimus, ergo homo est sentiens; talis actus intellectus, per quẽ hoc facimus, tertia operatio intellectus, discursus illatiuus, & formalis ratiocinatio dicitur. Idem aduenit, si ex hoc, quod de ipso negauimus, quod sit hinnibilis, deducimus ergo homo non est equus. Quæ operatio, quia præsupponit secundam, rectè tertia vocatur.

5 Notãdum tamen est, quod notanter dixi, quod tertia operatio intellectus dicitur discursus illatiuus; quia vt benè aduertit Martinon. to. 1. disp. theol. disp. 4. sect. 3. duplex est discursus: Vnus secundùm successionem, & alius secundùm causalitatem, seu illationem. Primus est simplex successio plurium actuum intellectus, qui in triplici operatione intellectus reperiri potest, vt de se patet: Secundus verò est cùrsus mẽtis à notis ad ignota deducta per illationem ex illis; qui solùm ad tertiam operationem intellectus spectat, vt ex supradictis constat. Hoc etiam notauit Flandria 12. metaph. quæst. 8. art. 3. ex D. Tho. pri. parte quæst. 15. artic. 7.

6 Tandem notandum est, quod non casu dixi, quod tertia operatio intellectus dr̃ formalis ratiocinatio; quia vt notauit Eminentiss. Ioannes de Lugo in tract. de Incarnat. disp. 20. sect. 6. num. 76. & P. Franciscus item de Lugo in pri. par. lib. 3. disp. 14. cap. 3. discursus alius est virtualis, & alius formalis. Primus est vnicus actus intellectus cognoscens simul vnam veritatem propter aliam; vt cũ vnico actu iudicamus hominẽ esse risibilem, quia est rationalis; vel cũ credimus Tobiam habuisse canẽ, quia Deus dixit: Formalis verò est, qui constat pluribus cognitionibus realiter, & quarum vna infertur ex alia, & hic est, de quo agimus, & quem definiuimus.

SECTIO II.
De essentia Terminorum.

7 CVm prima operatio intellectus alias pręcedat; ideò de his, quæ conducunt ad illam dirigẽdam, primo loco est agendum, inter quæ cum non infimum locũ teneat cognitio terminorum; ideò quid ipse sit in hac sectione explicabimus. Pro quo

Sciendum est primò, quod termi-

nus in communi ita ab Arist. (teste Toleto hic) describitur: *Terminus est extremum alicuius rei, vel corporis, intra quod omnia eiusdem rei sunt, & extra quod nihil illius rei est*: v. g. duo extrema puncta vnius lineę dicuntur termini illius, quia talis linea non habet vllã partem extra illa, & omnes partes ipsius lineæ intra ea continentur.

8 Sciendum est secundò, quòd terminus logicus ita definitur: Terminus logicus est extremũ propositionis. Quæ definitio est bona, & suo modo essẽtialis, vt probat Murcia de la Lana hic, disput. 1. quæst. 2. In qua extremũ ponitur loco generis: nam per extremũ conuenit terminus logicus cum extremitatibus lineæ, à quibus differt per ly propositionis: vnde ly propositionis ponitur vt differentia in tali definitione.

9 Sciendũ est tertiò, quòd sicut in vnaquaque linea duo termini inueniũtur, ita in vnaquaq; propositione duo extrema, seu termini requiruntur; qui, vt ex definitione termini ab Arist. tradita primo priorum cap. 1. apertè colligitur, tãtum sunt subiectum, & prædicatum illius. Subiectũ autem in propositione ille terminus dicitur, de quo aliius affirmatur, vel negatur: Prædicatum vero ille, qui de alio affirmatur, vel negatur. Cũm prædicare nihil aliud sit, quàm affirmare, vel negare vnũ de alio; v.g. in hac propositione homo est animal inueniũtur duo termini, scil. homo, & animal, ex quibus homo est subiectum, & animal prædicatum: & ly est, vnio, vinculum, seu copula terminorum dicitur. Vnde idem est dicere, terminũ esse extremum propositionis, ac dicere, terminũ esse integram partem propositionis; nam subiectum, & prædicatũ sunt integrę partes propositionis.

10 Ex quibus colligitur primò, quod malè terminum definiunt illi, qui dicunt esse signum ponibile in propositione, cum sub illa comprehendatur verbum, prout verbum, cum tamen sub hac ratione termini naturã participare non valeat. Quod patet ex Arist. loco cit. vbi ait: *Quod terminus est id, in quod resoluitur propositio*: sed totum solum in partes, & non in vnionem earum resoluitur, ergo licet verbum prout verbum sit signũ ponibile in propositione, non est tamen terminus: quidquid dicat Thomas Compton disp. 1. introd. sect. 3.

Est etiam mala hęc definitio, quatenus à ratione termini voces non significantes, vt blictiri excludit, quę cum possint esse subiectum alicuius propositionis (vt patet cum dicimus blictiri est vox) & per consequens sint extrema, seu integrę partes propositionis, non inuenio aliquam rationẽ, cur termini dici nõ debeant.

11 Colligitur secundò voces nõ significatiuas terminos esse, quia sũt extrema, seu integræ partes propositionis; propter quam rationem etiam litteræ absolutè sumptæ termini sunt, vt patet cum dicimus, A est littera: B non est dictio; nam in his enũciationibus prędictis litteris formaliter cõuenit essentia termini, cum formaliter eis conueniat supponi materialiter; suppositio autem materialis est vna ex proprietatibus terminorum, vt ab omnibus est receptum, quæ formaliter nõ conueniunt nisi illis, quibus formaliter essentia termini conuenit.

Vnde

11 Vnde omne, quod erit subiectũ, vel prædicatum, prout sic, erit verè terminus, siuè litera, siue dictio, siuè vox significatiua, siuè non, siuè vna, siuè plures, vt homo alb' est disgregatiuus visus, siuè propositio, siuè non, vt Petrum esse hominem est necesse, siuè sylogismus, siuè non, vt omne totum est maius sua parte, sed homo est totũ, & caput est pars, ergo homo est maior capite, est bonus sylogismus; quia non implicat idem sub diuersa ratione esse totũ, & partem, vt patet de domo, quæ in se est quoddam totum; respectu autem ciuitatis est pars. De quo videri potest citatus Comptonius.

SECTIO III.

Vtrum voces extra propositionem sint termini.

12 VT natura termini magis pateat, & proprietates eius melius percipiantur, præsens difficultas excitatur, cuius sensus est, an ad hoc, vt aliqua vox verè, & propriè dicatur terminus sufficiat potentia, quam habet ad componẽdum propositionem, vel requiratur, quod actu illam componat; ad cuius solutionem. Sit conclusio: Non sufficit in vocibus potentia, quam habent, ad componendum propositionem; sed requiritur, quod actu componãt illã ad hoc, vt propriè dicantur termini; & ideò extra propositionem non sunt propriè termini. Hanc tenet noster Lalemandet, hic, partitione prima.

Probatur primò cum Complutensibus hic hoc idem defendentibus. Terminus ex Arist. loco cit. est id, in quod resoluitur propositio, sed propositio solùm potest resolui in hoc, ex quo actu componitur, sicut & quodlibet aliud totum, ergo cum propositio actu nõ componatur ex vocibus, vt sunt extra illam, consequens est, vt voces extra propositionẽ propriè non sint termini.

13 Probatur secũdo sicut ad hoc, vt aliqua vox, v. g. blictri propriè sit nomen, non sufficit potentia, quam habet ad hoc, vt assumatur ad aliquid ex instituto significandum, sed requiritur quod actu assumpta sit ad aliquid significandum, ita ad hoc vt eadem vox propriè sit terminus, nõ sufficit potentia ad terminandum propositionẽ, sed requiritur, quod actu illam terminet, seu componat, ergo cum hoc non conueniat vocibus prout sunt extra propositionẽ, non possunt, prout sic, propriè termini appellari. Antecedens patet ex definitione nominis ab Arist. tradita, infra adducenda. Consequentia etiam est manifesta ex paritate rationis.

Probatur tertiò, si voces extra propositionem essent termini, vnus & idem terminus simul esset subiectum, & prædicatum, cum vna, & eadem vox extra propositionem sit indifferens, & in potentia ad vtrumque, sed hoc omnino repugnat, cũ terminus diuidatur diuisione generis in species, in subiectum, & prædicatum; vt infrà videbimus, ergo voces extra propositionem non sunt termini. Probatur tandem: Proprietates terminorum, vt sunt suppositio, ampliatio, &c. non conueniunt vocibus prout sunt extra propositionem, ergo neque essentia termini prout sic illis conuenit. Patet cõ-

sequentia, quia passio, & essentia sunt termini conuertibiles.

14 Confirmatur ex Amico, qui etiam est in nostra sent. lib. 1. prior tract. 23. qu. 5. dubit. 2. verbū Sum, es, est, non est copula terminorum extra propositionem, ergo neque aliç voces sunt termini extra propositionem. Antecedens patet: tum ex se; tùm etiam ex infrà dicendis sect. 8. Consequentia verò ex paritate rationis est manifesta.

Dices contra primò cum Compt. loc. cit. contrariū sentientib⁹: Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem iuxta cōmune dialecticorum axioma, ergo ad hoc vt voces sint termini, non est necesse, vt actu terminent propositionem; sed sufficit potentia ad illam terminandam, sed voces habēt talem potentiam extra propositionem, ergo extra illam sunt termini.

15 Respondetur ad antecedens: Quod illud axioma non habet locū in definitionibus illarum rerum, in quibus actus est de earum essentia, vt patet in definitione entis rationis, quæ communiter circumfertur, & in definitione nominis; & ideo cum actu componere propositionē, seu esse actu extremū illi⁹ sit de essentia termini propter rationes supra traditas; ideo verba in definitione illius non aptitudinem, sed actum dicunt.

Dices secundò cum Ioanne de S. Thom. contrarium sentiente. 1. par. logicæ, quæst. 1. art. 3. Actualis essentia termini est esse partem propositionis, sed essentia partis consistit in hoc, quod sit compositiua totius, nō verò in hoc, quod actu componat, ergo cum voces extra propositionē sint cōpositiuæ propositionis, prout sic sunt verè termini. Minor patet, quia anima rationalis etiam separata est pars, licet actu non componat; & idem apparet in partibus rerum artificialiū, vt in partibus cathedræ, quæ actu sunt partes, etiamsi actu non componant.

16 Resp. distinguendo minorem: Essentia partis consistit in hoc, quod sit compositiua totius, non verò quod actu componat: essentia partis totius naturalis concedo: essentia partis totius artificialis nego. Vndè ad probationem cōcedenda est prima pars, negāda verò vltima. Cuius ratio est, quia partes totius artificialis: v. g. cathedræ (vt ne ab exemplo illius discedamus) separatæ propriè non dicunt ordinem ad cathedram, cum naturaliter non solum possint esse partes cathedræ, sed etiā scamni, &c. At verò partes totius naturalis separatæ, v. g hominis, vt anima rationalis propriè dicit ordinem ad hominem, quia solum naturaliter potest esse pars hominis; & ideò istæ partes, ratione talis ordinis separatæ, sunt propriè partes: Cum autem propositio sit quoddam totū artificiale, eius partes extra illam nō retinent propriè rationem partis.

17 Sed instabis ex Mastrio contrarium nostræ conclusionis etiam sustinente. 1. par. instit. tract. 1. cap. 1. in nominibus substantiuis nō reperitur extra propositionem ea repugnantia, quæ reperitur in aduerbijs, cōiunctionibus, & similibus, ad hoc vt actu terminent propositionem, ergo ob talem non repugnantiam nomina substantiua sunt verè termini extra propositionem.

Resp.

Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam: Tum propter supradicta, tum etiam quia talis nō repugnantia est ad diuersas species terminorum; nihil .n. potest simul in diuersis speciebus contineri.

18 Dices tandem cum Pontio, qui etiam est in contraria sententia in Logica parua cap. 1. quod: hæc quæstio est de nomine, & paruæ vtilitatis, & res parui pōderis; nam iuxta cōmunem vsū loquendi Doctorū, homo, nō cōsiderādo ipsum in nulla propositione vocatur terminus categorematicus, & vel, syncategorematicus, &c. ergo ad hoc vt aliquid dicatur terminus non requiritur, quod actu terminet, seu constituat propositionem.

Resp. Quod ego non reperio istā quæstionem de nomine, neque ita paruæ vtilitatis, vt facit Pontius, an fallar nescio: me autem submitto iudicio prudentium lectorum, qui lecta tota hac sectione facilè hoc iudicare possunt. Ad argumentum autem dico, quod in hac re vtēdum est consilio Arist. 1. topic. dicentis; *Quod loquendum est cum multis; sentiendum verò cum paucioribus.*

SECTIO IV.
Quotuplex sit terminus.

19 QVia, vt dixi sectione secūda; Terminus est extremū propositionis; ideò tot modis sumitur terminus, quot propositio: Cum autem propositio tripliciter ab omnibus sumatur, scilicet prout est scripta; & sic dicitur propositio scripta, & prout ore profertur, & sic dicitur propositio vocalis; & tandē prout est in mēte, & sic dicitur propositio mentalis: ita etiam terminus tripliciter sumitur, scilicet prout est extremum propositionis vocalis; & sic dicitur termin⁹ vocalis: & prout est extremum propositionis scriptę; & sic dicitur terminus scriptus, & tandem prout est extremū propositionis mentalis; & sic dicitur terminus mentalis.

Explicatis varijs acceptionibus termini, restat solum vt ad eius diuisiones veniamus. Diuiditur igitur terminus primò in subiectū, & prędicatum, quid autem vterq; sit iam explicauimus sectione secunda; quę diuisio est generis in species, vt benè notant Complutenses hìc lib. 1. cap. 3. Quidquid dicat Ioannes à S. Thom. 1. part. logicæ, quæst. 1. art. 6.

20 Licet varia de scripturis ab aliquibus tradantur, præcipuè à nostro Lalemandet disp. 7. logicæ, part. 2. tamen quia hoc potius est negotiū Grammaticum, quam Logicum libenter omittimus; & ideò accedimus ad diuisiones aliorum, & primò ad diuisiones termini mentalis, seu potius ad diuisiones cognitionis rerū, quæ ab intellectu vt termini alicuius propositionis assumi possunt.

Primò ergo terminus mentalis modo prædicto acceptus diuiditur in vltimatū, & non vltimatum. Terminus, seu potius cōceptus mentis vltimatus est ille, per quem rem significatam per aliquam vocem cōcipimus; qui vltimatus dicitur; quia ibi sistit cognoscitiua potentia, seu quia non ordinatur ad aliud: Non vltimatus verò est ille, per quem aliquam vocem concipimus; qui non vltimatus dicitur, quia ibi non sistit cognoscitiua potentia, sed transit ad

ipſam rem: v.g. cum concipimus aliquam vocem, cuius ſignificatum ignoramus. Et notandum eſt, quod conceptus vocum non ſignificatiuarum vocantur vltimati, quia non ordinantur ad aliud.

21 Secundò terminus mentalis, ſeù conceptus potentiæ cognoſcitiuæ, diuiditur in directum, & reflexũ. Directus eſt ille, per quem aliquam rem diſtinctam ab actu eiuſdem potentiæ cognoſcimus. Reflexus verò eſt ille per quem quis ſuam præcedentem cognitionem cognoſcit: v.g. cum Petrus cognoſcit, ſe Paulum cognouiſſe.

Tandem cognitio terminorũ alia eſt intuitiua, & alia abſtractiua. Prima eſt cognitio rei exiſtentis prout eſt in ſe. Secunda verò eſt cognitio rei non exiſtentis. Et nota, quod aliquæ ex illis cognitionibus nõ ſolùm in intellectu reperiuntur; ſed etiam in ſenſibus, & conſequenter non ſolũ inter animalia conueniunt homini; ſed etiam pluribus brutis.

22 Ex quo cõſtat, quod malè noſter Lalemandet in apparatu part. 2. aſſentitur Mendozæ diſp. 1. ſect. 3. reprehendenti Sotũ hìc c. 6. ſect. 1. dicentem: Quod terminus mentalis non ſolùm in homine, ſed etiam in brutis reperitur. Quid .n. verius dici potuit? Nonnè viſio, per quam equus vidit ſtabularium ei occurrẽtem eſt cognitio vltimata, directa, & intuitiua? Nec ratio ab illis adducta aliquid probat, quia hoc, quod Lalemãdet adduxit, ſcilicet quod terminus mentalis eſt pars propoſitionis mentalis, falſum eſt: Nam vt ipſe dicit in principio paragraphi ſuperioris. Terminus mentalis, de quo agit, dicitur conceptus mentis formalis, Aliquis .n. conceptus mentis formalis non eſt pars propoſitionis, cum propoſitio mentalis ſit formaliter ſimplex qualitas, vt ipſe etiam in logica oſtendit diſput. 7. partit. 4.

Ad id autẽ, quod dicit Hurtadus ſcilicet, quod pręter intellectũ nulla potentia cognoſcitiua format propoſitiones, ergo neq; habet terminos. Reſpondeo, tranſeat antecedens, de quo dicemus diſputatione ſecunda logicæ, & nego cõſequentiam, quia hìc pro habere terminos ſolùm ab omnibus intelligitur, cognoſcere res, quæ ab intellectu aſſumi poſſunt vt termini, ad quod non eſt neceſſe poſſe formare propoſitiones, vt de ſe patet.

23 Aliæ diuiſiones termini mentalis ab aliquibus tradũtur, attamen quia hoc potius eſt negotium animaſticum, quam logicum, libenter nunc omittimus, relinquendo ad proprium locum, & indè ad diuiſiones termini vocalis venientes dicimus: Quod terminus vocalis primò diuiditur in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum: vt autem præſens diuiſio perfectè intelligatur, breuiter prius ſciendum eſt, quid ſit ſignificare, & quid, & quotuplex ſit ſignũ: nam ex profeſſo alibi, Deo dante, de hoc agemus, pro quo ſit.

SECTIO V.

Quid, & quotuplex ſit ſignum.

24 CVm ſignificare nihil aliud ſit, quam potentiæ cognoſcitiuæ aliud à ſe diſtinctum repręſentare; ideò ſignum eſt id, quod aliud à ſe diſtinctum repręſentat: v.g. veſtigium animalis in via ſignificat, animal

mal transisse inde. Primò, signũ diuiditur in formale,& instrumentale: Formale est illud,quod nulla prænia cognitione sui potentiæ cognoscitiuæ aliud à se diuersum repræsentat: v.g. species impressa,& expressa proprij obiecti: Instrumentale verò signum est illud, quod præsupposita cognitione sui aliud à se distinctum repręsentat, v.g. Imago Sanctiss. P. N. Francisci de Paula, quia per cognitionem illius venimus ad cognitionem ipsius Sancti P. Francisci, & hoc signum est, quod definiuit D. August. 11. de Doct. Christ. cap. 1. dicens: *Signum est,quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*, & clarius libro de principijs Dialecticæ cap. 5. dicens: *Signum est,quod se ipsum sensui, & præter se aliud animo repręsẽtat*;quod propriè, & simpliciter dicitur signum. Obiectiones Pontij disp. 19. logicæ,qu. 1. cõtra primam ex his definitionibus vide solutas à Mastrio 1. p. suarũ instit. tract. 1. c. 2. secundæ editionis.

25 Attamen hic nõ est prętereũdũ, ꝙ M. Ant. Gallitius, qui primus in viam D. Bonauenturæ scribit in phylosophia. In Summa totius Dialecticæ lib. 1. tract. 3. cap. 3. reprehendit Fonsecam lib. 1. cap. 8. Dialecticarum instit. in hoc,quod malè assignat discrimen inter signũ formale,& instrumentale. At cum vidissem Fonsecam loc. cit. non differre à doctrina supra tradita, dum tradit prædictũ discrimen, stupefactus manerem videndo, talem calumniã illatã esse doctissimo viro inter P.P. societatis non infimum locum tenenti,nisi prius legissem exhortationem ad lectorem eiusdẽ Auctoris, vbi vidi ipsum esse ex illis, qui missi sunt in mundum,nõ ad componendos libros, sed ad prædicationis munus exercendum; licet hoc mihi, Hispanus cum sim, quousq; veni in Italiam, non constitit, quamuis illic conuersatus sim in plurimis Ciuitatibus cum multis Indianis.

Nota quod id, quod est signũ formale respectu vnius, potest esse signum instrumentale respectu alterius; v.g. cognitio, per quam ego cognosco Petrum, est mihi signum formale Petri, Angelo verò cognoscenti talem cognitionem est ei signum instrumentale Petri.

26 Vnde tàm signum formale, quàm instrumentale aliud est sensibile, & aliud insensibile: v.g. visio corporea,per quam video Petrum, est signum formale sensibile Petri: cognitio verò intellectiua, per quã ego cognosco ipsum Petrum, est signum formale insensibile: fumus est signum instrumentale sensibile ignis,& mea cognitio per quam Petrum cognosco, si ab Angelo cognoscatur, est ei signum insensibile instrumentale Petri.

Deinde signum iterũ est duplex: vnum naturale, & aliud voluntariũ, seu ad placitum: Signum naturale est illud, quod ex natura sua seclusa hominum impositione aliud à se distinctum repręsentat: v.g. fumus, qui à natura sua repręsentat ignem, & omnis effectus est signũ naturale suæ causæ. Signum ad placitũ, seu arte factũ est illud, quod solũ ex aliqua institutione, seu impositione aliud à se distinctum repręsẽtat: v.g. sonus campanæ est signũ lectionis, ex institutione humana voluntaria.

ipſam rem: v.g. cum concipimus aliquam vocem, cuius ſignificatum ignoramus. Et notandum eſt,quod conceptus vocum non ſignificatiuarum vocantur vltimati, quia non ordinantur ad aliud.

21 Secundò terminus mentalis, ſeù conceptus potentiæ cognoſcitiuæ,diuiditur in directum,& reflexũ. Directus eſt ille, per quem aliquam rem diſtinctam ab actu eiuſdem potentiæ cognoſcimus. Reflexus verò eſt ille per quem quis ſuam precedentem cognitionem cognoſcit: v.g. cum Petrus cognoſcit, ſe Paulum cognouiſſe.

Tandem cognitio terminorũ alia eſt intuitiua,& alia abſtractiua. Prima eſt cognitio rei exiſtentis prout eſt in ſe. Secunda verò eſt cognitio rei non exiſtentis. Et nota, quod aliquæ ex illis cognitionibus nõ ſolùm in intellectu reperiuntur; ſed etiam in ſenſibus, & conſequenter non ſolũ inter animalia conueniunt homini; ſed etiam pluribus brutis.

22 Ex quo cõſtat, quod malè noſter Lalemandet in apparatu part. 2. aſſentitur Mendozæ diſp. 1. ſect. 3. reprehendenti Sotũ hìc c. 6. ſect. 1. dicentem: Quod terminus mentalis non ſolùm in homine, ſed etiam in brutis reperitur. Quid .n. verius dici potuit? Nonnè viſio,per quam equus vidit ſtabularium ei occurrẽtem eſt cognitio vltimata, directa,& intuitiua? Nec ratio ab illis adducta aliquid probat,quia hoc,quod Lalemãdet adduxit, ſcilicet quod terminus mentalis eſt pars propoſitionis mentalis, falſum eſt: Nam vt ipſe dicit in principio paragraphi ſuperioris. Terminus mentalis, de quo agit, dicitur conceptus mentis formalis, Aliquis .n. conceptus mentis formalis non eſt pars propoſitionis, cum propoſitio mentalis ſit formaliter ſimplex qualitas, vt ipſe etiam in logica oſtendit diſput. 7. partit. 4.

Ad id autẽ, quod dicit Hurtadus ſcilicet,quod preter intellectũ nulla potentia cognoſcitiua format propoſitiones, ergo neq; habet terminos. Reſpondeo, tranſeat antecedens, de quo dicemus diſputatione ſecunda logicæ, & nego cõſequentiam, quia hìc pro habere terminos ſolùm ab omnibus intelligitur, cognoſcere res,quæ ab intellectu aſſumi poſſunt vt termini, ad quod non eſt neceſſe poſſe formare propoſitiones,vt de ſe patet.

23 Aliæ diuiſiones termini mentalis ab aliquibus tradũtur, attamen quia hoc potius eſt negotium animaſticum,quam logicum, libenter nunc omittimus, relinquendo ad proprium locum, & indè ad diuiſiones termini vocalis venientes dicimus: Quod terminus vocalis primò diuiditur in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum: vt autem præſens diuiſio perfectè intelligatur, breuiter prius ſciendum eſt,quid ſit ſignificare,& quid,& quotuplex ſit ſignũ: nam ex profeſſo alibi, Deo dante,de hoc agemus,pro quo ſit.

SECTIO V.

Quid, & quotuplex ſit ſignum.

24 CVm ſignificare nihil aliud ſit, quam potentiæ cognoſcitiuæ aliud à ſe diſtinctum repræſentare; ideò ſignum eſt id, quod aliud à ſe diſtinctum repreſentat: v.g. veſtigium animalis in via ſignificat, ani-

mal

mal transisse inde. Primò, signũ diuiditur in formale,& instrumentale. Formale est illud, quod nulla prævia cognitione sui potentiæ cognoscitiuæ aliud à se diuersum repræsentat: v.g. species impressa,& expressa proprij obiecti: Instrumentale verò signum est illud, quod præsupposita cognitione sui aliud à se distinctum repręsentat, v.g. Imago Sanctiss. P. N. Francisci de Paula, quia per cognitionem illius venimus ad cognitionem ipsius Sancti P. Francisci, & hoc signum est, quod definiuit D. August. 11. de Doct. Christ. cap. 1. dicens: *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*, & clarius libro de principijs Dialecticæ cap. 5. dicens: *Signum est, quod se ipsum sensui, & præter se aliud animo repręsētat*; quod propriè, & simpliciter dicitur signum. Obiectiones Pontij disp. 19. logicæ, qu. 1. cōtra primam ex his definitionibus vide solutas à Mastrio 1. p. suarũ instit. tract. 1. c. 2. secundæ editionis.

25 Attamen hic nō est prętereũdũ, ꝙ M. Ant. Gallitius, qui primus in viam D. Bonauenturæ scribit in phylosophia. In Summa totius Dialecticæ lib. 1. tract. 3. cap. 3. reprehendit Fonsecam lib. 1. cap. 8. Dialecticarum instit. in hoc, quod malè assignat discrimen inter signũ formale,& instrumentale. At cum vidissem Fonsecam loc. cit. non differre à doctrina supra tradita, dum tradit prædictũ discrimen, stupefactus manerem videndo, talem calumniā illatā esse doctissimo viro inter P.P. societatis non infimum locum tenenti, nisi prius legissem exhortationem ad lectorem eiusdē Auctoris, vbi vidi ipsum esse ex illis, qui missi sunt in mundum, nō ad componendos libros, sed ad prædicationis munus exercendum; licet hoc mihi, Hispanus cum sim, quousq; veni in Italiam, non constitit, quamuis illic conuersatus sim in plurimis Ciuitatibus cum multis Indianis.

Nota quod id, quod est signũ formale respectu vnius, potest esse signum instrumentale respectu alterius; v.g. cognitio, per quam ego cognosco Petrum, est mihi signum formale Petri, Angelo verò cognoscenti talem cognitionem est ei signum instrumentale Petri.

26 Vnde tàm signum formale, quàm instrumentale aliud est sensibile, & aliud insensibile: v.g. visio corporea, per quam video Petrum, est signum formale sensibile Petri: cognitio verò intellectiua, per quā ego cognosco ipsum Petrum, est signum formale insensibile: fumus est signum instrumentale sensibile ignis,& mea cognitio per quam Petrum cognosco, si ab Angelo cognoscatur, est ei signum insensibile instrumentale Petri.

Deinde signum iterũ est duplex: vnum naturale, & aliud voluntariũ, seu ad placitum: Signum naturale est illud, quod ex natura sua seclusa hominum impositione aliud à se distinctum repręsentat: v.g. fumus, qui à natura sua repręsentat ignem, & omnis effectus est signũ naturale suæ causæ. Signum ad placitũ, seu arte factũ est illud, quod solũ ex aliqua institutione, seu impositione aliud à se distinctum repręsētat: v.g. sonus campanæ est signũ lectionis, ex institutione humana voluntaria.

27 Et

27 Et nota, quod Casilius lib. 1. Summular. cap. 1. vult, quod non solùm signum sensibile diuidatur in naturale, & ad placitum; sed etiam signum spirituale; quia vt ait: Non repugnat dari aliquod ens spirituale, quod à Deo instituatur vt signũ alterius, & de facto putat, quod actus contritionis ex diuina institutione gratiam significet.

28 Addunt aliud signum, quod ex consuetudine vocant, quod dicũt esse illud, quod nõ à natura, neque à voluntate hominum, sed ex consuetudine aliud à se distinctum repræsentat. v. g. mappæ positæ super mensam significant ex consuetudine prandium, vel cęnam citò venturam; sed hoc signum commodè reduci potest, vel ad naturale, vel ad placitũ, cum omnis cõsuetudo, vel in natura, vel in institutione hominum fundetur; & ideò exemplum positum, & alia similia ad signum ad placitum reducuntur, cum illa consuetudo in humana institutione fũdetur: consueta verò sequutio canis domini sui dicitur signũ ex consuetudine proximi aduentus domini sui, quatenus viso cane propter consuetam secutionem domini, dicimus, dominum non longè abesse. Quod ad signum naturale reducitur, quia in natura, & innata fidelitate canis fundatur. Videatur Ioann. à S. Thom. 4. par. logicæ, qu. 22. art. 5. & Pontius loc. cit. Hurtadus verò in logica disp. 8. sect. 1. dicens, quod omne signum ex consuetudine ad signum ad placitum reducitur, non est audiendus propter dicta. Nec etiam Tellez in Log. disp. 9. sect. 1. qui defendit, signum ex consuetudine specie differre à naturali, & ad placitum, & cõsequenter aduentus canis, &c. ad signum naturale reduci non vult, quia (vt dicit) ad hoc, vt reducatur ad signum naturale, vel deberet habere vim naturaliter significandi, vel deberet idem significare apud omnes, quod non habet tale signum, siquidem nullam habet naturalem proportionem cũ significato, nec idem significat apud omnes, qui .n. non nouerit talis canis herum, talis canis illum non duceret in cognitionem domini.

29 Non, inquam, est audiendus, quia ratio illius est insufficiens; nam pariter fumus non esset signum naturale ignis; nam si quis non nouerit ignem, æquè difficiliter ignem cognosceret, per fumum, ac aduẽtum proximum domini per aduentũ canis. Ad illud autẽ, quod dicit, quod non habet vim significandi, dico, quod ad hoc, vt ad signum naturale reducatur sufficit, quod aduentus canis ante suum dominum ab innata fidelitate ipsius oriatur, vt de facto contingit. Et licet multoties canis solus sine domino suo incedat, & consequenter aliquando sit signũ fallax, hoc est, quia est imperfectum signum naturale, quod tamen non tollit, quin ad naturale reducatur.

Dices: Signũ, quod Deus posuit Cain, vt à nullo interficeretur: Genesi 4. *Posuitq; Dominus in Cain signum; vt nõ interficeret eum omnis, qui inuenisset eum*. Non erat naturale, neque ad placitum, ergo præter signum naturale, & ad placitũ datur aliud signũ, & consequenter diuisio signi in naturale, & ad placitum non est bona, cum totam naturã diuisi non exhauriat.

riat. Antecedens patet, quia signum ad placitum solum apud illos significat, qui placitū imponentis sciunt, cum autem illud signum idem apud omnes significat, necesse est, quod non esset ad placitum. Deindè neque erat signum naturale, cū à Deo liberè ad hoc fuerit significandum impositum.

30 Resp. Quod signū illud Cain vel potest dici naturale, cum habeatur ex D. August. epist. 216. Quod tale signum erat tremor, per quod omnes naturaliter ad misericordiā mouebantur, ne illum interficerēt, & licet tale signum ei à Deo liberè tributum fuerit, quia tamen significare naturaliter ei conueniebat, signum naturale erat. Vel potest dici, quod erat signum ad placitum Dei, & quod Deus indiderit eius significationē omnib⁹, qui erant illū visuri.

Demum, D. Tho. in 4. qu. 1. art. 1. dicit: Quod signum aliud est rememoratiuum, illud scilicet, quod aliquid præteritum à se distinctum repræsentat: v. g. iris, quæ est signū fęderis Dei: aliud demonstratiuum, quod scilicet aliquid pręsens significat; v. g. fumus, qui significat ignē in præsenti existentem, & aliud pronosticum, quod scilicet aliquid futurum significat; vt certi aspectus aliquorum astrorum significāt pluuiam futuram. At ista signa non distinguuntur à naturali, & arte facto, cum differentiæ temporis non mutent essentialiter signa; quia aliàs lego, legebam, & legam essent signa specie diuersa. Aliæ diuisiones signi accidentales omittuntur, quia parū vtilitatis afferunt.

31 Sed quęres primò, vtrū omnis vox sit significatiua, & quomodo?

Resp. Quod omnis vox est signū instrumentale naturale loquentis, quatenus est effectus illius, &, vt diximus, omnis effectus est signum instrumentale naturale suæ causæ: Nā audita quacūque voce, etiamsi nihil videamus, ad cognitionem loquentis venimus.

Quæres secundò, vtrum voces, præter loquentē, aliquid aliud significent, & quomodo?

Resp. Quod ex vocibus, præter loquentem quædam significant naturaliter rerum sensibus perceptarum, vt voces brutorum, gemitus, & suspiria, nam vt habetur ex D. Tho. 1. Periermenias lect. 3. bruta per voces, quas suo modo edunt, suas conceptiones sibi inuicem manifestant. Quod etiam insinuat quæst. 4. de veritate att. 4. & 10.

32 Aliæ verò sunt signa ad placitum rerum ab intellectu conceptarum, v. g hæc vox, homo, quæ impositione humana habet naturā humanam significare, & istæ sunt, quæ aliquo modo ad institutum dialecticum (vt aliquandò constabit) pertinent. Quæ etiam articulatæ dicuntur eò, quod formantur distinctione syllabarum, ita vt scribi possint.

Quod autem hæc vox, homo, & aliæ similes sint signa ad placitū rerum ab intellectu conceptarum, sic probo primò; Quod conuenit naturaliter alicui, semper vbique conuenit illi, sed eamdem rem significare non conuenit vocibus semper, & vbique; ergo non conuenit naturaliter vocibus res ab intellectu conceptas significare, & consequenter cum illas significent ad placitum eas signi-

significare tenentur. Minor patet experientia, vltima verò consequētia ex supradictis.

33 Probatur secundò, si nobis à natura inessent voces, quæ essent signa naturalia rerum, surdi à natiuitate loqui possent, sicut naturaliter gemitus,& suspiria formant,sed *Surdus à natiuitate est etiam mutus*,teste Philosopho lib 4. de animal. *Et muti licet possint emittere vocem, nō tamen locutionē.* teste eodem ibidem, ergo voces nō sunt signa naturalia rerum.

Dices contra: Imago Cęsaris,v.g. est signum naturale illius, quamuis hoc non haberet, nisi ab arte sic depicta fuisset, ergo, quamuis voces habeant à voluntate significare res, nō propter hoc debent vocari signa ad placitum illarum.

Resp. negando consequentiam: Ratio disparitatis est: Quia cū imago sit naturalis similitudo, eadem manens nō potest aliam rem repræsentare, aut proprium prototypum non exprimere; at verò vox eadem manēs potest significationem amittere,vel mutare.

34 Dices tandem; Nomina imposita per Onomatophoeiam, v.g. Homo,qui sic vocatur ab humo,naturaliter significant,ergo aliquæ voces non sunt signa ad placitum rerum ab intellectu conceptarum.

Resp.negando anteced.nam licet fundamentaliter significatio harum vocum sit à natura; nō tamen completiuè: Ad hoc autem vt aliqua vox naturaliter significet,præter cōuenientiam ad talem significationē, requiritur,vt talem significationem completiuè a voluntate imponente non habeat, vndè prædictæ voces solū originaliter possunt dici signa naturalia,completiuè tā artificialia.

35 Quæres tertiò, vtrum voces, quæ significant res ab intellectu cōceptas, significent etiam ipsas conceptiones, seu actus intellectus.

Resp. Quod voces propriæ solū significant res, & nullo modo conceptus intellectus, sed pro ipsis supponuntur, præter illas, quæ ad illos significandos sunt expresſè impositæ, vt sunt istæ voces, actus intellectus,conceptus mentis, verbum mentis, cognitio intellectus, &c. Hoc tenet etiam Ouiedo in logica controuersia 8 punct. 3. & Mendoza in logica disput. 9. sect. 4.

Prima pars huius dicti probatur: Vox illud dicitur significare ad quod propriè significandum est imposita, sed voces sunt impositæ ad significandas propriè res, non ad significandos conceptus intellectus, ergo propriè res solùm significant, & nullo modo conceptus intellectus. Probatur minor, vox est imposita ad illud significandū, in cuius cognitionem venimus illa audita; sed audita hac voce, homo, non venimus in cognitionem conceptus hominis, sed in cognitionem hominis, ergo voces sunt impositæ ad significandas res, non autem ad significandos conceptus intellectus.

36 Probatur secundò, Si voces propriè significarent conceptus intellectus, omnes propositiones de secundo adiacenti essent veræ, v.g. hæc: Antichristus est, nam faceret hunc sensum conceptus Antichristi est, & omnes propositiones de tertio adiacenti essent falsæ: v.g. hæc homo est animal: nā redderet hunc sen-

sensum, conceptus hominis est conceptus animalis, sed hoc est absurdum, ergo voces propriè non significant conceptus intellectus, sed res ab ipsis conceptas.

Secunda verò pars huius dicti, scilicet, quod voces supponantur pro actibus intellectus, à quibus res per ipsas significatæ cōcipiuntur, patet; nam res significātur per voces, quatenus cognitæ; quia non potest quis externo sermone quidpiam manifestare, si prius interno actu intellectus illud non cognouerit: nam si nos ad inuicem ostendere possemus cognitiones nostras, nullo modo vocibus vteremur, vt faciunt Angeli, ergo voces supponuntur pro actibus intellectus, & per consequens actus intellectus dici debent conditiones, sine quibus voces non significarent res. Vel vt vult Ruuius in lib. 1. de interpret. cap. 2. id quo voces res significantur.

37 Vltima verò pars huius dicti, scil. quod voces illæ impositæ ad significandos conceptus intellectus, propriè illos significent patet. Nam audita hac voce, abstrastio, venimus in cognitionem cuiusdam actus intellectus.

Dices contra primò: Voces sunt inuentæ, vt per ipsas homines suos cōceptus manifestarent, ergo significant conceptus, & non res.

Resp. distinguendo antecedens: Voces sunt inuentæ, vt per ipsas homines suos conceptus formales manifestent, nego: vt manifestent suos conceptus obiectiuos concedo.

38 Dices tandem: Arist. 1. Perhy. cap. 1. dicit: *voces sunt signa earum, quæ sunt in animo, passionum*, & D. August. 15 de Trinit. ait: *verbum, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus latet*, ergo prædicti Doctores sentiunt, quod voces significant cōceptus intellectus.

Resp. Quod prædicti DD. sunt intelligendi de vocibus, quæ sunt impositæ ad significandos conceptus intellectus, non autem de reliquis.

Et notandum est, quod sic se habent scripturæ respectu vocum, & rerum, sicut voces respectu cognitionum, & rerum. De quo multa apud Ouiedum loc. cit.

Quæres quartò, vtrum aliquid possit esse signum sui.

Resp. Quod non, quia signum est id, quod aliud à se distinctum reprēsētat expresse, & immediatè; & ideò licet aliqua vox confusè, & secundariò se ipsam representet; non tamen est signum sui propriè: vt hæc vox, nomen, sed tātum secundum quid, & consequenter analogicè.

39 Quæres tandem, vtrum voces articulatæ psyttachorum significent ad placitum ea, quæ significāt prout ab homine proferuntur?

Resp. Quod sic, sicut, & voces dormientium, quia per illam vocē venimus in cognitionem illius rei, ad quam significādam est imposita, non secus, ac si ab homine vigilante proferretur. Verū tamen est, quod respectu psytthaci nō sunt significatiuè formaliter, sed solū materialr, quia psytthacus significatum illarū vocū nō percipit, nec percipere potest, nec ad tale significatum manifestandum, prædictas voces profert.

Plura de signo alibi, Deo dante; Interim videte Ioann. à S. Thom. Ortiz, Telez in logica, qui benè, & diffusè

diffusè de hac materia tractant.

SECTIO VI.
De diuisionibus termini vocalis.

40 Diximus in fine sectionis tertiæ, quod terminus vocalis primò diuiditur in significatiuum, & non significatiuum, modò ex dictis sect. pręt. quid vterque sit facilè ostendi potest: Est igitur terminus vocalis significatiuus extremū propositionis vocalis, quod ex instituto voluntario aliquid significat, v. g. homo: non significatiuus verò est extremum propositionis vocalis, quod nō est ab aliquo agente libero impositū ad aliquid significandum, v. g. blictri, &c.

Terminus significatiuus primò diuiditur in complexum, & in incōplexum. Complexus est ille, qui supponitur pro conceptu intellectus complexo (complexio verò conceptus expectantis ad primam operationem mentis, vt perdoctè docet Eminētiss. Io. de Lugo tract. de Fide disput. 3. sect. 2. consistit in separatione intellectuali vnius partis obiecti ab alia, ita vt aliter concipiamus vnam partem, & aliter aliam: aliter inquit non per aliam cognitionem, aut cum successione reali, vt priùs concipiatur animal, & postea albū; quia, vt, eruditè ait: iam essent duæ apprehensiones distinctæ; sed quod quasi bis per eundem actum attingitur obiectum; nam hominem per modum per se stantis attingimus, & album per modum adiacentis) v. g. homo albus. Vbi est notandū, quod ad hoc, vt aliquis terminus dicatur complexus, non est necesse, quod ex pluribus vocibus componatur, nam si hæc littera, A, imponeretur ad significādum hominem iustum, tunc esset verè terminus cōplexus.

41 Terminus verò incomplexus est ille, qui supponitur pro cōceptu simplici intellectus (conceptus simplex est ille, per quem concipimus vnam tantum rem) v. g. homo. Vbi est notādum, quod ad hoc, vt aliquis terminus dicatur simplex, seu incōplexus, non est necesse, vt sit vna sola vox, nam plures voces aliquando sunt terminus incomplexus, v. g. Marcus Tullius Cicero, quia supponuntur pro conceptu simplici intellectus, nam aliter Logicus à Grammatico attendit complexionem in voce; nam iste iuxta numerum vocum: ille verò iuxta numerum conceptuum, pro quibus ipsa supponitur. Quæ Doctrina colligitur ex his, quæ à D. Tho. 1. Periher. lect. 4. doc.

Deindè terminus incomplexus diuiditur in categorematicum, & in syncategorematicū. Terminus categorematicus est ille, qui significando aliquid ad placitum in aliqua propositione est integrum subiectum, vel prędicatum illius; v g homo, animal, &c. Vnde licet in hac propositione, omnis, est vox, ly omnis, sit integrum subiectum, tamen non est terminus categorematicus, quia hoc non habet cum aliqua significatione ad placitum, cum ibi tantùm materialiter supponatur.

42 Syncategorematicus verò est ille, qui in aliqua propositione modificat subiectum, vel prædicatum, v. g. omnis, nullus, & omnia aduerbia, & ideò vox syncategorematica, prout sic, propriè non est terminus, sed modus termini. Quidquid dicat

dicat Pontius hic; nam vt ait D. Th. 1. Periher. lect. 1. Syncategoremata magis sunt colligationes partiũ, quã partes, tamen à nobis dicũtur termini, quia loquendum est cum multis.

Terminus categorematicus alius est communis, & alius singularis. Cõmunis est ille, qui plura diuisim significare potest, v.g. homo, sol, &c. Singularis verò est ille, qui vnum tãtum significat, vel plura cõiunctim, v.g. Roma, Petrus, &c.

Sed quæres, an hæc vox, omnis homo, sit terminus communis, vel singularis.

43 Resp. Quod propriè loquendo debet dici terminus communis signo vniuersali affectus, nam cum hæc propositio, omnis homo est animal, ideò dicatur vniuersalis, qa ante subiectũ habet signum vniuersale, potest optimè dici, quod subiectũ talis propositionis est terminus cõmunis signo vniuersali affectus. Quidquid dicat Arriaga hic lect. 3.

Dices contra, omnis homo non significat plura diuisim, sed coniunctim, nam omnis homo, & omnis ciuis eundem habent modum significandi, sed omnis ciuis idem significat, ac Ciuitas, quod nomen significat plura coniunctim, ergo omnis homo nõ est terminus communis, cum non significet plura diuisim.

Resp. Quod, vt probaui sect. 3. voces extra propositionem non sunt termini, & ideò cum in hac propositione omnis homo est animal, solus homo sit subiectum, ideò ipse solus est terminus, nam, omnis, non est pars subiecti in ipsa, sed solum signum extensionis subiecti. Vndè cũ hic terminus, homo, plura diuisim significet, meritò terminus cõmunis signo vniuersali affectus dĩ in hac, & similibus propositionibus.

44 Quæres tandem, vtrũ hic terminus, Deus, sit terminus communis, vel singularis?

Respondet noster Lalemandet in apparatu par. 3. quod apud antiquos pluralitatem Deorum admittentes, Dei nomen erat commune: At cũ nunc firmissima ratione, & fide certissima teneamus impossibilitatem pluralitatis Deorum, hunc terminũ, Deus, minimè communem dicere debemus.

Ego verò, salua pace tanti viri, dico cum Magistro meo doctissimo P. Io. Perer Roscilionense Sac. Th. Lect. nostri Ordin in manuscriptis. Quod licet teneamus, repugnare plures deos, in cuius veritatis defensione (si opus esset) libentissimè vitam poneremus, tamen hunc terminum, Deus, his non obstantibus, esse terminũ communem defendimus. Nam vt optimè Io. à S. Th. hìc lib. 1. art. 6. ad hoc, vt aliqua vox sit terminus communis, sufficit, vt ex parte nostri modi concipiendi non repugnet eius significatum intelligi vt cõmunicatiuum pluribus, quamuis in re sit prorsus immultiplicabilis. Quod colligit ex D. Th. 1. par q. 13. art. 9. Cum autem res spirituales, & ipsum Deum ad modum rerum corporearum concipiamus ob excellẽtiam illarum, & imperfectionẽ nostri intellectus pro hoc statu, ideò naturam diuinam sine singularitate intelligimus, concipiendo eam inadæquatè, ad modũ scilicet rei corporeæ, & quia ex vi huius cõceptus intelligitur, vt communicatiua pluribus

ribus

ribus ideò hic terminus, Deus, terminus communis dicitur. Videatur disp. 4 logicæ sect. 2. qu. 2. Per quod patet ad id, quod Pontius in sua Logica parua cap. 2. dicit contra hanc nostram sententiam.

45 Si placet potest addi id, quod innuit Casilius lib. 1. Summul. cap. 2. scilicet quod cũ hoc nomen, Deus, aliquãdo dicatur de aliquibus creaturis, quæ nõ per proprietatem, sed per participationem in aliqua perfectione tales appellantur, vt Psal. 81. *Ego dixi dij estis, &c.* ideo hoc nomen, Deus, in ordine ad verũ Deum, & ad prędictas creaturas est terminus analogus, vel saltẽ æquiuocus. Cum autem tàm analogus, quàm ęquiuocus sint termini communes, cõsequens est, vt hoc nomen, Deus, in ordine ad prædicta consideratus, sit terminus communis.

Terminus communis diuiditur in transcendentalem, & limitatum. Transcendẽtalis est ille, qui de omnibus reb⁹ prędicari potest, qui ideò trãscendens dicitur, quia super omnia ascendit, & eorum vltimas differentias penetrat, v.g. res, ens, vnum, bonum, aliquid, verum. Qui hoc vocabulo ex singulis initialibus literis conficto clauduntur. REVBAV. Limitatus est ille, qui de certis rebus tantum prędicare valet: v.g. homo, leo, &c.

46 Eustachius à S. Paulo in Summa Philosoph. 1. par. dialect. tract. 1. qu. 5. his terminis addit alium, quem supertranscendentem vocat dicens, quod est ille, qui non solum de omnibus rebus, quæ in decem prædicamentis clauduntur, prædicat, vt trãscendentia, sed etiam de omnibus transcendentibus, v. g. imaginabile, opinabile, & cognoscibile, &c. Quodque à Comptono disp. 2 introductionis sect. 3. num. 5. dicitur, esse illum, qui non de rebus veris tãtum, sed etiam de fictis affirmat.

Terminus limitatus diuiditur in vniuocum, ęquiuocum, & analogũ. Vniuocus est ille, qui significat plura in nomine, & in re significata per tale nomen omnino conuenientia, v.g. Homo, leo. Aequiuocus est ille, qui significat plura in nomine conuenientia, & in re significata per tale nomen omnino disconuenientia: v.g. Canis, qui significat canem cęlestem, terrestrem, & marinũ, qui in nomine conueniunt, non autem in re significata per ipsum nomen, nam alia est natura canis cęlestis, alia terrestris, & alia marini. Analogus verò est ille, qui significat plura in nomine conuenientia, in re autem per tale nomen significata, neque omnino conuenientia, neq; disconuenientia, v.g. Sanum, quod significat animal, medicinam, & vrinam, quæ omnia in nomine conueniunt, in re autem per tale nomen significata non omnino conueniunt, neq; omnino discõueniunt; nam animal dicitur sanum, vt subiectum sanitatis, medicina, vt causa, vrina tandẽ, vt signum, de quibus multa in logica disputatione de antepraedicamẽtis, Deo dante, dicemus.

47 Terminus singularis est quintuplex, .s. determinatus, demonstratiuus, collectiuus, vagus, & ex suppositione. Determinatus est ille, qui vnum tantùm determinatè significat, v.g. Petrus, &c. Demonstratiuus est ille, qui afficitur signo demõstratiuo,

tiuo, v.g. Hic homo, &c. Collectiuus est ille, qui significat plura coniunctim, v.g. Matritum, Roma, &c. Vagus est ille, qui vnum indeterminatè significat, v. g. Quidam homo, &c. Ex suppositione est ille, qui ex suppositione vnũ significat, poterit tñ plura significare, v. g. Filia Ciceronis significat Tulliam facta suppositione, quod Cicero non habuit aliã filiam, prẹter Tulliam, qui terminus, nisi tali suppositio fieret, poterit plura significare, & ideò dici solet singularis in supponendo, & communis in significando.

Secũdò, diuiditur terminus significatiuus in concretum, & abstractũ: concretus est ille, qui significat aliquid vt existens in alio, quod cõcretum est duplex: vnum substantiale, quod est illud, quod significat aliquid vt existens in alio, quod cõcernit, vt suppositum propriæ naturæ, v. g. homo, qui significat humanitatem existentẽ in Petro, & Paulo, &c. & aliud accidentale, quod est illud, quod significat aliquid, vt existens in alio, quod concernit, vt subiectũ proprium, seu in quo est per modũ formæ informãtis, v.g. album, quod significat albedinem existentem in papyro, & niue.

48 Abstractus est ille, qui significat rem per modum per se stantis, & non alteri inexistentis, v.g. Humanitas, quẹ significat naturam humanã, veluti à proprio supposito separatã: & albedo formam albedinis, veluti à subiecto, cui inhærebat, separatã. Vndè concretum significat aliquid ad modũ compositi, abstractũ verò habet modũ significãdi simplicem.

Hic tamen notandum est cum Soza in primũ Sentent. tom. 2. diff 64. Quod abstracta substãtialia solũ abstrahũt à proprijs suppositis, & ideò semper dicuntur abstracta vltimæ abstractionis, accidentia verò absoluta aliquando abstrahuntur tantũ à proprijs subiectis, & tunc dicuntur abstracta mediæ abstractionis, vt albedo, & aliquando, & à ptoprijs subiectis, & à proprijs indiuiduis; & tũc dicuntur abstracta vltimẹ abstractionis, vt albedineitas. Relatiua verò accidentia possunt abstrahi, & à fundamento, & à subiecto vt similitudines duarum parietum possunt abstrahi, & à parietibus, in quibus subiectantur, & ab albedinibus, in quibus fundantur, at quocunque ex his modis abstrahantur, semper dicuntur abstrahi media abstractione, & tãdem possunt abstrahi à proprijs indiuiduis, quo modo vltimò abstrahi dicuntur.

49 Hic tamen notandum est id, quod Trimarcus noster hic doctissimè vt semper aduertit, .s. quod non est necesse, quod res significata per terminum concretum à parte rei sit composita, sed sufficit vel quod sit composita, vel quod in suo cõceptu explicetur ad instar rei compositæ, & propterea hic terminus, Deus, licèt in se sit summè simplex, & carẽs omni compositione, nihilòminus dicitur concretus, quia intellectus noster, ob suam intrinsecam imperfectionem, non potest illum, ob suã infinitam perfectionem, sicuti est, concipere, & ideò solet concipere illum ad modum rei compositæ ex Deitate, & ex eo, in quo est Deitas.

Tertiò diuiditur terminus significatiuus in absolutũ, & connotatiuũ.

Connotatiuus est ille, qui in cōceptu perfecto, & quidditatiuo sui significati, præter essentialia ipsius, necesse est aliquid aliud secundariò cointelligi, v. g. hæc vox, cena, quia vt perfectum conceptum de suo significato habeamus, necesse est, vt tempus vespertinum secundariò concipiamus, præter omnia essentialia illius, & omnia cōcreta accidentalia, v. g. album, &c. siquidem apud Logicos illud dicitur connotatum alicuius vocis, quod non importatur ex vi significationis illius, sed potius datur intelligi ex modo significandi principalis significati: Vndè nō importatur primariò, & directè, sed secundariò, & indirectè. Absolutus verò est ille, qui in conceptu perfecto, & quidditatiuo sui significati, præter essentialia illius, nihil secundariò requiritur cointelligendū, v. g. humanitas, albedo, & omnia cōcreta substantialia, v. g. homo, leo, &c. Nam etsi concernant suppositum propriæ naturæ, tamen quia natura cum supposito non facit vnum per accidens, sicut forma accidentalis cum subiecto; ideò totū illud compositum, ex æquo importatur, non verò principaliter vnum, & in recto; secundariò aliud, & in obliquo.

50 Qui vult videre subtilem impugnationem huius doctrinæ, legat Pont. in sua Log. parua cap. 2. sed subtiliorem solutionē prædictæ impugnationis inueniet apud Mastriū pr. par. Introduct. tract. 1. cap. 3. secundæ editionis; reperiet quoque apud ipsos ibidem varias descriptiones illorum terminorum aliorum auctorum cū suis impugnationibus.

Sed quæres, vtrum relatiua sint connotatiua?

Resp. Quod Pontius loc. cit. hoc affirmat dicens: Quod terminus cōnotatiuus est ille, qui significat rem relatiuam, vt relatiua est: Rapinæus verò in nucleo disputationū in vniuersam philosophiam disp. 22. de interpr. qu. 3. vocat connotatiua absoluta à termino correlatiuo tantùm; quia licet non respiciant aliquid primariò vt terminum, sicut faciūt relatiua; respiciunt tamen subiectum secundariò, cui possunt inhærere. Video istos duos recollectos in hac re valdè oppositos; vndè dico, quòd falsò loquitur primus, nam relata, & connotatiua valdè differūt, eò quod relatiuum per se primò, & directè aliud respicit: Connotatiuum verò secundariò, & indirectè, & minus principaliter. Deindè relatiuum respicit aliud præcisè, vt terminū, præscindendo à quacūque alia ratione: Connotatiuum verò respicit aliud per modū annexi, & accessorij, præscindendo à ratione termini. Tandem differunt, quia connotatio propriè pertinet ad modū significandi, & non ad rem ipsam: relatio autem pertinet ad ipsas res, & ideò quāuis tàm relatiuum, quàm connotatiuū distinguantur ab absoluto; hoc tamen interest, quod connotatiuum propriè distinguit terminos vocales, quorū alter est absolutus, & alter connotatiuus: relatiuū verò distinguit res ipsas, quarū aliæ sunt absolutæ, & aliæ relatiuæ. Secūdus verò etsi meli⁹, diminutè tamen loquitur, nam nō omne connotatiuū respicit suū cōnotatū tanquā subiectū, vt ex supradictis facilè quis videre potest.

51 Ex quibus facilè potest assignari discrimen inter concretum, & con-

connotatiuum, & inter abstractum, & absolutum; nam non omnia connotatiua sunt cõcreta, quia creatio, & conseruatio non sunt concreta, licèt sint connotatiua; nec omnia cõcreta sunt connotatiua; quia licet omnia cõcreta accidẽtalia sint connotatiua, non tamen concreta, substantialia, nisi quando nomine adiectiuo significantur, vt corporeũ, rationale, humanum; nam tunc ratione modi significandi sunt connotatiua; deindè licèt ferè omnia abstracta sint absoluta, siuè sint substantialia, quæ secundùm rem, & modum significandi sunt absoluta, siuè accidentalia, quæ solũ secundùm modũ significandi: nõ tamen è cõtra, quia concreta substãtialia sunt absoluta.

Vt quartam diuisionem termini tradamus, debemus notare, quod negatio, non, dupliciter potest accipi, vno modo neganter, & alio infinitanter. Tunc sumitur neganter quãdo antecedit copulam, & immediatè iungitur cum illa in oratione, & tunc non reddit terminos infinitos, sed facit propositionem negatiuam, v.g. homo non est lapis; tunc verò sumitur infinitanter, quando iungitur cum aliqua voce, quæ actu non significat vnionem prædicati cum subiecto, & tunc facit, vt talis vox nihil determinatè significet, sed tantùm determinatè negat: negatio autem sic accepta, si iungitur alicui termino categorematico, reddit illum infinitum. Quo notato.

52 Quartò diuiditur terminus in finitum, & in infinitum. Finitus est, qui aliquid determinatè significat, vt lignum, homo, &c. Infinitus verò est, qui licèt aliquid determinatè neget, nihil tamen determinatè affirmat, vt non lignum, non homo.

Vltimò diuiditur terminus in terminum primæ intentionis, & in terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat aliquam rem sine fictione existentem, vel aliquod prædicatum alicui à parte rei cõueniens, v.g. homo, risibilitas, &c. Terminus secundæ intentionis est ille, qui significat aliquod prædicatum cõueniens alicui, ex hoc, quod aliquo certo modo cognoscatur, v.g. prædicatum, subiectum, &c.

Pro complemento huius sectionis, est notandum, quod omnes isti termini, si ad inuicem conferuntur, vel sunt impertinẽtes, seu disparati, vel pertinentes. Primi sunt, quorum nec vnus alterum infert, nec alteri repugnat, vt albũ, & dulce: Secundi verò sunt, quorum alter alterum infert, vel alteri repugnat, & ideò alij dicuntur pertinentes sequelà, qui s. se consequuntur, & comitantur, vt homo, & risibile, &c. & alij pertinentes repugnantià, qui s. opponũtur, & inter se repugnant, vt calidũ, & frigidum, &c.

SECTIO VII.
De Nomine.

53 QVia frequẽtiùs inter omnes terminos nomen in propositione scientifica est subiectum, vel prædicatum; ideò post explicationem omnium terminorum, visum est explicare, quodnam ex his sit nomen, & quia ad hoc alia via commodior inueniri nõ potest, quàm explicatio essentiæ illius; ideò sciendum est, quod nomen ita ab

Arist. 1. prior. cap. 1. definitur. *Nomen est vox significatiua ad placitum; sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.*

Explicatur prędicta definitio: Vox ponitur vt genus; quia per vocem cōuenit nomen cum verbo, totum residuum ponitur loco differentiæ; nam per ly significatiua ad placitū, differt à vocibus significantibus solùm naturaliter, v.g. blictiri, quæ solum naturaliter significat loquentē; & gemitus, & suspiria, quę prętér loquentem solùm naturaliter significant dolorem illius, & per ly sine tempore excluditur verbū à ratione nominis, quia verbum significat cū tempore: ly cuius nulla pars, &c. reddit hunc sensum (vt sentit quidam doctissimus modernus) quod conceptus rei significatę per nomen nō est complexus, sed incōplexus, per quod nomen à termino complexo differt: ly, finita, ponitur ad reijciendos terminos infinitos, v.g. non homo, qui licet sint verè termini, prout sunt subiectum, vel prædicatum alicuius propositionis, tamen meritò à ratione nominis reijciuntur, quia (vt tetigi in principio huius sectionis) solus ille terminus dicitur nomen, quod frequenter est subiectum, vel prędicatum propositionis scientificæ, quod non conuenit termino infinito, cum nihil determinatè significet, quia tàm de ente, quā de non ente dici potest. Tandē ponitur ly, recta, ad reijciēdos casus obliquos, qui propriè nō sunt nomina, sed casus nominis; nam vt habetur ex D. Thoma, declināt per quamdā declarationis originem à nominatiuo, qui, quoniam nō cadit, vocatur rectus.

54 Hęc definitio semper passa est graues difficultates; vnde multi multa formant argumenta contra quamlibet illius particulam: nos verò prout in hoc loco decet, aliqua proponimus, vt magis bonitas eius pateat. Pro quo sit.

Primum argumentum contra ly vox. In omni propositione scientifica datur aliquod nomen, sed dātur plures propositiones scientificæ in mente, & in scripturis, in quibus nō est aliqua vox, cum vox sit sonus ab ore animalis prolatus, cum intētione aliquid significandi, ergo male definitur nomen per vox.

Resp. negando maiorem; nam in mente, & in scripturis dantur plures propositiones scientificæ, in quibus propriè loquendo nomina non inueniuntur, nam in mente non nomina, sed conceptus rerum significatarum per nomina, & in scripturis supplementa nominum reperiūtur, cùm scripturis vtamur loco vocū, vt cum absentibus agere possimus.

55 Secundum argumentum cōtra ly sine tempore: dies, anni, mensis, posteri, maiores sunt nomina, sed significant cum tempore, ergo malè ponitur ly sine tempore in definitione nominis.

Resp. ad maiorem, quod dies, anni, mensis, & similia significant tempus, non autem cum tempore; posteri verò, & maiores connotant tēpus, non autē significant cū tēpore.

Vltimum argumentum contra ly cuius nulla pars, &c. Respub. est nomen, sed eius partes separatę significāt, ergo malè ponitur ly cuius nulla pars, &c. in definitione nominis.

Resp. quod hoc argumentū procedit

cedit solùm contra illos, qui grammaticaliter prædictas particulas intelligunt; nobis verò, qui logicaliter eas explicauimus, nihil obest.

SECTIO VIII. De Verbo.

56 Licèt in omni oratione nõ detur verbum, vt patet in definitione; tamen in omni propositione maximè desideratur; ideò post explicationem partium illius meritò quid sit vnio illarum, seu verbum declaratur. Igitur verbũ ita ab Arist. cap. 2. loc. cit. definitur: *verbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & semper est nota eorum, quæ de altero dicuntur.*

Hæc definitio sic est explicanda, sicut definitionem nominis explicauimus, in qua solùm restãt tres particulæ declarandæ. Quarum prima est ly cum tempore, quæ ponitur ad differentiã nominis, quod sine tempore significat. Secunda est, semper est nota, &c. cuius sensus est, quòd verbum semper est signum copulæ prædicati cum subiecto; per quod à ratione verbi reijciuntur quædam voces, quæ apud Grammaticos verba dicuntur, vt lego, &c.

57 Tertia est ly finita, quæ ponitur ad ostendendam certam differẽtiam, quæ inter nomen, & verbum intercedit, .s. quòd licèt nomen infinitari possit manens vox significatiua ad placitũ, sine tempore, recta (quamuis prout sic aliquo modo à ratione nominis deficiat, vt supra diximus) tamen hoc verbo nullatenus conuenire potest; nam negatio, non, infinitanter accepta, nõ potest adiungi copulæ, seu verbo, sed solũ alijs vocibus, quibus hoc conuenire non potest. Rationẽ huius rei reddens Arriaga hìc disp. 2. sect. 1. dicit esse solam voluntatem.

Ex quibus infertur primò, quòd apud Logicos vna tantũ datur vox, quæ sit proprijssimum fundamentũ secundæ intentionis verbi, seu verbalitatis, .s. sum, es, est: reliqua verba grammaticalia etiam in propositione dicuntur impropriè, & per accidens verba, quatenus .s. sum, es, est, in illis implicitè continetur, nam in tantum hęc propositio est bona; Petrus ambulat, in quantum potest reduci ad istam, Petrus est ambulans; & sicut in illa ly, ambulat, nõ est verũ prædicatum, sed gerit vicem prædicati, quatenus in ipsa implicitè continetur prędicatũ, ita neque est verũ signũ copulæ prędicati cũ subiecto, & per consequens neque verũ verbum, sed gerit vicem illius; & ideò per se, non conuenit illi ratio verbi.

58 Infertur secundò, quod hæc vox, Sum, es, est, in propositione de secundo adiacenti nõ est proprijssimè verbum; propter rationem immediatè dictam, quæ ęqualiter militat in hac voce pro vt sic, vt intuenti patebit; & etiam propter aliam insinuatã à Tatareto in Petrum Hispanum tract. 1. quem parum à mea sententia distantem inueni, propter aliam rationem. A qua sententia etiam non longè abest Rubeus in prim. Periher. cap. 3. dum ibi dicit; quòd licèt multa sint verba, vt lego, &c. tamen solum verbum substantiuum logico seruit.

Tandem infertur, quod hæc vox, Sum, es, est, extra propositionẽ apud

Logicos non est propriè verbũ, quia apud istos sola illa vox, quæ actu significat vnionem prædicati cum subiecto est propriè verbum, vt patet ex definitione verbi, quòd solùm in propositione potest illi conuenire, cùm solùm in ea prædicatum, & subiectum dentur.

59 Non possũ non patefacere ea, quæ multoties de hac re legi apud Eustachium à S. Paulo in Summa Philos. 2 p. Dialect. tract. 1. qu 2. s. hanc vocem, Sum, es, est, in propositionibus de tertio adiacenti, non tãtum esse verbum, quale hic ab Arist. definitur, quàm verbalem copulam; quia dicit, quòd ly est semper nota, &c. ponitur in definitione verbi ad ostendendum verbum, quod hic definitur ab Arist. habere simul vim copulæ, & prædicati, quod non habet, est, in prædictis propositionibus. Quam expositionem singularẽ chimericam semper existimaui, an fallar, nescio; remitto tamen hanc meã existimationem prudenti iudicio Doctiorum.

Sed dices, hæ voces, homo, leo, &c. extra propositionem sunt verè, & propriè nomina etiam apud Logicos, ergo saltem hæc vox, Sum, es, est, extra illam erit quoque verbum apud ipsos.

60 Resp. negando antecedens, quia prædictæ voces extra propositionem solùm sunt propriè nomina grammaticaliter, non autem logicaliter; nam cùm apud Logicos sola illa vox sit nomen, quod est subiectum, vel prædicatum propositionis scientificæ (& ideò à ratione nominis excluduntur termini infiniti, vt diximus) & nulla sit vox, cui extra propositionem hoc conueniat, ideò optimè dictũ est, quòd extra propositionem, nulla vox est nomen apud Logicos, neque Sum, es, est, est verbum apud ipsos.

Sed quæres, vtrũ verbum in omni propositione significet cũ tẽpore?

Ratio dubitãdi est, quia in propositionibus de æterna veritate videtur verbũ nõ significare cum tempore; quia in illis dicitur absolui à tẽpore.

Pro solutione propositæ difficultatis tria sunt explicanda. Primum, quid sit propositio æternæ veritatis. Secundum, quid sit verbum absolui à tempore. Tertium, quid sit verbũ significare cum tempore, & quomodo verbo hoc conueniat.

Circa primum dico, quòd propositio æternæ veritatis est illa, in qua prædicatum habet essentialem, vel necessariam connexionem cum subiecto, v.g. homo est animal, &c.

61 Circa secundum dico, quòd verbũ absolui à tempore nihil aliud est, quàm verbum non vnire extrema pro tempore per ipsum significato, v. g. in hac propositione æternæ veritatis, homo est animal, verbũ non vnit animal cum homine pro tempore à se significato, s. præsenti, ita vt sensus sit, homo solùm in præsenti est animal, sed absoluitur à tẽpore, & sensus huius propositionis est, homo in præsenti, præterito, futuro, & semper est animal, nam si nullus daretur homo, semper esset verũ dicere, homo est animal propter essentialem connexionem animalis cum homine, & hoc est verbũ absolui à tempore.

Circa tertium notãdum est, quòd verbum in propositionibus habet

duo;

duo; Primum est significare cũ tempore (quod non est aliud, quã significare aliquid competere alicui pro aliqua differentia temporis) & vnire extrema; quod est ei essentiale: Secundum est significare cũ tempore, & vnire extrema pro tempore à se significato; quod est ei accidentale, v. g. in hac propositione, Petrus est albus, verbum non solùm significat cum tempore; sed etiam vnit prędicatũ cum subiecto pro tempore à se significato: nam sensus illius est Petrus, nũc in pręsenti solùm est albus.

62 Ex quibus patet solutio quęsiti; nam licèt verbũ in propositionibus de ęterna veritate absoluatur à tempore, significat tamen semper cum tempore in illis, & in omnibus alijs.

Pro complemento istius, & pręteritæ sectionis notandum est, quòd cùm obiectum formale Logicę sint ea, quæ significantur per terminos vocales secundæ intentionis, vt dicemus disp. 1. ideò definitiones nominis, & verbi adductæ solùm sunt explicationes propriorũ subiectorũ nominalitatis, & verbalitatis, nisi dicamus, quòd in fine illorum subintelligatur ly denominata intrinsecè à quadam secunda intentione obiectiua, iux. doct. trad. disp. 4. sec. 1. q. 1.

SECTIO IX.

De Suppositione.

63 NOtitia essentiæ alicuius rei debet præcedere notitiam proprietatum illius, & ideò post explicationem naturæ, & diuisionem terminorũ, accedimus ad eius proprietates explicandas, quæ communiter hæ octo numerantur, s. suppositio, status, ampliatio, restrictio, distractio, alienatio, appellatio, & diminutio, in quarum explicatione plus temporis cõsumunt aliqui Sũmolistæ, quàm vtilitas rei petit, sed in hac re breuiter me expediam, tradendo solùm ea, quæ sunt vtiliora, omittendo reliqua.

Supposito ex dictis sect. 5. quòd voces nõ significent conceptus; sed res, pro conceptibus verò supponũtur, & conceptus non supponuntur pro rebus; sed primariò, & per se sunt manifestatiui rerum; ideò sic d. bet suppositio definiri: Suppositio est positio termini vocalis loco alicuius cõceptus formalis ad significatum eius manifestandum. Cùm autem ab intellectu non solùm res significata per terminum vocalem; sed etiam ipse terminus concipi potest; ideò

64 Suppositio primò diuiditur in materialem, & formalem. Materialis est positio termini vocalis loco conceptus formalis illum repręsentantis, v. g. in hac propositione, homo est vox, ly homo materialiter supponitur. Formalis verò est positio termini vocalis loco conceptus formalis suum significatũ ad placitũ repręsentãtis, v. g. homo est animal, vbi homo formaliter supponitur.

Suppositio materialis alia est intrinseca, & alia extrinseca. Prima est positio termini vocalis loco cõceptus formalis illum repræsentantis, prout subest alicui prædicato sibi intrinseco, v. g. homo est vox, in qua propositione ly homo tali supponitur suppositione. Secunda est positio termini vocalis loco cõceptus formalis illum repræsentantis, prout est sub aliquo prædicato

extrinsecè sibi conueniente, v.g. homo est nomen, vbi ly homo supponitur materialiter extrinsecè.

65 Suppositio verò formalis etiã est duplex: vna propria, & alia impropria. Prima est positio termini vocalis loco cõceptus formalis suũ significatum proprium repræsentãtis, v.g. in hac propositione, D. Thomas meritò Doctor Angelicus dicitur, ly D. Thomas, supponitur formaliter propriè: Secunda verò est positio termini vocalis loco cõceptus formalis suum significatum improprium repręsentantis, v.g. in hac propositione D. Thomas est benè depictus, ly Thom. supponitur suppositione formali impropria.

Deindè suppositio formalis propria alia est communis, & alia singularis, seu discreta. Prima est positio termini communis loco conceptus formalis suum significatum, vel sua significata repręsentantis, v.g. homo est animal, vbi ly homo tali suppositione supponitur: Secunda verò est positio termini singularis loco conceptus formalis suum significatum singularem repræsentantis, v.g. Petrus currit, vbi ly Petrus tali suppositione supponitur.

66 Primò, suppositio communis alia est simplex, alia personalis, & alia absoluta. Simplex est positio termini communis loco conceptus formalis suum significatum immediatum, & primarium præcisè sumptũ repræsentantis, v.g. homo est species, vbi ly homo tali supponitur suppositione. Personalis est positio termini communis loco conceptus formalis sua significata mediata repræsentantis, v.g. omnis homo currit, vbi ly homo personaliter supponitur. Tandem absoluta est positio termini communis loco conceptus formalis sua significata mediatum, & immediatum repræsentantis, v.g. homo est animal, vbi ly homo tali supponitur suppositione.

Secundò, suppositio communis alia est essentialis, seu naturalis, & alia accidentalis. Prima est positio termini communis loco conceptus formalis omnes suos inferiores existentes pro omni tempore repræsẽtantis, v.g homo est animal, vbi homo tali suppositione supponitur, quia non accipitur, prout significat solùm homines in præsenti existentes: sed prout significat preteritos, præsentes, & possibiles: Secunda est positio termini communis loco conceptus formalis suos inferiores existentes pro eo tempore tantùm, quod importatur per copulam repræsentantis, v.g. homo mouetur, vbi ly homo tali suppositione supponitur, quia non accipitur pro hominibus præteritis, & futuris; sed solùm pro existentibus in præsenti.

67 Tertiò, suppositio communis alia est distributiua, alia copulatiua, seu collectiua; alia determinata, & alia confusa. Distributiua est positio termini communis loco cõceptus formalis repręsentantis omnia sua significata copulatiuè sumpta, v.g. homo est animal, vbi ly homo tali supponitur suppositione, nam sensus est non solùm omnis homo est animal, sed etiam hic, & ille, &c. Copulatiua est positio termini cõmunis loco conceptus formalis repræsentantis omnes suos inferiores simul sumptos, v.g. Apostoli Christi

sunt duodecim; ex quo non licet inferre, ergo Ioannes est duodecim, sed ergo Ioannes; Petrus; &c. sunt duodecim: Determinata est positio termini communis loco conceptus formalis repræsentantis aliquem, vel aliquos ex suis inferioribus determinatè, & disiunctiuè, v. g. homo currit; nam sensus est, hic, homo, vel ille currit: Tandem confusa est positio termini communis loco conceptus formalis repræsentantis aliquem, vel aliquos ex suis inferioribus disiunctiuè, & indeterminatè, v. g. equus requiritur ad equitandū, ex quo, non licet inferre, ergo hic, vel ille determinatè requiritur, sed solùm in confuso.

68 Difficillimè aliqui assignant discrimen inter suppositionem determinatam, & confusam; facilè tamen ostenditur dicendo: quòd terminus, qui supponitur confusa suppositione, significat aliquem ex suis inferioribus; sed ita incerto, & indeterminato modo, vt nec ipse Deus, quamuis omnia perfectissimè comprehendat, aliquem determinatè discernere queat, cui ab ipso termino confusè supponente significetur, quia tale non est dabile: vt patet in exemplo adducto, in quo nō potest designari aliquis equus, de quo determinatè dici queat, hic equus est necessarius ad equitandum, quia in re nō est vnus magis necessarius, quā alter: Terminus verò, qui supponitur determinata suppositione, significat aliquem ex suis inferioribus, sed ita determinatè, vt saltē, qui comprehendit omnes illos, discernere queat aliquem determinatum, qui significetur ab ipso termino determinatè supponente; vt patet in exemplo adducto, in quo comprehendens omnes equos facilè designare potest supposita veritate propositionis aliquos equos, de quibus determinatè dicere queat, hi equi currunt, quia tale prædicatum dicit determinatam actionem exercitā, quæ petit à determinato principio procedere.

69 Tandem suppositio communis est duplex: Vna completa, & alia incompleta. Prima est positio termini generici pro conceptu formali repræsentantis suum propriū significatum, prout conuenit omnibus indiuiduis omnium specierum copulatiuè sumptis sub illo contentarum, v.g. omne animal est sensitiuū, vbi animal tali suppositione supponitur, quę suppositio solet etiam vocari pro singulis generum: Secunda est positio termini generici pro cōceptu formali repræsentantis suum proprium significatum, prout conuenit solū aliquibus particularibus omnium specierum sub ipso cōtentarum, v.g. omne animal fuit in arca Noè, vbi animal tali suppositione supponitur, quæ suppositio solet etiam appellari suppositio pro generibus singulorum.

Notandum est, quòd suppositiones facilè cognoscuntur, cognito modo significandi terminorum, qui modus ex vsu, ex intentione loquētis, & ex prædicatis, quibus limitantur, dignoscitur, v.g. si pro prædicato huius termini, omnes Apostoli, additur, iusti, supponitur distributiuè; si autem addatur duodecim, copulatè. & hæc de suppositione sufficiāt.

Quomodò autem resoluātur termi-

minorum ſuppoſitiones, perdoctè docet Trimarcus lib. 1. Sũmul. ſect. 7. & noſter Lalemandet in apparatu Iſagog. partit. 9. eos conſulite.

SECTIO VLTIMA.

De reliquis terminorum proprietatibus.

70 Status eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato, ſecundum illã tantùm differentiam temporis, quæ per copulam ſignificatur, v. g. Petrus diſputat, vbi ly Petrus habet ſuũ ſtatum, quia propoſitio reddit hunc sẽſum, Petrus, qui nunc exiſtit, nunc diſputat; & notandum eſt, quod tũc terminus habet ſuum ſtatum, quando prædicatum nequit illi conuenire, niſi præſuppoſita exiſtẽtia ipſius, v. g. Petrus eſt albus, & ſimiles.

Ampliatio, quæ opponitur ſtatui, eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato, non ſolùm ſecundùm illã differentiam temporis, quæ ſignificatur per verbum; ſed ſecundùm illã, & aliam; v. g. in hac propoſitione, homo eſt animal, ly homo ampliatur; nam ſenſus illius eſt, homo, qui eſt, fuit, & erit eſt animal.

Diſtractio eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato, ſecundùm diuerſam differentiam temporis, quæ per verbum ſignificatur, v. g. cæci vident, vbi ly, cæci, diſtrahitur; nam ſenſus eſt, qui fuerunt cæci, modò videant. Diſtinctionem diſtractionis ab ampliatione, quam aliqui negant, vide probatam apud Maſtrium hic.

71 Alienatio à multis ad diſtractionem reducitur, nam tunc terminus dicitur alienari, quando ei additur aliqua vox mutãs eius ſignificationem, v. g. homo mortuus dr̃ cadauer, vbi ly homo alienatur à propria ſignificatione ab illa voce, mortuus.

Reſtrictio eſt, quando alicui termino additur aliqua vox, per quam propriũ eius ſignificatum coarctatur, v. g. homines docti ſunt laude digni, vbi ly homines reſtringitur. Vnde notandum eſt, quòd valet cõſequẽtia à termino reſtricto ad amplum, & nõ è contra; vndè benè valet, eſt homo doctus; ergo homo, ſed non è contra.

Diminutio affinis eſt reſtrictioni; & eſt, quando terminus non habet ſuum integrũ ſignificatum; ſed per adiunctionẽ alicuius vocis reſtringitur ad ſignificandam tantùm partem, v. g. Aethiops eſt albus ſecundùm dentes, vbi ly albus caret ſuo integro ſignificato, & ideò dicitur diminui.

72 Notandum tamen eſt, quòd in diminutione non poteſt illa regula obſeruari, quæ obſeruatur in reſtrictione, non enim valet: eſt albus ſecundùm dentes, ergo eſt albus: Nam vt ait D. Th. 3. par. q. 16 art. 8. quando aliquid, quod indifferenter poteſt cõuenire toti, & parti, in ſolã parte inuenitur, indè totum nõ denominatur ſimpliciter tale, & ideò abſolutè non dicimus, Aethiops eſt albus; quando verò aliquid, de quo indubitatum eſt, non poteſt conuenire toti, niſi ratione partis, & conuenit parti, ſimpliciter, attribuitur toti, nam abſolutè dicimus, Petrus eſt criſpus.

Tandem appellatio eſt applicatio ſignificati formalis vnius dictionis prædicati ad ſubiectum, ratione ſignificati formalis alterius dictionis eiuſdem prædicati, v. g. Petrus eſt magnus logicus, vbi ly magnus, ſuũ ſigni-

significatum formale applicat Petro non pro vt Petrus est, sed pro vt Logicus. Vndè in illa solùm propositione datur appellatio, in cuius prædicato sunt duæ dictiones, quarum vna ratione alterius tribuitur subiecto. Dictio illa, cuius significatum formale tribuitur subiecto, dicitur dictio appellans; illa verò, quæ significat aliam formalitatem, ratione cuius altera applicatur subiecto, dicitur dictio appellata. Variatio appellationis solet parere plures fallacias, quæ in fine tertij libri explicantur, & hæc sufficiant de hoc primo libro huius introductionis.

LIBER SECVNDVS. DE ORATIONE.

Explicatis terminis propositionis, restat solùm, vt, quid ipsa sit, declaremus, quod commodè fieri non potest, nisi rationem genericam illius intelligamus; hæc autem est oratio, vt suo loco constabit, & ideò quid oratio sit, in primo loco huius secundi libri inuestigabimus. pro quo sit.

SECTIO I.
Quid sit Oratio.

73 ORatio sic debet definiri; oratio est vox, quæ supponitur pro cõceptu formali cõplexo denominata intrinsecè à quadam secunda intentione obiectiua. In qua definitione, vox, ponitur loco generis, quia per vocem conuenit oratio cum nomine, & verbo: & oratio dicitur vox, vt ostendatur, quòd si daretur aliqua vox, & quæ esset imposita ad significandum aliquod complexum, v.g si hæc vox, blictiri, imponeretur ad significãdum hominem album, verè apud Logicos esset oratio, & etiam, vt ostendatur, quòd non qualiscunque aggregatio vocum est oratio; sed solùm illa, quæ supponitur pro cõceptu formali complexo, ac proindè, quæ sumitur per modũ vnius. Quæ definitio colligitur ex his, quæ à D. Th. 1. Periher. lect. 6. asserũtur.

Dices cõtra prædictam definitionem; si hæc definitio esset bona, sequeretur dari orationẽ sine verbo, sed hoc implicat, ergo talis definitio non est bona; sequela patet, quia cũ hæc vox, homo albus, supponatur pro conceptu formali complexo, esset oratio, sed est sine verbo, ergo si hæc definitio esset bona, sequeretur dari orationem sine verbo. Minor etiam est manifesta; quia tunc idem esset oratio, & terminus complexus, quod implicat, quia ex hoc sequeretur, quòd idem esset totum, & pars; cùm oratio sit totum, & terminus pars: ergo quòd detur oratio sine verbo, implicat.

74 Resp concedendo sequelam; nam definitio ab Arist. vocatur oratio 1. topic. cap. 4. & tamen in ipsa non reperitur verbum, nam vt idem ait. 1. prior. cap. 4. *Ipsa hominis definitio non est enunciatio, nisi vel est, vel erit, vel erat, aut aliquid aliud addatur;* & negando minorem. Ad cuius probationem dicimus, quod nõ implicat,

quod

quòd vna, & eadem vox dicatur terminus complexus, & oratio, dūmodò hoc ei sub diuersa ratione conueniat, nam homo albus, v.g. dicitur terminus complexus, prout actu est subiectum, vel prædicatum alicuius propositionis, extra verò illam dicitur oratio. Quidquid dicat Rochus hìc lib. 1. cap. 10. dicens, quòd non videtur cōsentaneum, quòd homo albus, oratio appelletur.

Et hoc inuenitur etiam in propositione; nam vna, & eadem oratio, terminus propositionis, & propositio dicitur; Terminus, quatenus est pars alicuius propositionis, v. g. hominem esse animal est necesse; Propositio verò, quatenus actu non cōponit aliam, sed ipsa vnum de alio enuntiat.

SECTIO II.

De definitione.

75 Quia definitio inter orationes logicales est simplicior eo, quod caret verbo, cùm in ipsa nihil de alio prædicetur, vt dicit Arist. 2. poster. ac proindè non sit enunciatio, sed pars enunciationis, vt benè notat quidam Doctor in Analysibus in exercitat. Scaligeri de subtilit. cap. 24. ideò iure optimo ei primum locū damus.

Dari in rerum natura definitionē, est ita exploratum apud omnes Philosophos, vt nullus nostri temporis id negare fas esse duxerit, nam si nō daretur definitio, tolleretur omnis perfecta scientia à nobis, & ideò ea, quæ sunt sensibus manifesta, ignoraremus, nam cū omnis nostra perfecta scientia sit effectus demōstrationis, cuius medium est definitio, ablata definitione, tolleretur demōstratio, & per cōsequens omnis nostra scientia perfecta.

Vocatur igitur definitio ab Arist. 1. topic. cap. 4. terminus rei, sumpta metaphora ex terminis, & finibus agrorum, eo quod sicut fines agrorum, quidquid pertinet ad agros ita in se claudunt, vt etiam eos ab alijs secernant, sic definitio ita continet quidquid est de quidditate definiti, vt illud ab alijs rebus separatum esse explicet.

76 Communiter DD. diuidunt definitionem in definitionē nominis, & rei. Definitio nominis, quæ à Socrate appellatur initium cognitionis, est oratio explicans significationem alicuius nominis, quod sæpè fit per aliud nomen clarius, vel per ethimologiam illius, vt cùm dicimus, Apostolus est, qui mittitur: mulier, quæ mollis est aer: homo, qui ab humo traxit originem. Quæ ab Arist. 7. metaph. & 2. poster. explicatio appellatur. Definitio rei est oratio explicans naturam, & essentiam rei; v. g. animal rationale, dicitur definitio hominis.

Quadrupliciter autem differunt definitio nominis, & definitio rei. Primò per illud, quod in definitionibus vtriusque exprimitur. Secundò, quia definitio rei est tantùm entium: at definitio nominis est etiam non entium. Tertiò, quia definitio rei est solùm incomplexorum: Definitio verò nominis est etiam complexorum: Quartò tandem, quia definitio rei prius conuenit substantiæ, quàm accidenti: & definitio nominis æqualiter vtrique. Ex quo patet, quòd sola definitio rei, est pro-

propriè, & simpliciter definitio; & per consequens, quod hæc diuisio est talis, qualis est diuisio hominis in viuum, & pictum.

77 Relicta definitione nominis ad Grammaticos, venimus ad explicationem definitionis rei, quæ dicitur oratio, quia vna sola vox non potest clarè explicare essentiam alicuius rei, nam vnaquæque res essentialiter habet aliquid cum alijs commune, & aliquid sibi proprium, per quod ab alijs differt; id autem quod exprimit id, quod habet definitum cum alijs commune, in definitione, genus, aut veluti genus dicitur: id verò, quod exprimit id, quod est proprium definito, in definitione, differentia, dicitur, & ideò in vnaquaque definitione vocali debēt esse ad minus duæ voces: vna, quæ significet rationem genericam definiti, & alia rationem differentialē, seu propriā illius, quia nulla vox vniuoca, vt sūt voces tales rationes significantes, plures gradus significare potest. Vndè in hac definitione definitionis ly oratio significat rationem genericā definitionis, siquidem cōmune est definitioni cum diuisione, & argumentatione esse orationem; reliquę particulæ rationem differentialem, seu propriam illius significant.

78 Definitio rei primò diuiditur in essentialem, quæ solet appellari à priori; & in descriptiuam, quæ solet appellari à posteriori. Prima appellatur perfecta, & secūda imperfecta à Ramo, teste illo D. cit. loc. cit. Essentialis est illa, quæ explicat naturā, seu essentiam rei per partes essentiales illius; cum autem partes essentiales sint in duplici differentia; nā quędam sunt essentiales physicè, & quędam metaphysicè; ideò definitio essentialis est duplex: vna essentialis physica, & alia essentialis metaphysica: Prima est illa, quæ explicat essentiam rei per partes essentiales physicas illius, v. g. homo, si tali definitione definiatur; homo est cōstans corpore, & anima rationali: secunda verò est illa, quæ traditur per verum genus, & per veram differētiam definiti, quę sunt partes essentiales metaphysicæ illius, v.g. homo, si tali definitione definiatur; homo est animal rationale.

Definitio descriptiua est illa, quæ traditur per genus, & per aliquam proprietatem definiti loco differentiæ, v. g. homo, si tali definitione definiatur; homo est animal risibile.

79 Demum alia definitio vocatur causalis, quę est illa, quæ traditur per aliquam, vel per aliquas causas definiti, quæ si per intrinsecas, .s. per materialem, & formalem, nō differt ab essentiali physica, nam hæc est definitio causalis per causas intrinsecas hominis; homo est constans ex corpore, & anima rationali, quę, vt patet est etiam essentialis physica; si verò traditur per extrinsecas, .s. per efficientem, & finalem, ad descriptiuam reducitur, v. g. hæc est definitio hominis causalis per causas extrinsecas; homo est animal creatū à Deo propter beatitudinem, quæ etiam est descriptiua, vt patet.

Vtrum pręter enumeratas definitiones detur alia accidentalis, quæ sit media inter essentialē, & descriptiuam, & sit bona; vt est illa, quæ traditur per genus, & per aliquod accidens commune loco differentiæ, est diffi-

difficultas inter DD. ad cuius solutionem

80 Dico primò: Verè datur definitio accidẽtalis media inter essentialem, & descriptiuã, sed nullo modo est bona. Prima pars huius dicti patet, quia hæc oratio animal bipes nō est essentialis definitio hominis, vt patet, neque descriptiua, cum nō tradatur per propria definiti, sed est definitio, cum explicet, quid est homo, ergo prçter definitionem essentialem, & descriptiuam datur accidentalis media.

Secunda pars etiam constat, quia illa definitio est mala, quæ peccat contra aliquam regulam bonæ definitionis, sed hæc est huiusmodi; ergo est mala. Minor patet, quia vna ex regulis bonæ definitionis est, vt definitio, & definitum reciprocentur, sed hæc definitio non reciprocatur cum definito, neque definitũ cum definitione, ergo peccat cōtra aliquam regulã bonæ definitionis.

Dico secundò: Datur definitio accidentalis, seu quç traditur per accidentia communia definiti, quæ est bona: sed non est media inter essentialem, & descriptiuam, sed reducicitur ad descriptiuam: quidquid dicat Lalemandet hic partit. 3. num. 7. Quæque ab Aquario in 7. metaph. dilucid. 3. appellatur circumlocutiua; quæ est illa, quæ traditur per genus, & per aliqua accidentia definiti, quæ licet separatim sumpta conueniant aliĵs, tamen simul sumpta soli definito conueniunt, ac proindè sic accepta sunt illi propria, v. g. homo tali definitione sic definitur; homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum.

81 Notandum tamen est, quod præter enumeratas definitiones datur alia, quæ dicitur definitio per additamentum, quæ ab Aquario loco cit. appellatur respectiua, & est illa, in qua datur aliquid extrinsecũ definiti. Quæ, vt vult Flandria sept. metaph. q. 10. art. 1. est duplex. Vna sic cōmuniter dicta, & alia sic propriè dicta. Prima est illa, quæ datur per aliquod realiter distinctum, & diuersæ naturæ à definito, sed eiusdẽ prædicamẽti, & sic (vt ipse ait 5. metaph. quæst. 16. art. 2.) solum ponitur terminatiuè, seu obiectiuè in tali definitione. Tali modo relatiuum per correlatiuum definitur: Secunda verò est illa, in qua datur aliquid alterius prçdicamenti à definito, quo modo accidentia per subiectum definiuntur. Quæ tamen definitiones nō mediant inter essentialem, & descriptiuã, sed ad essẽtialẽ reducũtur.

82 Sed quæres, an definitio alicuius generis supremi per gradus communes, & sibi proprios intrinsecos: vt cũ substantiam, definimus esse ens per se existens, & definitio, qua definitur indiuiduum per collectionem multorum accidentiũ sibi propriorum, vt cum dicimus, Aristotiles est homo Nicomaci filius genere macedonicus discipulus Socratis, & Platonis, sectæ Peripateticæ Princeps; reducatur ad aliquam ex numerantis definitionibus.

Resp. cum nostro Clemente in Prodromo scientiarum p. 1. tract. 3. q. 2. Quod illa ad essentialem; hæc verò ad descriptiuam reducitur: Ratio est, quia illa traditur omninò per intrinseca definiti, hæc verò loco differentiæ habet plura extrinseca,

seu

seu est collectio plurimorũ extrinsecorum definiti.

83 Regulę, quas obseruare debet definitio, vt sit bona, sunt quinque; Quarum prima est, vt sit clarior definito. Faceret contra hanc regulã, si quis ita hominem definiret, homo est arbor inuersa: siquidem hęc oratio est obscurior ipsa voce, homo. Quæ regula pręter quàm quod ex definitione definitionis constet, colligitur etiam ex Arist. 6. topic. c. 4. vbi docet, quod, *Definitio talis esse debet, vt ipsa posita, statim nullo adhibito negotio, cognosci possit, cuius rei est definitio.*

Secunda est, vt definitum non intret in definitione; nam si ingrederetur, idem esset notius, & ignotius, cũ esset definitũ, & pars definitionis.

Tertia est, vt constet ex genere, & differentia, vel saltẽ aliquo supplente vicem generis, & differẽtiæ: quia vnaquæquè res essentialiter habet aliquid commune cum alijs, & aliquid sibi proprium.

84 Quarta est, vt definitio cõuertatur cum definito, & è contra, idest de omni, & solo illo, quod habet esse reale, de quo prædicatur definitum, prædicetur etiam definitio; & è contra. Diximus, quod habet esse reale: nã secundæ intentiones, quæ de definitione prædicantur, non debent de definito prædicari, neque è cõtra; nam de animali rationali, quæ est definitio hominis, prædicatur oratio, & definitio, quæ non prædicantur de homine, qui est eius definitum. Contra hanc regulam peccaret, si quis ita hominem definiret, homo est animal bipes; quia licet omnis homo sit animal bipes, non tamen è contra; nam gallina est animal bipes, quæ non est homo.

Vltima est, vt nihil superfluum in definitione detur, & nihil necessariũ omittatur, quia superfluum potiùs parit cõfusionem, quam claritatem: Diminutum verò in definitione facit, vt ipsa non explicet totam essentiam definiti.

85 Contradiceret huic regulæ, si quis ita hominem definiret; homo est animal rationale album; quia talis definitio traditur per superflua: hoc idem faceret, si quis ita illũ definiret; homo est viuens rationalis; siquidem in illa omittitur vltimum genus, scilicet animal, & ratione talis omissionis prędicta definitio peccat contra præcedentem regulam; nam talis definitio prædicatur de Angelo, de quo non prædicat definitum, s. homo.

Modus loquendi in definitione talis est. Inquirenti, quæ sit ista definitio, respõderi debet, est essentialis, vel descriptiua, vel physica, vel metaphysica; si verò inquiratur, qualis est ista definitio, responderi debet, bona, vel mala, (tunc erit bona, quando seruabit omnes regulas assignatas: tunc verò mala, quando contra vnam, vel cõtra omnes peccauerit,) quia bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu) non autem vera, vel falsa, quia veritas, & falsitas sunt proprietates ꝓpositionis, vt suo loco videbimus.

86 Tres modos Aristotelicos inuestigandi definitionem, vide apud Benedictum Pererium de communibus principijs rerum naturalium lib. 3. cap. 12. & notandum est, quod definitio, vt formaliter definitio, ad primam operationẽ mentis spectat,

licet

licèt, vt eſt enunciatio definitiua, v. g. homo eſt animal rationale, ad ſecundam ſpectet, & , ſi prout ſic ex aliquibus propoſitionibus deducatur, ad tertiam pertinebit. In quibus nolo amplius immorari, cum ſint valdè manifeſta.

Primum argumētum contra definitionem definitionis: Sicut actionis non eſt actio; quia abiretur in infinitum, ita neque definitionis definitio, ergo malè definitur definitio; cum definiri non poſſit.

Reſp. quod hic definitur definitio in actu ſignato, ideſt ſumpta pro ſecunda intentione, non autem in actu exercito, & ideò non ſequitur proceſſus in infinitum: quia omnes definitiones in actu exercito continentur ſub ipſa definitione in actu ſignato, & per conſequens ipſius definitionis definitio exercita; nā hæc definitio definitionis eſt etiam quædam definitio; & definitio, quæ traditur de ipſa definitione in actu ſignato, conuenit illi.

87 Secūdum ergo contra ly, oratio: Vna ſola vox poteſt ſignificare totam eſſentiam rei, v.g. humanitas, ergo malè definitio per orationem definitur.

Reſp. diſtinguendo anteced. Vna ſola vox poteſt ſignificare totam rei eſſentiā, indiſtinctè, & confuſè, concedo: diſtinctè, & clarè, nego; at definitio eſſentiam rei diſtinctè, & clarè explicare debet, quod vna ſola vox, vt diximus, præſtare non valet.

Vltimum argumentum contra diuiſiones definitionis: Sicut vnius rei vnica eſt eſſentia, ita & vnica definitio: ergò male aſſignātur plures ſpecies definitionis.

Reſp. quod vnius rei non poteſt aſſignari, niſi vnica definitio, quantum ad rem explicatam; poſſunt tamen plures aſſignari, quantum ad modum explicandi; nam eadem eſſentia per eſſentialia poteſt indicari, & per accidentalia circumſcribi.

Solent aliqui hìc explicare quænam definiri poſſunt; ſed, ne bis idē repetatur, relinquitur hoc modo; nam cum ex profeſsò de illis agemus, de quibus poteſt eſſe dubium, oſtendemus, an definiri, & qua definitione, valeant.

SECTIO III.

De distinctione definitionis à definito.

88 QVia in tota Philoſophia nolo amplius ex profeſſo de definitione agere, placuit hìc breuiter explicare, quomodo definitio, & definitum diſtinguātur; pro quo tamen videndum eſt id, quod de diſtinctione dico diſp. 5. q. 5. quo diligenter notato.

Dico primò: Significatum nominis definiri; & ſignificatum definitionis vocalis, v. g. ſignificatum huius vocis, homo, & ſignificatum huius definitionis vocalis, animal rationale, nullaten⁹ realiter diſtinguūtur. Hoc dictum expreſsè probatur ab Ariſt. 7. metaph. & cum eo ſunt omnes expoſitores, ibidem; & apertè deducitur ex quarta regula bonæ definitionis à nobis aſſignata ſect. præterita, vt intuenti patebit.

Dico ſecundò, definitio, & definitum accepta modo explicato in prima concluſione diſtinguntur ratione ratiocinata. Hoc dictum eſt contra Caietanum 1. poſter. cap. 3. & p. p. qu. 2. art. 1. Soncinam in 7. metaph.

metaph.qu.2. Flandriam in eod.loc. quæst. 10. art. 4. Iauellum ibid. q. 8. text. 4. Ripam de ente,& essentia ad 3. caput qu.3. Auersam qu.4.sect.4. & nostrũ Oliuam in Gemmea analoga p. 2. dub. 3. concl. 2. Est tamen iuxta doct. Complutensium in Physica disp. 6 qu. 4. §. 59.

89 Probatur primò, Si definitio, & definitum essent idem ratione ratiocinata, in demõstratione propter quid non essent nisi duo termini, cũ in ea demonstretur passio de subiecto media definitione eiusdem subiecti, sed hoc est absurdum, quia alias semper peteretur principium, quia idem per idem probaretur, ergo definitio, & definitum ratione ratiocinata distinguuntur.

Fortè respondebis negãdo sequelam, quia ad hoc sufficit distinctio rationis ratiocinantis, qualis in demonstratione intercedit inter definitionem,& definitum cum ibi fundent, seu sustentent diuersas secundas intentiones.

Sed contra est, quod si sola illa distinctio intercederet inter prædicta, adhuc daretur petitio principij intẽta in argumento; quia licèt talis distinctio versetur inter Petrum, & se ipsum, in hac propositione; Petrus est Petrus, tamen his non obstantibus hæc propositio est propositio identica.

90 Probatur secundò, ea, de quibus diuersa prædicata realia prædicantur, si nõ distinguuntur realiter, ad minus ratione ratiocinata distingui debent, sed definitio, & definitũ ita se habent, ergo distinguuntur ratione ratiocinata. Maior est manifesta, quia aliàs duę cõtradictorię essẽt simul veræ, quod est impossibile, vt infrà constabit. Minor patet, quia definitum est obiectum scientiæ, nõ autem definitio, sed est mediũ probandi passiones de obiecto, ergo, cũ non distinguantur realiter, vt patet ex prima cõclusione, cõsequens est, vt ratione ratiocinata distinguãtur.

Alias probationes huius dicti libenter adducerem, sed, quia est res, quæ excedit captum tyronum, in quorum gratia hęc introductio scribitur, ideò omitto; Videri tamen potest vna pulchra apud Lorinũ in Logica, tract. de definit. qu. 2. qui nostram ibi defendit sententiam.

91 Dices contra; idem est conceptus definitionis,& definiti, quia, qui concipit hominem, nihil aliud præcisè concipit, quam animal rationale, ergo definitio nõ distinguitur ratione ratiocinata à definito.

Resp. negando antecedens, quia licèt conceptus definiti,& definitionis sint cõceptus eiusdẽ rei, sunt tamen vnus cõfusus,& alius distinctus.

Sed contra instabis: Si prædicti conceptus solùm pęnes hoc, quod vnus sit confusus, & alius sit distinctus, differunt, tota distinctio inter illos est inter conceptus formales, non autem inter obiectiuos, & consequenter distinctio definitionis, & definiti solũ est rationis ratiocinãtis.

Resp. Quod confusio, & claritas cognitionis non tantùm se tenet ex parte intellectus cognoscentis, sed etiam ex parte rei cognitæ; nam Angelus superior, v. g. clariùs concipit muscam, quàm meus intellectus, claritate se tenente, non solùm ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti, quatenus ille illam com-

prehendit, non autem meus intellectus: clarius etiam illam cognoscit quā Angelus inferior; sed claritate se tenente solùm ex parte cognitionis, nō autem ex parte obiecti; cùm nō minus iste, quam ille illam comprehendat. Vndè definitio, & definitum eandem rem significant, sed diuersimodè, .s. definitio clarè: definitum verò confusè, claritate, & confusione se tenente non solum ex parte intellectus cōcipientis; sed etiam ex parte rei conceptæ; & ideò definitum, & definitio cum fundamēto in re ab intellectu distinguuntur.

SECTIO IV.

De Diuisione.

92 Diuisio est oratio, in qua totū in suas partes distribuitur, seu est oratio manifestans distribuēdo multiplicitatem, seu confusionem partium totius, v. g. hominis alia pars est corpus, & alia anima rationalis. Hæc definitio sic est explicanda, sicut præterita. Solùm tamen notandum est, quod res, quæ diuiditur appellatur totum diuisum; partes verò, in quas diuiditur, membra dicuntur diuidētia, & oratio, quę tales partes explicat, diuisio vocatur.

Vbi notandum est, quod per ly totum in suas partes, &c. differt diuisio à definitione, & argumentatione; nam definitio explicat, quid res sit, seu rei quidditatem, argumentatio, qualis res sit, idest, rei proprietatem, & qualitatem; diuisio verò quāta res sit, seu quantitatem, idest, quantum sua continentia se extendit per partes. Vndè quamuis diuisio explicando partes, cōsequenter manifestet essentiam rei realiter; nō tamen explicat illam formaliter, vt essentia est, vt facit definitio; sed solùm explicat multiplicitatem in tali essentia existētem, & ideò definitio explicat essentiam cōiungendo partes, & componendo totum. Diuisio verò disiungendo, quare diuisio directè, & per se ordinatur ad explicandam confusionem, seu multiplicitatem partium totius, non autem ipsum totum, vel eius quidditatem.

93 Communiter Summulistæ dicunt, duplicem esse diuisionem, .s. nominis, & rei. Diuisio, seu potius distinctio nominis est distinctio vocum in varias significationes, quæ illis possunt cōtingere, v. g. cum audio hoc nomen, canis, ex æquo significans quoddam sydus cęleste, & quoddam animal, inter vtramque significationem distinguo, quę diuisio solet etiā dici æquiuoci in æquiuocata, & etiam cum audio aliquam orationem amphibologicam, illam in duplicem sensum distinguo: diuisio verò rei est oratio, in qua aliqua res in suas partes distribuitur, vt cū dicimus, hominis alia pars est corpus, alia anima rationalis.

Quia essentiale est diuisioni, diuidere totum in suas partes: iuxta diuersos modos totius, diuersæ etiam erunt diuisiones; quare sicut totum est triplex, .s. potentiale, quod est illud, quod ita continet suas partes, vt ex illis non componatur, sed de illis tantū prędicari possit; actuale, quod est illud, quod continet partes, ex quibus componitur, & accidentale, quod est illud, cuius partes sunt subiectum, & accidens: ita etiam triplex est diuisio, vna potentialis, alia actualis, & alia accidentalis.

94 Di-

94 Diuiſio potentialis,quæ etiam vniuerſalis dicitur, eſt oratio, in qua totum diuiditur in partes, quas ſub ſe, & in potentia continet, quæ eſt duplex; vna vniuoci in vniuocata,& alia analogi in analogata. Prima eſt oratio in qua totũ diuiditur in partes, quas ſub ſe, & in potentia continet, in quibus æqualiter,& eſſentialiter repetitur, vt quando animal diuiditur in hominem, & leonem; & iſta eſt duplex; vna generis in ſpecie; & alia ſpeciei in indiuidua. Prima eſt illa, in qua totum potentiale diuiditur in partes, in quibus immediatè reperitur, vt pars illarum perfectibilis,v. g. animal aliud homo,& aliud equus: ſecunda verò eſt illa,in qua totum potentiale diuiditur in partes, in quibus reperitur, vt tota eſſentia illarum,v. g. homo, alius eſt Petrus,& alius Paulus. Partes.n. harum diuiſionũ dicuntur ſubiectiuæ.

Diuiſio analogi in analogata eſt oratio, in qua totũ diuiditur in partes, in quarum vna principaliter reperitur,& minùs prĩcipaliter in alijs, vt cum ſanum diuiditur in animal, medicinam,& vrinam. In qua diuiſione totũ diuiſum appellatur analogum, & membra diuidentia analogata, quorũ primum dicitur principale analogatum; quia ſolũ in illo ratio analogi ſimpliciter reperitur.

95 Diuiſio actualis eſt oratio, in qua totũ diuiditur in partes, ex quibus componitur, v. g. hominis alia pars corpus, & alia anima rationalis; & cum partes compoſiti ſubſtantialis ſint in triplici differẽtia; nam aliæ ſunt eſſentiales, quæ ſunt illæ, quæ ſpectant ad eſſentiam totius, & vna ſe habet per ſe,vt potentia, & alia,vt actus reſpectu alterius;& iſtę ſunt in duplici differentia; nam quædã ſunt eſſentiales phyſicæ, quæ ſunt illæ, quæ actualiter à parte rei diſtinguũtur, vt materia,& forma;& quædam metaphyſicæ, quæ ſunt illæ, quæ à parte rei ſolũ virtualiter diſtinguuntur, vt proprium genus, & propria differentia; & aliæ integrantes, quæ ſunt illæ, quæ & ſi ſingulæ non ſpectent ad eſſentiam rei, pertinent tamen ad integritatem rei materialis;& neutra eſt forma alterius, quæ ſi fuerint ſimiliares, & eiuſdem rationis,vt guttæ aquæ dicuntur homogeneæ; ſi autem fuerint diſſimilares,& alterius rationis, vt brachiũ, & caput in homine dicuntur heterogeneæ.

Ideò diuiſio actualis eſt triplex: Vna phyſica, quæ eſt illa,in qua totũ diuiditur in ſuas partes eſſentiales phyſicas, v. g. hominis alia pars corpus,& alia anima rationalis: alia metaphyſica, quæ eſt illa, in qua totum in ſuas partes metaphyſicas, diuiditur, v. g hominis alia pars animal,& alia rationale: & alia integralis, quæ illa eſt, in qua totum in ſuas partes integrales diuiditur,v.g. hominis alia pars caput, & alia pedes, &c.

96 Diuiſio accidentalis eſt illa, in qua totum accidentale diuiditur in ſuas partes, quæ eſt duplex, vna ſubiecti per accidentia, quæ eſt illa, in qua ſubiectum diuiditur per accidẽtia,quæ in ipſo Inhærent, v. g. homines alij albi, & alij nigri; & alia accidentis per ſubiecta, quæ eſt illa, in qua accidens diuiditur per ſubiecta, in quibus ineſt,v.g. album aliud nix, & aliud papyrum.

Addunt alij aliam diuiſionẽ, quã

vocant diuisionem accidentis in accidentia, vt cum dulce diuiditur in album,& flauum; sed re vera prædicta diuisio non est distincta ab enumeratis; quia si diuisum est de essentia membrorum diuidentium, vt cũ diuiditur coloratum in album,& nigrum, tunc pertinet ad diuisionem vniuoci in vniuocata, & adducta ad diuisionem generis in species, cum sensus illius sit, color alter nigredo, & alter albedo, si verò diuisum non est de essentia membrorum diuidẽtium, vt est in illa primo loco adducta, tunc pertinet ad diuisionem subiecti per accidentia, quia dulce, quod est diuisum, non sumitur pro forma dulcedinis, sed pro subiecto ipso dulci, cui accidit esse albũ, vel flauũ.

Tandem diuisio generis per differentias oppositas præcisè sumptas, vt cum animal in rationale, & irrationale diuiditur ad diuisionẽ subiecti per accidentia reducitur, vt benè notat Ouiedo hîc contr. 2. punct. 2.

Leges, quas obseruare debet diuisio, vt sit bona, sunt tres; quarum prima est, vt membra diuidentia sint opposita, idest, inter se distincta re, vel ratione, quia aliàs non erunt partes, de quarum ratione est se inuicẽ excludere. Secunda est, vt membra diuidentia seorsim sumpta sint inferiora diuiso, & illo cõiuncta ita adęquent, vt non excedant. Et ratio vtriusque est, quia diuisum est totũ, & membra diuidentia partes; totum autem licèt excedat vnam partem, non tamen excedit omnes, neque exceditur ab eis.

Dices: In diuisione, in qua homo diuiditur in animal, & rationale, animal, quod est membrum diuidens, excedit hominẽ, qui est totũ diuisũ, ergo non benè assignata est hęc lex.

98 Resp. quod animal dupliciter potest cõsiderari, vel put est quoddam totum potentiale, vel prout est pars actualis metaphysica hominis, & licet in priori acceptione hominẽ excedat, non autem in secunda, in qua in tali diuisione accipitur.

Vltima est, vt diuisio per immediata, & pauca membra tradatur, ne eorum multitudo obscuritatem, & confusionem pariat. Vbi est notandum, quod si omnia membra diuidẽtia alicuius diuisionis nota fuerint, quamuis plura sint, proculdubio diuisio, quæ traderetur per omnia ea, erit bona, quia licèt per accidens ex defectu nostri intellectus fortè generaret confusionem; secũdum se tamen esset manifestatiua multiplicitatis diuisi; circa quod videri potest Florinus in Isagogibus ad omnes Arist. lib. 5. de diuisione.

Cęterum, quia non semper nota sunt omnia membra diuidentia, vel dato quod sint nota, nõ tamen sunt necessaria ad propositũ, de quo agitur, ideò frequentiùs solet diuisio tradi per vnum membrũ positiuũ, & aliud negatiuum, vt cum dicimus animal aliud rationale, & aliud irrationale, vbi membrum negatiuum sumitur priuatiuè, vt, s significat carẽtiam alterius membri positiui intra proprium diuisum; quia aliàs diuisio contra secundã legẽ peccaret.

99 Modi arguendi in diuisione totius potentialis sunt tres. Primus est à diuiso ad omnia membra diuidentia,& è contra valet consequentia tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, vt, est animal, ergo rationale, vel irra-

tionale. Est rationale, vel irrationale, ergo animal. Secundus est, à mẽbro diuidenti ad diuisum valet affirmatiuè, nõ tamen negatiuè: à diuiso verò ad quodlibet membrũ diuidẽs valet negatiuè, non tñ affirmatiuè.

Tertius est à diuiso cum negatione vnius, vel plurium membrorum, secundùm qualitatem diuisionis ad affirmationem alterius membri restantis, benè valet, vt est animal non rationale, ergò irrationale. Est elemẽtũ, nõ est terra, aer, vel aqua, ergo est ignis. Modus autem loquendi in diuisione idem est, ac in definitione.

SECTIO V.
De essentia, & diuisionibus propositionis.

100 NOtandum est, quod propositio, & enunciatio pro eodem sumuntur, quidquid dicat Telez in Log disp. 16. sect. 1. differunt tamen solum, quia hæc oratio, v. g. homo est animal, dicitur enũciatio, quando accipitur absolutè: propositio verò, quatenus in argumentatione ponitur ad aliquod inferendũ, in qua acceptione etiã vocatur pręmissa, quia pręmittitur ad conclusionem inferendam.

Propositio, seu enunciatio duplici definitione ab Arist. fuit definita: quarum prima habetur 1. Periher. cap. 2. quæ sic se habet. *Propositio est oratio, in qua vnum de alio enunciatur:* Secunda verò habetur ibidem c. 4. quæ sic se habet. *Propositio est oratio, quæ verum, vel falsum significat.*

Sciendum est, quod prima ex his definitionibus est essentialis, secunda verò descriptiua, & ideò essentia propositionis consistit in hoc, quod est esse orationem, in qua vnum de alio enunciatur, seu vnum de alio prædicatur: Significare verò verum, vel falsum est proprietas propositionis; nam significare verum, vel falsum est quid posterius in propositione, quàm prædicare, seu enũciare vnum de alio; nam hæc causalis vera; quia in propositione vnum de alio prædicatur, ipsa significat verum, vel falsum: & hæc falsa, quia propositio significat verum, vel falsum, in ipsa vnũ de alio prædicatur. Quod optimè defendit noster Lalemandet in Logica disp. 7. partit. 5. & Murcia hìc disp. 3. qu. 1.

101 Dices contra: Illa definitio est essentialis alicuius rei, per quam res definita ab alijs sub eodem genere contentis differt, sed propositio per secundam definitionem differt ab alijs orationibus, vt patet, ergo secunda definitio à nobis adducta est essentialis.

Resp. distinguendo maiorem: Illa definitio est essentialis, per quam res definita differt ab alijs sub eodẽ genere contentis, si differt essentialiter per illam ab illis, concedo; si autem accidentaliter, nego. Propositio autem per prædictam definitionẽ, solũ accidentaliter ab alijs orationibus differt, eo modo, quo homo ab alijs animalibus per istã, animal risibile.

Propositio, seu enunciatio primò diuiditur in simplicem, seu categoricam, & in compositam, seu hipotheticam. Categorica est illa, quæ constat ex subiecto, & prædicato tãquam partibus principalibus, & ex verbo tanquam signo vnionis illarũ, v. homo est animal. Vbi est notandum, quod cùm integra propositio possit dici terminus alterius (vt

diximus lib. 1. sect. 2.) ideò hæc, & similes propositiones: homo est animal, est propositio, sunt propositiones categoricæ: Propositio verò hipothetica est illa, quæ cōstat ex propositionibus categoricis, tanquam partibus principalibus aliqua coniunctione vnitis, v. g. Petrus ambulat, & Paulus loquitur. Quæ est multiplex iuxta multiplicitatem cōiunctionum, quibus partes illius vniuntur; & ideo sicut alia coniunctio est copulatiua, ita alia hipothetica est copulatiua, &c.

102 Sed quæres qualis est ista diuisio?

Resp. quod talis diuisio est analogi in analogata; quod probat D. Th. de ente, & essentia cap. 6. & Murcia hìc disp. 3. quæst. 2. & colligitur etiā ex Arist. 2. Periher. cap. 4. vbi ait, *quod propositio categorica simpliciter est vna; hipothetica autem vna tantùm coniunctione, seù secundùm quid.*

Ratio quoque hoc suadet, nam essentia propositionis, vt diximus, est esse orationem in qua vnum de alio prædicatur, sed hoc tantùm secundum quid cōuenit hipotheticæ, cum vna propositio de alia non prędicetur (sed in ipsa solum quodammodo vniuntur inter se propositiones categoricæ, quod solum est vmbra prędicationis) simpliciter tamen hoc categoricè cōuenit, vt de se patet, ergo talis diuisio est analoga.

Dices cū Mastrio hìc, qui defendit, talem diuisionem esse generis in species: Terminus simplex, seu incomplexus, & complexus vniuocè cōueniunt in ratione termini, ergo & propositio simplex, & composita in ratione propositionis.

Resp. negando consequentiam, nam hoc, quod est esse extremum propositionis, seu subiectū, vel prædicatum, quod est essentia termini, vniuocè cōuenit termino complexo, & incomplexo: esse verò orationem, in qua vnum de alio prædicatur, non vniuocè conuenit propositioni simplici, & hipotheticæ, vt supra diximus.

103 Notandum tamen est, quod partes propositionis hipotheticæ, prout sic, non sunt termini logici; quia terminus logicus debet esse pars propositionis, quæ simpliciter sit propositio, quod non conuenit propositionibus hipotheticis, vt ex dictis patet.

Secundò diuiditur propositio in absolutam, seu de inesse; & in modalem. Prima est illa, in qua prædicatū tribuitur subiecto non exprimendo modum, quo hoc fit, v. g. homo est animal: Secunda verò est illa, in qua non solùm prędicatum tribuitur subiecto, sed etiam in ea exprimitur modus, quo prędicatum conuenit subiecto, v. g. homo necessariò est animal. Quæ diuisio est subiecti per accidentia, vt docet Mastrius hìc.

Tertiò, propositio diuiditur in propositionem de secundo adiacēti, & in propositionē de tertio adiacenti. Prima est illa, in qua prędicatum implicitè tātùm reperitur, v. g. Petrus ambulat: Secunda verò est illa, in qua prædicatum explicitè reperitur, v. g. Petrus est ambulans.

Vt autem aliæ diuisiones pateant, sciendū est, quod, sumpta metaphora à corporibus physicis, quatuor in propositione considerantur, s. forma, materia, quantitas, & qualitas.

Forma

Forma propositionis est vnio prędicati cum subiecto, secundum affirmationem, vel negationem; & ideò ratione formæ.

104 Diuiditur propositio in affirmatiuã, vel negatiuam. Hęc est illa, in qua negatio, non, reperitur negãter sumpta (quando autem neganter sumatur negatio iam explicuimus lib. 1. sect. 6.) v.g. homo non est lapis. Affirmatiua verò est illa, in qua talis negatio sit accepta nõ reperitur, v.g. homo est animal. Quæ diuisio est generis in species, vt docet D. Tho. 1. Periher. lect. 8. quē sequitur Acerbis in qq. Logic. lib. 3. q. 9. & pulchrè explicat Pontius in Log. parua cap. 10. n. 16. & pulcherrimè Ouiedo hic controu. 3 punc. 3. copiosiùs tamen Io. à S. Th. q. 5. de enunciat. art. 4.

Deinde materia propositionis est habitudo prędicati cũ subiecto antecedens actualem prædicationem, quæ est triplex, .s. naturalis, quando, .s. prædicatum est de essentia subiecti, quæ dicitur naturalis essentialis, vel propria passio illius; quæ dicitur purè naturalis: contingens, quãdo, .s. prędicatum est accidens commune respectu subiecti, & si tale accidens naturaliter cõueniat subiecto, dicitur materia contingens naturalis: secus autem si est quoddam donũ supernaturale, quia tunc dicitur materia contingens supernaturalis: & remota, seu repugnans, & impossibilis, quando, .s. prædicatum repugnat subiecto.

105 Vnde ratione materiæ enunciatio diuiditur in illam, quæ est in materia naturali essentiali, quæ est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vt homo est animal; & in illã, quę est in materia purè naturali; quæ est illa, in qua prædicatum est passio, seu proprietas subiecti, vt homo est risibilis: & in illam, quæ est in materia contingenti naturali quę est illa, in qua prædicatum est accidens commune subiecti, illiq; naturaliter conueniens, v.g. homo est albus; & in illam, quæ est in materia contingenti supernaturali, quæ est illa, in qua prædicatum est accidens commune subiecti, & illi solum supernaturaliter cõueniens, vt homo est carus Deo; & in illam, quæ est in materia remota, quæ est illa, in qua prędicatum repugnat subiecto, vt homo est irrationalis.

Et notandum est primò, quod in prędictis enunciationibus hęc regula obseruatur, .s. quod in materia naturali semper affirmatiua est vera, & negatiua falsa: in materia remota res è contra se habet: in materia autem contingenti tàm negatiuæ, quàm affirmatiuæ veritas, & falsitas accidere possunt. Quæ omnia sunt per se manifesta.

106 Secundò notandũ est, quod manente eodem prædicato, & subiecto, semper manet eadem materia propositionis, quantumuis ipsa varietur per affirmationem, vel negationem: vniuersalitatem, vel particularitatem: aut veritatem, vel falsitatem, quia semper manet illa habitudo extremorum, quæ cõsideratur ante ipsam actualem prędicationem, & ideò hæ propositiones sunt in materia naturali, homo est animal, homo non est animal: & istæ in materia contingenti, Petrus est albus, Petrus non est albus; & tandem istæ in materia remota: homo est

lapis, homo non est lapis.

Tandem notandum est cum Magistro meo P. Io. Perer nostræ Prouinciæ Catalonia decore in manuscriptis: aliud esse materiam propositionis esse necessariam, contingētem, vel impossibilem; & aliud ipsā propositionem esse necessariam cōtingentem, vel impossibilem, nam in eadem materia necessaria sit propositio impossibilis, v.g. homo non est animal, quæ est in materia necessaria iuxta dicta, & tamen est propositio impossibilis, quia impossibile est, quod vnquam sit vera.

107 Quantitas propositionis est extensio, vel limitatio subiecti eiusdē ad plura, vel pauciora; vndè propositio ratione quantitatis diuidi solet in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis est illa, quæ ante subiectū habet aliquod signum vniuersale. Signū autem vniuersale dr̄ illud, quod facit, vt terminus cōmunis, cui immediatè vnitur, accipiatur pro omnib⁹ suis significatis, quę sunt omnis, nullus, &c. v.g. omnis homo est animal. Particularis est illa, quæ ante subiectū habet aliquod signū particulare: Signum autem particulare est illud, quod facit, vt termin⁹ cōmunis, cui immediatè vnitur, accipiatur pro aliquibus tātùm ex suis significatis; quæ sunt aliquis, quidam, &c. v.g. quidam homo est animal. Indefinita verò est illa, in qua nullum signū ante subiectum reperitur, & ipsum subiectum est terminus communis, v.g. homo est animal. Tandem singularis est illa, in qua ante subiectū nullum signum reperitur, & subiectum est terminus singularis, v.g. Petrus est homo. Quæ diuisio est subiecti per accidentia, vt optimè ostendit Mastrius hìc tract. 2. cap. 4.

Sed quęres, cur quantitas enūciationis attendatur ex parte subiecti.

Resp. ex Nicolao de Orbellis in Petrum Hispanū super lib. Periher. §. de proposit. Quod subiectū propositionis habet rationem materiæ, materiam autem consequitur quātitas, & ideò quantitas propositionis ex parte subiecti illius attenditur.

108 Notandum est, quod si indefinita est in materia necessaria, seu naturali, vel remota, æquiualet vniuersali, v.g. homo est animal, idē valet, ac omnis homo est animal, & si in materia cōtingēti æquiualet particulari, v.g. homo est musicus, idē valet, ac quidam homo est musicus.

Qualitas propositionis est veritas, vel falsitas eiusdem, vnde proposit.o ratione qualitatis diuiditur in verā, & falsam. Prima est illa, quæ enūciat rem, sicuti est, v.g. homo est animal; Secunda verò illa, quæ rem aliter, ac est, enunciat, v.g. homo est lapis.

Pro complemento huius sectionis notandum est, quod si quis quærit de aliqua enunciatione, quęnam sit, debemus ei respondere, esse affirmatiuam, vel negatiuam, categoricam, vel hipotheticam. Et si quærat, qualis sit, dicere ei debemus, esse veram, vel falsam, de inesse, vel modalem; & si dicitur, quanta sit, esse vniuersalem, particularem, indefinitam, vel singularem.

SECTIO VI.

De oppositione propositionum absolutarum.

109 Sicut ex habitudine, quā vnus terminus in propositione dicit

dicit ad alterum, resultant variæ eorum proprietates, .s. suppositio,&c. ita ex comparatione vnius propositionis ad alteram resultant quædam eorum passiones, .s. oppositio, æquipollentia,& cõuersio. In hac sectione de oppositione, in sequentibus verò de alijs agemus.

Oppositio est repugnantia duarũ propositionum in vtraque qualitate essentiali,habentium idem subiectũ eodem modo acceptum, & idẽ prædicatum. Explicatur definitio: Dicitur repugnantia, per quod conuenit cum oppositionibus realibus, à quibus per ly duarum propositionũ differt. Ponitur etiam hęc particula, vt ostendatur, quod eadem propositio sibi ipsi non opponitur. Dicitur in vtraque qualitate essentiali, idest in affirmatione, & negatione; nam affirmatio, & negatio qualitates propositionis non accidentales, vt veritas, & falsitas, sed essentiales sunt; nam quælibet differentia qualitas essentialis sui generis dicitur, vt disp. 4. explicabimus. Dicitur eodẽ modo acceptum,idest,quod in vtraque propositione eodem modo subiectum statui debet, hoc est, debet seruare eãdem suppositionem, ampliationem,vniuocationem, idem tempus,& locum. Tandem dicitur habentium idem prædicatum, nam si in vtraque non est idem prædicatum, nullo modo formaliter opponuntur,vt patet in istis, Petrus est calidus, Petrus est frigidus, quæ licet sint propositiones materialiter oppositæ, quia constant ex prædicatis contrariè oppositis, vt benè notat Horneius in exercit. logic. exercit. 6. non tamen formaliter, quia non habent idem prædicatum.

110 Oppositio est duplex: vna contraria,& alia contradictoria. Cõtraria est oppositio duarum propositionum nõ solum in vtraque qualitate essẽtiali; sed etiam in vna qualitate accidentali, .s. in veritate: ita vt nequit esse vtraque vera, benè tamen vtraque falsa in materia cõtingenti. Hac oppositione opponuntur duæ vniuersales oppositæ, vt nullus homo est animal, omnis homo est animal; & duæ indefinitæ in materia necessaria, vt homo est animal, homo non est animal, quia indefinitæ in materia necessaria æquiualent vniuersalibus (vt supra dictum est) & vniuersalis negatiua cum singulari affirmatiua; vt nullus homo est albus, hic homo est albus, & vniuersalis affirmatiua cum singulari negatiua, vt omnis homo est albus, hic homo non est albus.

Oppositio contradictoria est oppositio duarum propositionum, nõ solum in vtraque qualitate essentiali, sed etiam in vtraque accidentali: ita vt,sicut nequit vtraque esse vera, ita nequit vtraque esse falsa. Quæ oppositio est maior prima, vt de se patet.

111 Ex quibus facilè colligitur, quod prędictæ duæ oppositiones essentialiter distinguuntur: quidquid dicat Amicus tract.21. disp. 3. qu.2. dub. 2. nec contra hoc facit id,quod ipse ibidem dicit, .s. quod oppositio contraria, & contradictoria non differunt ratione qualitatis,sed tantum ratione quantitatis propositionis;nã hoc ex dictis patet esse falsũ, & magis ex dicendis sect. sequ. patebit.

Oppo-

Oppoſitio contradictoria accidētali diuiſione diuiditur in purè contradictoria,& in contradictoria ſubcontraria. Sub primo membro cōtinentur vniuerſalis affirmatiua cū particulari negatiua, vt omnis homo eſt animal, quidam homo non eſt animal;& vniuerſalis negatiua cū particulari affirmatiua,vt nullus homo eſt animal, quidā homo eſt animal; & ſingularis affirmatiua cū ſingulari negatiua, vt hic homo eſt animal,hic homo non eſt animal. Deinde ſub ſecundo membro continentur particularis affirmatiua cū particulari negatiua,vt quidam homo eſt animal, quidam homo non eſt animal: & duæ indefinitæ oppoſitæ in materia cōtingenti; quia indefinitæ in materia contingenti æquiualent particularibus, vt homo eſt albus, homo non eſt albus: & particularis affirmatiua cum ſingulari negatiua, vt quidam homo eſt animal, hic homo non eſt animal: & particularis negatiua cum ſingulari affirmatiua, vt quidam homo non eſt animal,hic homo eſt animal.

112 Pro perfecta intelligentia dictorum, quæres primò, an verum ſit quod ſubcontrariæ non differant eſſentialiter à contradictorijs.

Reſp. quod eſt veriſſimum, nam definitio contradictoriarum eis cōuenit, vt de ſe patet.

Sed dices: in materia cōtingenti non opponuntur in veritate,vt cum dicimus,quidā homo eſt albus, quidam homo nō eſt albus,ergo definitio contradictoriarū eis nō cōuenit.

Reſp. quod falſum eſt, quod hæ propoſitiones prout ſunt oppoſitæ, non opponantur in veritate, licet aliàs poſſint non opponi in veritate, ſi in eis varietur ſuppoſitio, idest ſi in vna propoſitione ſubiectum ſupponatur pro certis indiuiduis, & in alia pro alijs, ſed tunc non ſunt oppoſitæ, cum definitio oppoſitionis eis non conueniat.

Nota, quod prædictam diuiſionē accidentalem oppoſitionis contradictoriæ tradimus, vt aliquo modo cum communi Summuliſtarū nos conferamus, à quibus ſolum ſtudiū veritatis aliquandò non ſeparet. Talis igitur diuiſio cōſiſtit in hoc,quod purè contradictorias illas appellamus, quæ à Summuliſticis abſolutè contradictoriæ dicuntur, illas verò appellamus cōtradictorias ſubcontrarias, quæ à Summuliſt. appellantur ſubcontrariæ,quia exiſtimamus, quod ſic eſſent ab illis appellatæ, ſi earum oppoſitionem aduerterent.

113 Quæres ſecundò, cur ſubalternas excludimus ab oppoſitis?


Reſp. quia non ſunt oppoſitæ; nā eis non conuenit definitio oppoſitionis, quia non repugnant in qualitate eſſentiali; & ideò à Verſorio in Petrum Hiſpanum tract.1.dicuntur oppoſitæ ſolum ſecundùm modū, non autem ſecundùm rem; quia in ſola quantitate opponuntur; & ſic propriè non ſunt oppoſitæ, ſed diuerſæ quantitatis.

Quæres tandem: quid eſt ſubalternatio propoſitionū, & quæ propoſitiones ſunt ſubalternæ?

Reſp. quod ſubalternatio propoſitionum ſic poteſt deſcribi: Eſt repugnantia duarum propoſitionum habentium idem ſubiectum eodem modo acceptum,& idem prædicatū in ſola quantitate. Hęc definitio ita eſt

est proportionaliter explicāda, vt explicauimus definitionem oppositionis, vt sic. De quorum veritate, & falsitate agemus quæstione sequēti, & nota, quod vniuersalis affirmatiua subalternat particularē affirmatiuā; vt, omnis homo est animal, quidam homo est animal: & vniuersalis negatiua particularem negatiuā; vt, nullus homo est animal, aliquis homo non est animal: & vniuersalis negatiua singularem negatiuam; vt, nullus homo est animal, hic homo non est animal: & vniuersalis affirmatiua singularē affirmatiuam; vt, omnis homo est animal, hic homo est animal: & particularis affirmatiua singularem affirmatiuam; vt, quidam homo est animal, hic homo est animal: & tandem particularis negatiua singularem negatiuam; vt, quidam homo non est animal, hic homo non est animal.

114 Ex quibus colligitur, quod tria genera propositionū opponuntur oppositione cōtraria; & alia tria genera oppositione contradictoria purè contradictoria; & oppositione cōtradictoria subcōtraria etiam alia tria genera; & sex oppositione subalterna; vnde quindecim genera ꝓpositionū quodāmodò oppositarū reperiuntur, quæ oīa maioris claritatis gratia in hac noua figura ꝓponūtur.



115 Ad cuius intelligentiam solùm est notandum, quod prima oppositio est purarum contradictoriarum; secunda contradictoriarum subcontrariarum; tertia contrariarum; quarta subalternarũ; vndè illæ propositiones, quæ in proposita figura se respiciunt per lineam signatam num. 1. opponuntur purè contradictoriæ, & illæ, quæ se respiciunt per lineam signatam num. 2. opponuntur contradictoriè subcõtrariæ, & illæ, quæ se respiciunt per lineam signatam num. 3. opponuntur contrariè, & tandem illæ, quæ se respiciunt per lineam signatam n. 4. opponuntur subalternè.

SECTIO VII.

In qua doctrina in superiori sectione tradita dilucidatur.

116 DIximus in definitione contradictoriarum, quod contradictoriæ sunt oppositæ non solũ in veritate, sed etiã in falsitate, idest, quod in nulla materia possunt esse simul veræ, aut simul falsæ; quod patet, quia sicut est impossibile, idem simul esse, & non esse, ita impossibile est, vt idem simul affirmetur, & omnino negetur de eodem, quod fit per oppositionem contradictoriam, quatuor cõditiones desideratas ad veram contradictionem, vide sect. 13. lib. 3. §. de fallacia redargut.

Restat solùm explicare, an omnia sex genera propositionum enumeratarum in tali oppositione verè tali oppositione opponantur. Et in primis de duobus primis generibus, .s. de vniuersali affirmatiua cum particulari negatiua: & de vniuersali negatiua cum particulari affirmatiua nullus dubitat, sed communiter ab omnibus conceditur. Deindè de tertio genere, .s. de singulari affirmatiua cũ singulari negatiua etiam ab omnibus admittitur, & est res expressa apud Arist. 1. Periher. cap. 2. quæque à Versorio in Petrum Hispanum tract. 1. dicuntur oppositæ solùm secundùm rem, quia in solis qualitatibus opponuntur, & non secundùm rem, & modum, quia non opponuntur in quantitate.

117 Restat solum difficultas de alijs tribus generibus, quę à me solo cõtradictoria oppositione essentialiter opponi dicuntur, quia eis definitio contradictoriarum competit, & quia nihil habẽt, per quod essẽtialiter à cõtradictorijs distinguantur.

Hæc duo dicta sic ostendam, & primò primum inductiuè sic: in primis duæ particulares oppositæ in nulla materia possunt esse simul falsæ, quia sequeretur dari duas cõtradictorias simul veras; nam si duæ particulares oppositę sunt simul falsæ, earum cõtradictoriæ necessariò erunt veræ, cum autem cõtradictoriæ propositionum particulariũ oppositarum sint duæ vniuersales oppositæ oppositione contraria; & ex duabus contrarijs simul veris sequãtur duæ contradictoriæ simul veræ, vt infra ostendemus, euidens est, quod ex duabus particularibus oppositis simul falsis sequantur duæ contradictoriæ simul veræ.

118 Deindè neque possunt esse simul veræ; nam ex hoc, quod duæ particulares oppositæ sint simul veræ in materia necessaria, & remota, sequuntur etiam duæ cõtradictoriæ simul veræ; quia sequuntur duæ cõ-

trariæ

trariæ simul veræ, ex quibus illud sequitur; nam ex duabus particularibus subalternatis in materia necessaria, vel remota simul veris, sequitur duæ *illæ* subalternãtes simul veræ, quæ sunt duæ vniuersales oppositæ oppositione contraria. In materia autem contingenti, licèt vtraque sit vera, quia ex hoc nõ sequũtur duæ contradictoriæ simul veræ, quia contradictoriæ particularium sunt vniuersales oppositæ, quæ, in materia contingenti, possunt esse simul falsæ, vt infra dicemus, tamen prout sunt simul veræ, non sunt oppositæ, vt diximus sect. præter. in solutione cuiusdam obiectiũculæ, ergo duæ particulares oppositæ nequeũt esse simul veræ, neque simul falsæ, & consequenter eis conuenit definitio contradictoriarum.

119 Preterea neque particulares, & singulares oppositæ possunt esse simul veræ in materia necessaria, & remota, quia aliàs duæ contrariæ essent simul veræ, cum illæ istis subalternentur, & subalterna in materia necessaria, & remota, vel vtraque est vera, vel vtraque est falsa, vt infra dicemus. Ex quo sequeretur incõueniens iam assignatum.

Deindè neque possunt esse simul falsæ; quia aliàs propter dicta, duæ contrariæ in materia necessaria, & remota essent simul falsæ; quod est contra naturam contrariarum infrà explicandam. Demum in materia cõtingenti prædictæ enunciationes nequeunt esse simul veræ, quia aliàs duæ contradictoriæ essent simul veræ; nam hic homo non est albus; cõtradictoriè opponitur, hic homo est albus, quæ subalternatur quidam homo est albus, ex veritate autem subalternantis sequitur veritas subalternatæ, vt infra patebit, & consequẽter ex veritate particularis affirmatiuæ, & veritate singularis negatiuæ sequuntur duæ contradictoriæ simul veræ.

Neque possunt esse simul falsæ prędictæ propositiones in prędicta materia; quia sequerentur duæ particulares oppositæ simul falsæ, nam vna iã supponitur falsa, & alia quoq; falsa esset; cum sit subalternans singulari, quæ supponitur etiam falsa; cum autem ex falsitate subalternatæ in omni materia sequatur falsitas subalternantis, vt infra patebit, consequens est, vt ex falsitate duarum propositionum oppositarum, vna particularis, & alia singularis, sequatur, quod duæ enunciationes particulares oppositæ essent simul falsæ.

120 Secundum dictũ satis ex dictis in hac, & in pręterita sectione patet, nam in illis, pręter diuersitatẽ quantitatis, nihil reperitur, quod nõ sit etiam in istis, quæ diuersitas non facit ad diuersitatem essentialem oppositionis.

Diximus etiam in definitione cõtrariarum, quod contrariæ sunt oppositæ in vna solùm qualitate accidentali, .s. in veritate, idest, quod nõ possunt esse simul veræ in vlla materia, benè tamen simul falsæ in materia contingenti, in materia autẽ necessaria, & remota, vna vera, & alia falsa semper est. Quod autem contrariæ vniuersales in vlla materia nõ possint esse simul veræ, patet, quia aliàs darentur duæ contradictoriæ simul veræ; nam si hęc propositio, omnis homo est albus, esset vera, etiam

etiam particularis sub illa contenta, .s. aliquis homo est albus, erit vera; sed hęc est contradictoria alterius negatiuæ, .s. nullus homo est albus, ergo, si hęc esset vera, darentur duæ contradictoriæ simul verę; quod patet etiam de aliis, .s. de vniuersali, & singulari, quia aliàs etiam sequerentur duæ contradictoriæ simul veræ, nam si, v.g. vniuersalis affirmatiua esset vera, & singularis negatiua, sequitur, quod singularis affirmatiua sit etiam vera, quæ opponitur contradictoriæ cum singulari negatiua; quia singularis affirmatiua subalternatur vniuersali affirmatiuæ, & ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ, vt infrà patebit.

121 Deindè, quod in materia cõtingenti vtraque propositio sit falsa, patet in his propositionibus, omnis homo est albus, nullus homo est albus; nam ex falsitate propositionis vniuersalis in materia contingenti nõ rectè infertur in tali materia falsitas particularis, v.g. ex hac falsa, omnis homo est albus, non benè infertur, hanc esse falsam, .s. aliquis homo est albus, quia prædicatum contingẽs aliquibus inferioribus subiecto, licèt non omnibus, potest conuenire.

Dices contra hanc legem. Ideò in contradictorijs non possunt ambæ simul esse verę, vel falsæ in quacunque materia, quia in illis propositio affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam, sed hoc idem contingit in contrarijs, ergo ipsæ non poterũt esse simul falsæ in quacunque materia; Minor patet, quia hæc propositio, omnis homo est animal, totaliter remouetur per hanc, nullus homo est animal, siquidem inter eas nullum relinquitur medium.

122 Resp. cum Complut. hic cap. 6. quod propositio vniuersalis affirmatiua præcisè in quantum talis abstrahendo ab hoc, quod sit in hac, vel illa materia, non remouetur totaliter per vniuersalem negatiuam, nam inter omne, & nullum mediat aliquid, vt patet, atque ita duæ vniuersales secundum se verè habent medium, & consequenter inter illas non est totalis remotio: quando verò vniuersalis affirmatiua, & negatiua sunt in materia naturali, tunc ratione materiæ nullum habent medium, quia non est possibile, vtramque vniuersalẽ esse falsam, si aliqua particularis est vera, quãdoquidem eadem ratione, qua verum est, aliquem hominem esse animal, est etiã verum ratione materię, omnem hominem esse animal.

Restat solũmodò explicare, quomodo se habent in veritate, & falsitate subalternæ, & an omnes enumeratæ sect. pręt. sint subalternæ.

123 Et certè in hoc vltimo nulla potest esse difficultas, cum ad subalternationem solũ requiratur, quod vtraque cõstet eodem subiecto eodem modo accepto, & eodem prędicato, & vna sit maioris quantitatis alia; quæ omnia reperiri in omnibus generibus propositionũ subalternarum enumeratarũ sect. pręt. est res omninò manifesta, vt intuẽti pateb.

Vndè circa veritatem, & falsitatẽ subalternæ sic se habent, in primis vniuersalis affirmatiua cum particulari affirmatiua, & cum singulari affirmatiua: & vniuersalis negatiua cum particulari negatiua, & cũ singulari

gulari negatiuā in materia naturali, & remota si vna est vera, alia etiam est vera, & si vna est falsa, etiam alia est falsa, si sūt prędicationes directæ, si autē sint indirectę, vna erit falsa.s. vniuersalis, & alia vera.s. particularis.

124 Tunc autem enunciatio est prędicatio directa, quādo in ea prędicatur id, quod prędicari debet; debet autem prędicari superius de inferiori, vt animal de homine; distinctum de confuso, vt definitio de definito vt viuens sentiens de animali, & accidens de subiecto, vt grauitas de lapide: tunc autē indirecta, quando res è contra se habet; in materia verò contingenti vniuersalis potest esse falsa, particularis autem vera, sed nō è contra. In particulari verò affirmatiua cum singulari affirmatiua, & in particulari negatiua cū singulari negatiua, res eodem modo se habet in materia necessaria, & remota, siuè sint enunciationes directæ, siuè indirectę, vt se habet in vniuersalibus directis respectu particularium, & singularium in ijsdem materijs: in materia verò contingenti res è cōtra se habet in istis, & in illis; nam non potest esse singularis falsa, & particularis vera; benè tamen è cōtra. Quæ omnia ex se satis patent.

125 Hic non possum tacere maximam vanitatem cuiusdā moderni Petri Gassendi nomine in lib. exercit. paradox. aduersus Aristoteleos, exercit. 8. vbi conatur ostendere, quod Aristoteles in multis sibi contradicit & inter alia, (vt dicit) quia lib. 1. de interpr. propositiones contradictorias vult esse, quarum altera est vniuersalis affirmatiua, & altera particularis negatiua, & lib. 2. facit contradictorias duas particulares, quarum altera affirmet, & altera neget, v.g. Callias est iustus, Callias non est iustus. At certè maxima vanitas, seu potiꝰ temeritas est, dicere, quod tàm grauis Philosophus sibi contradicat in hoc, cum nō solum in lib. 2. de interp. sed neque in alio loco ex suis operibus non reperitur tale dictum, s. quod duæ particulares, vna affirmatiua, & alia negatiua contradictoriè opponātur, imò multò minus, quod istę propositiones, Callias est iustus, Callias non est iustus, sint particulares, cum omnibus pateat esse singulares, dempto Gassendo, qui profitetur peripateticos impugnare, cum tamen principia, & terminos illorum non intelligat.

SECTIO VIII.

De æquipollentia propositionum absolutarū.

126 Æquipollentia est ęquiualētia duarum propositionū oppositarum in significato ob negationem subiecto vnius prępositam; vel postpositam; vel prępositam, & postpositam simul: Vndè negatio est, quæ ppositiones oppositas reddit in sensu ęquiualentes: nam cum sit malignantis naturæ, tollit quidquid post se inuenit, hoc est, quod si inuenit propositionem affirmatiuā, reddit negatiuam; si vniuersalē, reddit particularem; & è contra. Proprietates huius negationis, non in ordine ad ęquipollentiam Arriaga hic in his duobus versibus clausit.

Omnis non, sonat nullus; non omnis, aliquis non;

Non omnis non, sonat quidam.

Addunt etiam communiter aliū versū, in quo tres regulæ continētur osten-

ostendentes quomodo oppositæ ꝓpositiones cuiuscunque oppositionis reddũtur ęquipollentes, qui hoc modo se habet.

Præ contradic, post contra, præ postq́; subalter.

127 Cuius sensus est; cõtradictoriæ fiunt ęquipollentes, si ponatur negatio, non, ante subiectum vnius, vel alterius, quæ est prima regula. Deindè contrariæ fiunt ęquipollentes, si negatio, non, ponatur post subiectum vnius, vel alterius; quæ est secunda regula. Tandem subalternæ fiunt ęquipollentes, si negatio, non, ponatur ante, & post subiectũ vnius, vel alterius, quæ est tertia regula. Quorum exempla facilè quis formare potest.

Circa primam regulã nota, quod ad hoc, vt duæ singulares oppositæ contradictoriæ reddantur ęquipollentes, non potest poni negatio ante subiectum vnius, vel alterius: Quidquid dicat Io. de Monte super Petrũ Hispanum tract. 1. quia negatio, nõ, posita immediatè ante subiectum non sumitur neganter, vt fit quando ponitur ante signum quantitatiuũ, sed infinitanter, & ideò debet poni post subiectum hoc modo, Petrus nullo modo est homo, Petrus non est homo; vel Petrus est homo, Petrus nonnullo modo est homo.

128 Prgterea circa secundam, & tertiam regulam est notandũ, quod vniuersalis cum singulari opposita nõ possunt fieri ęquipollentes; quia subiectum propositionis vniuersalis non potest vllo modo supponi suppositione singulari per additionem cuiuscunque negationis, sicut neque è contra. His tamen non obstantibus regula subalternarum potest inseruire pro particulari, & singulari subalternis, dummodò loco vltimi, non, addetur nullo modo, & solum istæ negationes ponentur in particulari.

Tandem circa tertiam regulã notat Ouiedo hìc controu. 3. punct. 7. quod licet in subalternis affirmatiuis, vt fiant ęquipollentes, possit poni negatio, non, ante, & post subiectũ, tàm vniuersalis, quàm particularis, tamen in subalternis negatiuis, vt fiant ęquipollentes, negatio, non, solùm potest poni ante, & post subiectum vniuersalis nõ autem ante, & post subiectum particularis, quia duplex negatio coniungi nequit, vt tunc contingeret. Dicerem tamen, quod, si negatio additur post subiectũ in particulari negatiua, & nominaliter ponitur, vniuersaliter illã regulã tenere, dicendo, nullus homo est lapis, non quidam homo est nõnullus lapis.

129 Si hęc mea explicatio non placet, accipite aliã à Magistro meo P. Io. Perer in manuscriptis, .s. quod in particulari negatiua nõ debet poni aliqua negatio, vt ęquipolleat suę subalternanti; sed negatio, quæ in illa post subiectum reperitur, debet ante illud poni, v.g. nullus homo est animal, quidam homo non est animal, sic fiunt ęquipollentes, nullus homo est animal, nõ quidam homo est animal. Accipite quã malueritis.

Sed quęres, quomodo subcontrariæ fiunt ęquipollentes.

Resp. quod Rochus hic, lib. 1. c. 4. Fonseca hic, lib. 3. cap. 7. Aurelius à Linario in Log. cap. 12. Io à S. Th. hic, cap. 18. Morãdus hic, cap. 4. Horneius

neius in exercit.log.exercit.6 & noster Clemens in Prodromo scient. p. 1. tract. 2. q. 1. sect. 2. §. 12. & 14. tenent, quod subcontrariæ nunquã possunt fieri çquipollentes, sed immeritò; nam cum çquipollentia cõmuniter dicatur esse proprietatem propositionum oppositarum, omnibus oppositis conuenire debet.

130 Deindè Casilius cap. 8. Versorius in Petrũ Hisp tract. 1. & Baranzanus p.p. Summæ Philosoph. 3. par. introduct. cap. 1. sect. 1. tenent cum quibusdã alijs, quod pro çquipollentia subcontrariarum deseruire potest regula data pro çquipollẽtia contrariarũ, hoc est, quod vt subcontrariæ fiant çquipollentes, debet poni negatio, non, post subiectum vnius, vel alterius.

Sed contra est, quod hçc regula est inutilis pro subcontrarijs; nam si negatio postponatur primæ ex his subcontrarijs, quidam homo est albus, quidam homo non est albus, tunc non erit çquipollens, sed idem cum sua subcontraria, quidquid dicat Nicol. de Orbellis in Petr. Hisp. hìc, nam çquipollentes debent habere eandem virtutem, & non esse prorsus eædem; quia sic esset vna sola bis prolata, vt benè Rochus loc. cit. si autem postponatur secũdæ, sic non fiunt çquipollentes, sed fit inutilis repetitio negationis, dicendo quidam homo non non est albus, ergo regula contrariarum est inepta pro subcontrarijs.

131 Cum autem neque aliæ duæ regulæ, s. contradictoriarum, & subalternarum possint eis inseruire, vt de se patet, & propter supradicta nõ audeo dicere, quod dicit Zanardus in Logica sect. 19. s. quod non est dabilis aliqua regula pro çquipollẽtia subcontrariarum, neque id, quod ait Bruno in parua Log. lib. 2. punct. 10. s. quod apud Dialecticos nõ inuenit aliquam regulã pro çquipollentia subcontrariarum, quia apud Mastrium p.p. Institut. tract. 2. cap. 8. vnam perfectam inueni, quam dicit Blanc. sect. 18. desumpsisse ex Fonseca (attamen Fonseca non solum nõ adducit talem regulam; sed dicit, nullatenus posse fieri çquipollẽtes, vt supra notauimus; Blancum non vidi; inueni tamen eam apud Vincẽtium Iustinianum in Logica lib. 5. cap. 7.) s. quod tunc subcontrariæ fiunt çquipollentes, si vni, vel alteri post subiectum addatur negatio, nõ aduerbialiter, sed nominaliter sumptã, s. nullum, v. g. quidam homo est albus, quidam homo non est albus, sic fiunt çquipollentes, quidam homo nullum est album, quidam homo nõ est albus, vel quidam homo est albus, quidam homo nonnullum est album.

In singulari, vt çquipolleat particulari, cum qua subcontrariè ponitur, vel debet poni negatio, non, post subiectum illius, vel eius loco ly nullo modo.

SECTIO IX.

De conuersione absolutarum propositionũ.

132 Conuersio est necessaria cõsequentia duarum propositionum, vtroque extremo participantium ordine conuerso, seruata eadem qualitate tàm essentiali, quã accidentali, idest, si vna est affirmatiua, & vera, etiam alia sit affirmatiua, & vera, & si vna est negatiua, & falsa,

 alia

alia etiam sit negatiua, & falsa. Illa propositio, cuius extrema mutãtur, dicitur conuersa; altera verò, quæ ex extremis mutatis coalescit, dicitur conuertens, v. g. quidam homo est albus, ergo quoddam album est homo. Ex quibus patet, quod conuersa se habet, vt antecedens ad cõuertentem, & conuertens vt consequẽs ad conuersam.

133 Triplex conuersio solet assignari, s. simplex, per accidens, & per contrapositionem. Prima fit, quãdo nec quantitas, nec qualitas mutatur. Hac conuersione conuertuntur vniuersales negatiuæ, & particulares affirmatiuæ, v. g. nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo, quæ cõuersio vocari solet simplex, totalis, & mutua.

Vbi est notandum cũ nostro Trimarco lib. 2. Summul. sect. 2. quod ab hoc genere conuersionis reijciũtur vniuersales affirmatiuæ, & particulares negatiuæ, quia darentur cõuersæ veræ, & conuertentes falsæ, v. g. omnis leo est corpus, ergo omne corpus est leo, & aliquod corpus non est leo, ergo aliquis leo non est corpus. Huius rei optimam rationem reddit Casilius lib. 2. Summul. cap. 9. eum consulite: si autem aliquando conuertens, & conuersa erunt veræ, hoc non euenit propter formam conuersionis, sed propter materiam propositionis, quando, s. constat ex terminis conuertibilibus, v. g. omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo.

134 Secunda fit, quando mutatur quantitas, idest, vniuersalitas in particularitate. Hac conuersione conuertantur vniuersales affirmatiuę, & vniuersales negatiuæ, v. g. omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo, & nullus homo est lapis, ergo quidam lapis nõ est homo. Quæ conuersio solet appellari partialis, & no n mutua.

Tertia fit, quando negatio, non, infinitat extrema. Hac conuersione conuertuntur vniuersales affirmatiuæ, & particulares negatiuæ, v. g. omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo, & quidam homo nõ est albus, ergo quoddam non album non est nõ homo. Quæ conuersio ideò per contrapositionem dicitur, quia in ipsa termini finiti, qui contraponuntur infinitis, fiunt infiniti, quæ non est propriè conuersio (nisi secundùm sensum) quia non manent extrema eadem, & consequenter solùm secundùm quid ei conuenit definitio conuersionis adducta.

Sed quæres, cur, quando infinitatur subiectum alicuius propositionis vniuersalis, vel particularis, non ponimus negationem ante signum vniuersale, vel particulare, sed post.

135 Resp. ex D. Th. 2. Periher. lect. 3. quod negatio posita ante signum quantitatis in aliqua propositione non infinitat subiectum, sed negat quantitatẽ propositionis, quæ significatur per signum quantitatiuum, ante quod ponitur negatio. Ratio huius rei reddi potest ex doctri. Nicolai de Orbellis §. de æquipollentijs hoc modo: negatio posita ante signum quantitatis propositionis non sumitur neganter, sed infinitanter; quia tale signum per se nihil significat determinatè.

Et nota, quod licet in cõuersione per

per contrapositionem particularis negatiuæ semper seruatur quãtitas, non sic semper in conuersione per contrapositionem vniuersalis affirmatiuæ; nam aliquando mutatur; quia hęc propositio, .s. omnis homo est animal, sic potest etiã cõuerti, ergo quoddã nõ animal est nõ homo.

136 Vt autem hęc omnia facilius in memoria habeantur, designatæ sunt quatuor vocales, .s. a, e, i, o, quarum prima significat vniuersalẽ affirmatiuam. Secunda vniuersalem negatiuam. Tertia particularem affirmatiuam, & Quarta particularem negatiuam, quæ his carminibus exprimi solent.

Asserit a, negat e, sunt vniuersaliter ambæ,
Asserit i, negat o, sunt particulariter ambæ.

Ex his vocalibus quibusdam adiectis consonantibus pro integritate dictionũ tres sunt constitutæ dictiones, .s. Feci, Eua, & Asto, in quibus omnes comprehenduntur conuersiones, & his versibus indicantur.

Feci simpliciter conuertitur, Eua per acci.
Asto per contra, sic fit conuersio tota.

Vbi ly, Feci, significat, quod vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua simpliciter conuertuntur. Eua, significat, quod vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua cõuertuntur per cõuersionem per accidens. Tandẽ Asto, denotat, quod vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua conuerti possunt per contrapositionem.

137 Est vna regula cõmunis omnibus conuersionibus, .s. quod in conuersa, & in conuertente seruentur semper omnes proprietates terminorum, idest, quod termini cum eadem suppositione, &c. in vtraque sumentur; & quod si conuertens sit de secundo adiacenti, antequã conuertatur, reducatur in suam de tertio adiacenti, & tandem si habet aliquem terminum obliquum, antequam conuertatur, fiat rectus.

Pręterea notandum est primò, ꝙ licèt diximus, quod vniuersalis affirmatiua per accidens, & per contrapositionem conuertatur, tamen id intelligendum est in materia naturali, & impossibili, nam in materia contingenti solum per contrapositionẽ, non autem per accidens conuerti potest; quia aliàs daretur conuersa falsa, & conuertens vera, v. g. omnis homo est musicus, ergo aliquod musicum est homo. Ratio huius sumitur ex regula subalternarũ, nam cõuertens est subalterna illius conuersæ, media conuersione simplici eiusdẽ conuertentis, quæ simul non sunt verę per regulam subalternarum, sed vna vera, & alia falsa, & consequenter istæ eodem modo se habebunt.

138 Secundò notandũ est, quod licèt diximus, quod vniuersalis negatiua per conuersionem simplicẽ, & per accidens conuertatur, tamen in materia naturali essentiali, si est pręclicatio directa, non potest per conuersionẽ per accidens conuerti, sed solum per simplicem cõuersionem, quia daretur conuersa falsa, & conuertens vera, v. g. nullus homo est animal, ergo aliquod animal non est homo. Cuius ratio etiam ex regulis subalternarum sumitur; nam conuertens illius per simplicem cõuersionem est subalterna istius conuertentis, quæ simul veræ esse non possunt, sed vna vera, & alia falsa, per

regulam subalternarum, & consequenter istæ eodem modo se habebunt. Quod benè nota, quia fortè nullibi inuenies notatum.

139 Tandem notādum est, quod indefinitę,& singulares habentes subiectum singulare, & prędicatum commune ita cōuertuntur, ac si essent particulares; vndè indefinitæ,& singulares affirmatiuæ sic simpliciter conuertuntur,homo est animal, ergo quoddam animal est homo, Petrus est rationalis,ergo quoddam rationale est Petrus: Indefinitæ verò,& singulares negatiuę sic per cōtrapositionem cōuertuntur: homo non est lapis,ergo quidā nō lapis nō est non homo:Petrus non est lignū, ergo quoddam non lignum non est non Petrus;singulares verò de vtroque extremo singulari tàm affirmatiuè, quàm negatiuè conuertuntur simpliciter, v.g. Aristoteles est hìc Philosophus, ergo hìc Philosophus est Aristoteles, & Arist. non est hìc lapis,ergo hìc lapis non est Arist.

Hęc dicta sint satis de conuersione singulariū, quia de singularibus parum curant scientiæ. Qui plura vult, videat Lorinum in introduct. 3. par. cap. 4.

SECTIO X.

Quotuplex sit propositio modalis.

140 EX dictis patet, propositionē modalem esse illam, in qua ostenditur, quonam modo prędicatum dicatur de subiecto, & cum tripliciter possit prędicatum dici de subiecto iuxta triplicem materiā propositionis; ideò triplex est modus propositionis modalis, s. necessariū, impossibile, contingens, seu possibile, licèt modalis in quacūque materia semper sit vel necessaria, vel impossibilis, nunquam tamen contingens;nam in materia contingenti etiam est necessaria, v.g. contingens est hominem currere,certū est,prædictam propositionem propter applicationem modi ad dictum esse necessariam,quia necesse est, vt cursus contingenter ei conueniat, nec aliter ei conuenire potest.

Primò notādum est, quod hi modi dupliciter sumi possunt, primò nominaliter, vt possibile, seu cōtingens,impossibile, & necesse; secundo aduerbialiter, vt possibiliter, seu contingenter, impossibiliter, & necessariò, primò modo sumpti sunt prędicata in propositionibus modalibus, v. g. Petrum currere est contingens, & licet aliquando modus anteponetur dicto, vt si dicamus, cōtingens est Petrum currere, semper modus est prędicatum, vt colligitur ex Arist. 2. Periher. cap. 3 Quādò verò modus sumitur aduerbialiter,tunc nō est prędicatum,sed modificat vnionem prędicati cū subiecto,v.g. Petrus contingenter currit.

141 In propositione modali, in qua modus nominaliter sumitur, propositio, de qua modus prędicat, à Summulisticis dictum propriè appellatur,quatenus est id,de quo modus dicitur.

Secundò notandum est,quod duplex est propositio modalis vna cōposita,& alia diuisa: Prima est,quæ facit sensum compositum:Secunda verò,quæ facit sensū diuisum.Tunc propositio modalis facit sensum compositum quando in ipsa termini dicti vniuntur pro eodem tēpore,

quod

quod fit, quãdo modus sumitur nominaliter; quia prout sic, vt diximus, prædicat de dicto, & sic prædicando de toto dicto, prędicat cõsequenter de partibus eius simul sumptis, & per modum vnius, v. g. hominẽ esse animal est necesse: tunc verò facit sensum diuisum, quando in ipsa termini dicti vniũtur pro diuerso tempore, quod fit, quãdo modus aduerbialiter sumitur, v. g. album possibiliter est nigrum.

142 Hìc cum nostro Lalemandet in apparatu partit. 5. est aduertendũ, quod hę propositiones maximè discriminantur per hoc: quod si modales fiant de formis contrarijs, in sensu composito sunt falsæ; in sensu verò diuiso, veræ; quia formæ contrariæ sunt incompossibiles in eodẽ subiecto simul; non tamen successiuè. Et licet Pontio hìc cap. 14. nõ placeat explicatio Complutensium propositionis modalis compositæ, & diuisæ, quæ in re à nostra nõ differt; tamen quia prædictus Doctor hìc grammaticaliter procedit, non est à Logicis audiendus.

Cognita iam essentia, & multiplicitate propositionis modalis, videndũ restat, vndè attendatur in ea affirmatio, vel negatio: vniuersalitas, vel particularitas: veritas, vel falsitas; quod nõ habet difficultatem in modalibus diuisis; nam cum in his modus non prædicet, sed solùm modificet copulam; ac proinde idem remanet subiectum, & prædicatum, quod erat in absoluta; ideò affirmatio, & negatio, vniuersalitas, & particularitas, veritas, & falsitas eodẽ ferè modo venãdæ sũt in his propositionibus, sicut in propositionibus de inesse.

143 At verò, quia in modalibus compositis cùm modus prædicet, & totum dictum subijciatur, diuerso modo attenditur in illis affirmatio, vel negatio; & ideò tunc propositio modalis composita est propriè, & simpliciter affirmatiua, quando modus est affirmatiuus: quando verò modus est negatiuus, tunc propriè, & simpliciter vocatur negatiua; & quia tũc ipsum dictum est verè pars talis propositionis, ideò ex eius etiã affirmatione, & negatione dicitur propositio modalis composita, secũdũ quid affirmatiua, vel negatiua.

Eadem proportione philosophãdum est circa vniuersalitatẽ, & particularitatem istarum propositionũ, quæ absolutè attenduntur ex quantitate modi, & ideò illa propositio modalis composita appellatur simpliciter vniuersalis, cuius modus est vniuersalis, licèt dictum sit particulare, & è contra, quamuis etiam ex quantitate dicti talis propositio secundùm quid denominetur vniuersalis, aut particularis. Qui autẽ sint modi vniuersales, & qui particulares; qui affirmatiui, & qui negatiui, explicant Summulistæ ex similitudine, & correspondentia, quam habent isti modi, cum signis ostendentibus quantitatem, & qualitatẽ propositionum absolutarum iuxta sequentia carmina:

Omnis necesse valet; impossibile nullus;
Possibile quidam; quidam nõ possibile non.

144 Quorum sensus est; quod sicut, omnis, est signum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, ita, necesse, est modus vniuersalis affirmatiuus; & sicut, nullus, est signum propositionis vniuersalis negatiuæ, ita,

impossibile, est modus vniuersalis negatiuus; &, possibile, est modus particularis affirmatiuus, sicut, quidam, est signum propositionis particularis affirmatiuæ; & tandem sicut, quidam non, est signum propositionis particularis negatiuæ, ita, possibile non, est modus particularis negatiuus.

Circa veritatem, & falsitatẽ propositionis modalis compositæ notandũ est, quod tunc propositio de possibili est vera, quãdo sua de inesse est in materia contingenti; tunc verò falsa, quando sua de inesse nõ est in materia contingenti: tunc verò propositio de impossibili est vera, quando eius de inesse est in materia remota: falsa verò, quando non: & tandem propositio de inesse tũc est vera, quãdo eius de inesse est in materia naturali, falsa verò, quando nõ. Quorũ omniũ exempla facile patẽt.

SECTIO XI.
De oppositione, æquipollentia, & conuersione modalium.

145 Modi propositionis modalis omninò assimilantur signis sect. preced. explicatis, & ideò consimili modo cõtingit vtrobique oppositio; nam sicut, omnis, &, nullus, opponuntur contrariè; ita etiãm necesse, & impossibile. Deinde sicut, aliquis, &, aliquis non, opponuntur subcontrariè, ita etiam possibile, seu contingens, &, possibile non, seu cõtingens non; preterea sicut omnis, & aliquis non, & similiter nullus, & aliquis, opponuntur contradictoriè, ita necesse, & possibile non, seu contingens non, & similiter impossibile, & possibile, seu contingens; & sicut omnis, & aliquis; & nullus, & aliquis non, opponuntur subalternè, ita necesse, & contingens; impossibile, & contingens non, v. g. istæ sunt contrariæ: Petrum currere est impossibile, Petrum currere est necesse; & istæ sunt cõtradictoriç: Petrum currere est impossibile, Petrum currere est possibile; & Petrum currere est necesse, Petrum currere non est possibile; & istæ sunt subcontrariæ: possibile est Petrum currere, possibile non est Petrum currere. Tandem istç sunt subalternæ: necesse est Petrum currere, possibile est Petrũ currere; impossibile est Petrum currere, possibile nõ est Petrum currere. Pariter in modalibus diuisis, vt fiat oppositio, attendi debet quantitas modi, & si fuerit modalis diuisa de subiecto cõmuni, quantitas dicti.

146 Aequipollẽtia in modalibus fit, sicut in absolutis, .s. prçponendo negationem, vel postponendo, vel prçponendo, & postponẽdo simul. Tunc autem in modalibus prçponitur negatio, quãdo modus negatur: Tũc verò postponitur, quando negatur dictum, tunc demùm præponitur, & postponitur, cum negatur vtrumque, .s. cõstituendo negationem ex parte dicti, & modi simul, v. g. hæ sunt contradictoriæ: possibile est Petrum currere, impossibile est Petrum currere, si in prima negationem præponas, dicendo: non est possibile Petrum currere, tunc çquiualet secundæ; quod si secundæ prçponas negationem, dicendo: nõ est impossibile Petrum currere, statim æquipollet primæ. Sic etiam contrarias, & subalternas çquipollentes inuenies, si alias regulas eis applicabis.

147 Tandem conuersio modaliũ est ferè eadem, ac conuersio absolutarum, nam generaliter loquendo, conuertuntur ratione dicti, non ratione modi, vndè regulariter modi inuariati manent tàm in composita, quàm in diuisa, & sola dicta variantur, & ideò regulę assignatæ pro cõuersione absolutarũ inseruire modò possunt pro conuersione modalium: vndè sic hæc vniuersalis affirmatiua, omnis homo necessariò est animal, conuertitur in hanc particularem affirmatiuam, aliquod animal necessariò est homo conuersione per accidens; & hæc particularis affirmatiua, aliquem hominem esse album est possibile, conuertitur in hanc, aliquod album esse hominem est possibile per simplicem conuersionem, & sic de alijs.

Sed quęres, quomodo modales reducantur ad suas de inesse?

148 Resp. quod reducuntur formãdo propositionem de inesse implicatam in modali, deindè ostendẽdo, quod illi cõuenit modus in propositione modali positus, v. g. contingens est Petrum currere, sic ad suam de inesse reducitur, hæc propositio, Petrus currit, est in materia contingenti; ista vocatur officians illius modalis, quatenus inseruit, vt per eam probetur prędicatum enũciationis de inesse implicatæ in modali, conuenire tali modo subiecto, .s. Petrus currit, conuenire contingenter. Plura alia de modalibus à Summulisticis tradũtur, quæ potius deterrent, quam iuuant ingenia tyronum, & ideò consultò omittuntur.

SECTIO VLTIMA.

De propositione exponibili, & insolubili.

149 Summulistæ illam vocãt propositionem exponibilem, quæ ratione alicuius dictionis in ea inclusæ obscurum habet sensum, & ideò indiget expositione, quod fit per aliam propositionem clariorẽ; & ideò hæc vocatur exponens, sicut illa dicitur exponibilis. Quæ propositio est triplex, .s. exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua.

Prima est illa, quæ modificatur aliqua dictione exclusiua, quales sunt, tantùm, dumtaxat, & similes, si autem talis dictio apponatur subiecto, modificat totam propositionẽ, & eam facit absolutè exclusiuam, & tunc excludit omnia alia subiecta à participatione prædicati, v. g. tantũ homo est risibilis, quę sic exponitur, homo est risibilis, & nihil aliud ab homine est risibile; si verò dictio exclusiua iungatur prędicato, tũc propositio vocatur de excluso termino, & excludit à subiecto omnia alia prædicata, vt cum dico, homo est tãtùm animal rationale, quæ hoc modo exponitur; homo est animal rationale, & non est aliquid aliud.

150 Vbi est notandum, quod dictio exclusiua cuicunque iungatur, nunquam excludit ea, quæ necessariò comitãtur illud, nam cum dico, tantùm diligo salutem, nõ excludo à tali amore media necessaria ad illius consequutionem, & cum dico, tantũ Petrus currit, non excluditur hoc risibile à cursu, & sic de alijs.

Tandem nota cũ Rocho hìc, cap. 4. quod si dictio exclusiua iungatur termino singulari, non excluduntur nisi ea, quæ sunt eiusdem speciei cũ

 ipso,

ipso, v.g. tātùm Petrus est in domo, vbi per dictionem exclusiuam, solùm alia indiuidua naturæ humanæ excluduntur, non autem canes,&c. Si autem coniungatur termino cōmuni specifico, propriè non excludūtur, nisi ea, quæ sunt eiusdem generis proximi cum ipso, v.g. tantùm homo est in horto, vbi per dictionē exclusiuam solùm alia animalia cuiuscunque speciei excluduntur, nō autem arbores,& herbæ,&c.

151 Secunda est illa, quæ afficitur aliqua dictione exceptiua,.s. præter, aut aliqua alia similis, v.g. omne animal, præter hominem, est irrationale, quæ sic optimè exponitur, omne animal, excepto homine, est irrationale, vel omne animal, quod non est homo, est irrationale.

Tertia est illa, quæ habet duplicatum subiectum, vel prædicatum ratione alicuius dictionis illud duplicantis, & propterea reduplicatiua appellatur; dictiones reduplicatiuæ sunt, in quantum, quatenus, qua ratione, & similes; quæ possunt sumi dupliciter,.s. reduplicatiuè, & specificatiuè, tunc sumuntur reduplicatiuè, quando reduplicant causam, cur prędicatum insit subiecto, v.g. homo in quantum rationalis est risibilis; Petrus in quantum albus est disgregatiuus visus, tunc verò sumūtur specificatiuè, quando reduplicāt rationem formalem, cui adęquatè conuenit prædicatum subiecto, quæ tamen non est causa eius, v.g. color, in quantū color, est obiectum visus: ens, in quantum ens, est obiectum metaphysicæ. Eiusmodi autem propositiones nō exponuntur per causalem; possunt tamen aliqualiter exponi per conditionalem, dicendo, si ens est ens, est obiectum metaphysicæ: si color est color, est obiectum visus. De quibus, qui plura vult videre, legat nostrum Lamandet hìc, partit. 7.

152 Tandem propositio insolubilis dicitur illa, quę nullo modo exponi potest, vt in aliquo sensu veritatem habeat; quia ipse se falsificat, & suam destruit veritatem: Hoc autem toties contingit, quoties ex ipsamet verificatione propositionis, idest ex hoc, quod ita sit, vt per ipsā significatur, sequitur, quod ipsa sit falsa, v.g. nulla propositio est negatiua; nam ex eo, quod ita sit, vt per ipsam enunciatur, se ipsam destruit, & falsificat, cum ipsa sit negatiua. De quibus multi multa, sed parùm necessaria dicunt; nobis autem dicta sufficiant.

LIBER TERTIVS. DE ARGVMENTATIONE.

CVM Argumentatio ex terminis tanquam ex materia remota componatur, & ex propositionibus tanquam proxima (vt infra constabit) ideò postquam de illis egimus, de hac in hoc tertio libro sermonem facimus. Pro quo sit.

SECTIO I.

De essentia, & diuisionibus argumẽtationis.

153 Argumẽtatio, est oratio, in qua vnum ex alio infertur, v.g. Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Tria requiruntur in quacunque argumentatione, .s. id, quod infertur, quod dicitur consequens, & id, ex quo consequens infertur, quod dicitur antecedens, & dictio illatiua, quæ dicitur nota illationis, .s. ergo, vel igitur: Ipsa autem formalis illatio, sequela, seù habitudo antecedẽtis ad cõsequens significata per particulã illatiuã, dicitur consequentia.

Notandum est, quod illatio, seù sequela est bona ex eo, quod consequens benè ex antecedenti infertur, vndè cõsequentia potest esse bona, etiam si antecedens, & consequens falsa sint, v. g. homo est equus, ergo est hinnibilis.

Consequentia est triplex, .s. bona, mala, & probabilis, tunc consequentia est bona, quando consequens ex antecedenti in argumentatione benè sequ tur, v. g. Petrus est homo; ergo Petrus est animal; tunc verò mala, quando consequens in argumentatione de facto nõ sequitur ex antecedenti, sed ad summum apparenter, v. g. hic piscis est canis, ergo hic piscis est latrabilis; tũc tandem consequentia est probabilis, quando in argumentatione probabiliter consequens ex antecedenti deducitur, v.g Petrus diligenter studet; ergo Petrus doctus euadet.

154 Argumentatio primò diuiditur in rectam, & vitiosam: Recta est illa, quæ continet bonam consequentiam; vitiosa verò, quæ malam cõtinet cõsequentiam, & sicut mala consequenria absolutè consequentia nõ est dicẽda, vt benè notat Bannez lib. 2. Summul. tract 2. cap. 1. & Masius lib. de priori Analysi lect. 1. quidquid dicat Iudobus Cliethoneus in introduct. in logic. Iacobi Fabri introd. 7. §. 27 sic vitiosa argumentatio absolutè dici non debet argumentatio.

Deindè argumentatio recta alia est materialis, & alia formalis. Materialis est illa, quæ continet consequentiam materialem. Consequẽtia materialis est illa, quæ non tenet vniuersaliter, sed hic, & nunc, tantũ ratione materiæ, in qua fit, seù ratione terminorum, ex quibus argumentatio constat. v. g. omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo; quæ non tenet gratia formæ, vt diximus lib. 2. sect. 9. Formalis verò est illa, quæ continet cõsequentiam formalem. Consequẽtia formalis est illa, quę vniuersaliter tenet in quacunque materia; quia consequens infertur ex antecedenti gratia formæ, idest ratione dispositionis extremorum: v. g. omne animal est substantia, sed omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.

155 Deindè communiter diuidũt argumẽtationem formalem in Syllogismum, Inductionem, Enthymema, Exemplum, & Dilemma. Syllogismus est argumentatio, in qua cõsequens sequitur ex duabus propositionibus, quarum vna maior dicitur, illa .s. quæ continet maius extremum simul cũ medio termino;

&

& alia minor, illa .s. quæ continet minus extremum simul cũ medio termino: v. g. omne animal est substantia, sed omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. In quo syllogismo prima propositio dicitur maior, quia in ipsa, substãtia, quæ est maius extremum, cum animali, quod est medium, vnitur: & secũda dicitur minor; quia in ipsa, homo, qui est minus extremum, vnitur cum animali, quod est medium.

Hìc tamen notandum est, quòd adolescentes malè respõdent interroganti, quid est maior propositio, dicendo, quòd est prima propositio syllogismi, quidquid dicat Rochus hìc lib. 2. c. 6. nam si trãsmutantur præmissæ alicuius syllogismi primæ figuræ, tũc secunda erit maior; quia cõtinebit maius extremum, vt infra dicemus. Possunt tamen cum Pontio hìc cap. 18 dicere, quòd est illa, quę ordinariè est prima in syllogis.

Enthymema ab Arist. 2. prior. cap. 27. dicitur syllogismus truncatus, & imperfectus: nàm est argumentatio, in cuius antecedenti vna tantùm propositio explicitè reperitur; v. g. homo est animal, ergo homo est substantia. Cuius definitionis bonitas ex etymologia eiusdem vocis cõstat, quæ videri potest apud Sotũ in Log. de pręcognoscẽdis c. 1.

156 Inductio est argumentatio, in qua ex singularibus, vel ex partib⁹ sufficienter enumeratis colligitur vniuersale, vel totùm: v. g. hic ignis comburit, hic, & ille, & ille alius, & sic de cæteris; ergo omnis ignis comburit.

Exemplum ab Arist. 1. poster. c. 2. appellatur imperfecta Inductio: ꝙ est argumentatio, in qua ex aliquo singulari aliud simile colligimus: v. g. Deus pepercit Magdalenæ pœnitentiam agenti, ergo & mihi parcet, si pœnitentiam egero.

Tandem Dilemma dicitur argumentatio bicornis, seu cornuta, eò quòd duas continet partes, quibus aduersarius cogitur concedere arguenti vel id, quod intendit, vel aliquid contra se: v. g. intendens quis redarguere seruum inobedientiæ, sic per Dilemma arguit: vel percepisti, quæ dixi tibi, vel non; si percepisti, ergò inobediens fuisti: si non percepisti, ergò fuisti negligens.

Sed quæres, quomodo hæ quinque argumentationes differant?

157 Resp. solùm differre tãquam perfectum, & imperfectũ inter eandem speciem; sicut, v. g. homo claudus à non claudo, & per consequens accidẽtaliter, quod patet, quia Arist. 2. prior. cap. 2 docet, Inductionem, Enthymema, & Exemplum ad Syllogismum reduci. Enthymema .n. reducitur ad Syllogismum, ponẽdo explicitè in antecedenti illius illam propositionẽ, quæ in ipso implicitè reperitur, quod fit assumẽdo illum terminum, qui non intrat in conclusione vnà cum illo, qui non est in antecedenti, & est in conclusione, & ex illis formare vnam propositionem, quæ regulariter loquẽdo, si ille terminus, qui est in cõclusione, & ponitur in præmissa, quæ explicitè additur, est prędicatũ conclusionis, debet poni in primo loco: v. g. hoc Enthymema: homo est animal, ergo homo est viuens, sic ad Syllogismum reducitur: animal est viuens, sed homo est animal, ergò

homo

homo est viuens; si autem terminus, qui est in conclusione, & ponitur in præmissa, quæ explicitè additur, est subiectum conclusionis, debet poni in secundo loco: v. g. hoc Enthymema: omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, sic ad Syllogismum reducitur; omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

158 Inductio autem sic ad Syllogismum reducitur, assumendo pro medio singularia, vel partes, quæ nō intrant in conclusionē illius, & prædicatum cōclusionis pro maiori extremo, & subiectum conclusionis pro minori: v. g. hæc Inductio sic ad Syllogismum reducitur: Petrus currit, Paulus currit, & sic de cęteris, ergo omnis homo currit: omne, quod est Petrus, vel Paulus, & sic de cęteris, currit, sed omnis homo est Petrus, vel Paulus, & sic de cęteris, ergo omnis homo currit.

Deindè Exemplum reducitur ad Syllogismum accipiēdo pro medio terminum importantem similitudinem, & prædicatum conclusionis pro maiori extremo, & subiectum pro minori; sic .n. reducitur exemplum supra traditum; agenti pœnitentiam, sicut Magdalena, parcetur à Deo, sed ego sicut illa pœnitentiā agam, ergo à Deo mihi parcetur.

159 Dilemma tādem ad Syllogismum reducitur addendo in ipso pro minori, sed neutrum dici potest, vel, quidquid dicas, intentum, vel aliquid simile. Attamen notandum est, quod Dilemma re vera non est vna argumentatio, sed duo Enthymemata.

Dices contrà primò: Syllogismus, & Inductio habent modum procedendi essentialiter distinctum, ergo saltem Syllogismus, & Inductio differunt specie. Probatur antecedens: Syllogismus procedit à toto ad partes, seu ab vniuersalioribus ad particulariora, & à notis naturæ ad nota nobis: Inductio verò è contrà se habet, vt patet, ergo Syllogismus, & Inductio habent modum procedendi distinctum essentialiter.

Resp. quod talis modus procedēdi Syllogismi solùm differt accidentaliter à modo procedēdi Inductionis; nam Syllogismus procedere potest à particularibus ad vniuersalia, & Inductio è contra, quia tàm ascēsus, quàm descensus ad eam pertinet; licèt sæpè in Syllogismo à superioribus ad inferiora, & in Inductione è contra procedatur.

160 Dices secundò; Vis concludendi Syllogismi, & Inductionis est essētialiter diuersa, ergo & Syllogismus ab Inductione essentialiter differt. Probatur antecedens: vis Syllogismi consistit in vnione duorum in vno tertio, quod in pręmissis assumitur vt medium, vndè postea in conclusione infertur vnio eorum inter se: sed vis concludendi Inductionis nō pendet ex vnione extremorum in medio, sed ex pluribus singularibus sufficienter enumeratis infertur, vniuersaliter sic fieri in omnibus; ergo in Sylogismo, & in Inductione est essentialiter diuersa vis concludendi.

Resp. negando antecedens; nam, cū omnis discursus nitatur illo principio, *quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se;* ideò in omni discursu talis vnio interuenit, saltem impli-

implicitè, & virtualiter; & ideò implicitè etiam in ipſa inductione reperitur, vt patet ex explicato modo eam reducendi ad Syllogiſmum: ex hoc autem, quòd explicitè in ipſa non reperiatur, nō ſequitur, eſſe diſtinctam à Syllogiſmo, quia cū hoc idem in enthymemate inueniatur, ſequitur etiam, Enthymema à Syllogiſmo eſſentialiter differre.

161 Ex quibus patet, quod omnis argumentatio formalis eſſentialiter eſt Syllogiſmus, & per conſequens, quòd definitiones adductę Syllogiſmi, Enthymematis, &c. ſolum accidentaliter differunt, ſicut & ipſæ argumentationes, & certè de Syllogiſmo, & Inductione, in qua aliqui maximè dubitant, eſt expreſſa ſentētia Ariſt. 2. prior. c. 23. dicentis, *Inductio quodammodo opponitur Syllogiſmo*; vbi ni fallor ly quodāmodo, hoc denotat. Qui vult videre hanc noſtram ſententiam latè probatam, conſulat noſtrum Lalemand. in log partit. 4. diſp. 8. qui in noſtra eſt ſententia, eāque quo ad Enthymema tenet noſter Solarius in defenſione doctrinę Peyrinis de paup. vt conſtat ex his, quæ § 4. dicit, .s. quod Enthymema nō probat, niſi pro vt ad Syllogiſmū reſoluitur; licèt nō pauci contra illā ſentiant, inter quos Cartar. in 1. poſter. controu. 11. & Franciſcus Caſtillioneus in apparatu ad log. lib. 1.

Queres tandē, an detur aliqua cōſequentia, quæ nō ſit argumentatio.

162 Reſp. quod non; quia cū in omni bona conſequentia ſaltē virtualiter tres termini reperiantur, cū bona cōſequentia ſit connexio cōſequentis cum antecedente ratione alicuius medij, ideò oīs conſequentia eſt argumentatio, & Syllogiſmus ſaltē imperfectè, quod patet in conſequentijs, quæ tenent per regulas conuerſionis: v. g. omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, in quibus aliqui difficultāt, quia regulæ, in quarū virtute tenēt ſimiles conſequentiæ, ſunt media illarū.

Ex quo patet falſum eſſe id, quod docet noſter Lalemandet in appar. partit. 2. n. 5. .s. quod hec conuerſio nullum animal eſt lapis, ergo nullus lapis eſt animal, non eſt imperfectus Syllogiſmus, eò quod ad Syllogiſmū reduci non poteſt. Nam ponendo explicitè in ea medium, in cuius virtute concludit, ad Syllogiſmum reducta videbis, quod hoc modo fieri poteſt: conuertens, & conuerſa, ſi vna eſt vera, etiam & alia; ſed, nullum animal eſt lapis, & nullus lapis eſt animal, ſunt conuertens, & conuerſa; ergo cum, nullum animal eſt lapis, ſit vera, erit quoque vera, nullus lapis eſt animal.

163 Pro complemento huius ſectionis eſt notandum, quòd Rapinæus in Nucleo diſputat. in vniuerſam philoſ. diſp. 23. addit inter argumentationes Logicales Soritē, quā dicit eſſe coaceruationem propoſitionum, in quibus prædicatum pręcedentis ſubijcitur in ſequenti, quoadusque vltimum prædicatum de primo dicatur ſubiecto: vt, omnis humilitas eſt virtus, omnis virtus eſt habitus, omnis habitus eſt qualitas, omnis qualitas eſt accidens, ergo omnis humilitas eſt accidens. Dicit etiam, quod vis huius argumētationis pendet ab illa regula ante prędicamentali, .s. *quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque de eo, quod*

quod prædicatur, dicuntur; omnia etiam de subiecto dicuntur. Dicerẽ tamen, quod Sorites non eſt vna argumentatio, ſed plura Enthymemata.

SECTIO II.
De legibus bonæ conſequentiæ.

164 MVltas leges ſolẽt Summuliſtici tradere ad hoc, vt in argumentatione optima reperiatur conſequentia. Quarum prima eſt, quòd ex antecedenti verò ſemper colligitur conſequens verum; & ex poſſibili, contingenti, neceſſario, falſo, & impoſſibili, conſequens poſſibile, contingens, neceſſarium, falsũ, & impoſſibile: cuius ratio eſt, quia antecedens habet rationem cauſæ reſpectu conſequentis; cauſa autem nõ impedita producit effectum ſibi ſimilem, ergo in bona argumentatione, in qua antecedens aſſimilatur cauſæ non impeditæ, ex vero ſemper verum, & ex poſſibili poſſibile, & ex contingenti contingens, & ex neceſſario neceſſarium, & ex falſo falſum, & ex impoſſibili impoſſibile, ex vi influxus antecedentis ſemper ſequi debet.

Secunda eſt, vt ex falſo antecedẽti in bona argumentatione aliquando colligatur verũ conſequens, v.g. Petrus eſt equus, ergo Petrus eſt animal; & ex antecedenti contingenti cõſequens neceſſarium, v.g. Petrus currit, ergo Petrus eſt animal; & tandem ex impoſſibili aliquando poſſibile, v.g. Petrus volat, ergo Petrus mouetur; & aliquando neceſſariũ, v.g. Petrus eſt Aſinus, ergo Petrus eſt animal.

165 Vbi notandũ eſt, quod, quando verum ex falſo colligitur, & neceſſarium ex contingenti, & impoſſibile, & contingens ex impoſſibili, hoc non eſt ſic intelligendum, quaſi præmiſſæ falſæ influant veritatem in concluſionem, & contingentes, ac impoſſibiles neceſſitatem, & tãdem impoſſibiles contingentiam; cũ impoſſibile ſit, cauſam virtute propria producere effectum perfectiorem ſe; quia *nemo dat, quod non habet;* ſed ſenſus eſt, quòd præmiſſæ falſæ ita poſſunt diſponi, vt ex ipſis ſequatur conſequens, quod aliundè eſt verũ, & non propter ipſas præmiſſas.

Ex quibus patet, verum eſſe id, quod dici ſolet, .s. ex vero non niſi verum; falſum non niſi ex falſo; ex falſo verum, & falſum: neceſſarium ſequitur ex quolibet; & ex neceſſario non niſi neceſſarium; ex impoſſibili autẽ ſequitur quodlibet; & ex cõtingenti cõtingens, & neceſſariũ.

166 Tertia eſt, quòd ex antecedenti, in quo eſt vna præmiſſa negatiua in bona argumentatione neceſſario debet inferri conſequens negatiuum, & ſi vna ex illis eſt particularis, cõcluſio debet eſſe particularis; *quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem;* nam præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis, cauſa autem ſi quatenus deficiens concurrat ad aliquẽ effectum cauſandum, cõſequenter effectus cauſatus dicitur eſſe cum quodam defectu, & ideò ſi in antecedenti eſt aliquis defectus quantitatis, vel qualitatis, in concluſione ſimilis defectus eſſe debet.

167 Qui vult videre longam probationem probantem, illud axioma abſolutè intellectum, eſſe ſemper verum, legat Albertinum in Collorarijs tom. 1. in tertio principio Philoſoph.

losoph. sed his nō obstantibus videri potest Andr. à Cruce in disp. Theol. tom. 1. q. 1. art. 1. disp. 5. dup. 1. §. 158. qui dicit, illud axioma, *conclusio semper sequitur debiliorem partem*, non esse ita accipiendum, vt conclusio necessariò debeat esse æqualis in omnibus premissæ debiliori, sed satis est, vt nō habeat tantam perfectionem, quantā habet melior præmissa; nam quādo duo animalia, v. g. distinctæ speciei cōueniunt ad generandum, animal genitum nō est eiusdem speciei cum causa nobiliori, aut ignobiliori, sed habet specificam aliquā perfectionem mediam ignobiliorem, maiore, nobiliorem minore, vt patet in generatione Muli; sed his non obstātibus Nicol. Forest Duchesne in Florilegio vniuersali liberalium artium, & scientiarum tract. 1. Log. sect. 14. ait, quod hoc axioma est intelligendum, quoad quantitatem, & qualitatē; nam in alijs accidentibus conclusio potest esse interdum certior, probabilior, euidentior, aut minus contingens, quam vna præmissarum. Imò (inquit) Theologi docent, ex vna præmissa de fide, & altera naturaliter euidenti sequi cōclusionem de fide. Quod vltimum diligenter notat explicando hoc axioma Moli. in p. p. to. 1. q. 1. disp. 2 art. 2.

168 Carbonus in introduct. in Sacr. Theol. lib. 4. cap. 16. ait, quod hoc axioma sic est intelligendū, vt quod est infirmitatis in conclusione referatur in præmissam debilem, atque infirmam, non enim est necesse inquit, vt si præmissa est falsa, cōclusionem etiam esse falsam, cum verū sequatur ex falso: & si demōstratio fuerit ab effectu, conclusio erit præmissis firmior: quando verò erit à priori, si quid erit debilitatis, & ineuidentiæ in conclusione, referendum erit in præmissam debilem.

Quarta est, quod à positione inferioris ad positionē superioris valet consequentia, & non è contra: v. g. benè valet, est homo, ergo est animal; non autem est animal, ergo est homo. Pręterea valet consequētia à negatione superioris ad negationē inferioris; nō tamen è contra: v. g. benè valet, non est animal, ergo non est homo: non autem, non est homo, ergo non est animal.

169 Quinta est, quòd ex opposito consequentis debet sequi oppositum antecedentis, & non è contra: v. g. Petrus est rationalis, ergo Petrus est risibilis: Petrus non est risibilis, ergo Petrus non est rationalis.

Sexta demum est, quòd quidquid sequitur ex consequenti, sequatur etiam ex antecedenti, & non è contra: v. g. Petrus est homo, ergo Petrus est animal, ex hoc consequenti sequitur, quòd Petrus sit substantia, viuens, & sentiens: hoc idem etiam ex illo antecedenti sequitur. Ex hoc autem, quod Petrus sit homo, quod est antecedens illius argumentationis, sequitur, quòd sit rationalis, risibilis, &c. quod non sequitur ex hoc, quod sit animal, quod est consequēs illius argumentationis. Quæ omnia sunt per se manifesta.

SECTIO III.
De modo, & figura Syllogismi.

170 Sicut propositio diuiditur in simplicem, & compositam, & illa in absolutam, & modalem; ita syllogismus diuiditur in categoricū,

& hi-

& hipotheticum: rurſus categoricus in abſolutum, & modalem. Modò de abſoluto agemus (deindè de alijs) qui ſupra definitionē ſyllogiſmi addit, quòd tàm premiſſæ, quā eius cōcluſio ſint enunciationes abſolutæ.

Quia ſyllogiſmus eſt quoddā compoſitum rationis, habet ſuam quaſi materiam, & formam. Materia eſt duplex, vna proxima, & alia remota; proxima ſunt enunciationes, ex quibus immediatè componitur; remota verò ſunt termini immediatè cōponentes ipſas enunciationes.

Vbi eſt notandum cum Ariſt 1. prior. cap. 25. quod in quocunque ſyllogiſmo tres termini reperiūtur; quia in quocunq; ſyllogiſmo concluditur aliquid de aliquo, & hoc debet fieri mediāte aliquo tertio, quia aliàs idem probaretur per ſe ipſum; ergo in quocunque ſyllogiſmo tres termini reperiuntur, .s. id, quod cōcludendum eſt, & illud, de quo concludi debet, & tandem id, per quod cōcludi debet, qui omnes bis in ſyllogiſmo ponuntur. Ex his terminis ille, qui concludit de alio, ſi ſyllogiſmus directè cōcludit, dicitur maius extremum; ille verò, de quo alius concludit, dicitur minus extremū; tādem ille, per quem hoc fit, dicitur medius terminus, qui ab Hermano Rayano in Dialect. Ceſarij tract. 5. appellatur neruus, vinculum, & anima ſyllogiſmi, eo quod eo inuento facilè conſtruitur ſyllogiſmus.

171 Deindè notandum eſt, quod in quocūq; ſyllogiſmo dantur tres enunciationes, .s. duæ premiſſæ, ſeù propoſitiones cum cōcluſione, vel conſequenti (quod latius patet, quā concluſio; nam in omni argumentatione inuenitur; concluſio verò in ſola formali) quod ante conſtitutionem ſyllogiſmi nuncupabatur quæſitum. Cuius ratio eſt; quia in quocunque ſyllogiſmo cōcluditur vnio, vel diuiſio duorum terminorū (ecce concluſio) & hoc fit media vnione illorum, vel diuiſione vnius, & vnione alterius cum tertio, ſeù medio; ſed hoc nō poteſt fieri, niſi per duas propoſitiones, cum in quacunque propoſitione ſolū duo termini dentur, ergo in quocunque ſyllogiſmo dantur tres enunciationes, .s. duæ propoſitiones, & concluſio, vel cōſequens, v.g. in hoc ſyllogiſmo, omne animal eſt ſubſtantia, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia; illæ tres enūciationes sūt materia proxima; & ly, ſubſtātia, homo, & animal, materia remota: & ſubſtantia eſt maius extremū: homo minus: & animal medius terminus.

172 Forma ſyllogiſmi eſt diſpoſitio terminorum, & propoſitionum in ſyllogiſmo, quę eſt duplex, ſecundùm quod correſpōdet duplici materiæ explicitæ, Prima correſpondet materiæ remotę, quæ appellatur figura ſyllogiſmi, quæque ſic poteſt definiri. Figura ſyllogiſmi eſt diſpoſitio terminorum ſecundùm ſubiectionem, & prędicationem. Secunda correſpondet materiæ proximæ, quæ dicitur modus ſyllogiſmi, & ſic ſolet definiri: Modus ſyllogiſmi eſt apta diſpoſitio propoſitionū ſecundū affirmationem, vel negationem, vniuerſalitatem, vel particularitatē.

Notandum eſt primò, quod tunc propoſitiones ſyllogiſmi, qui eſt in aliqua figura, ſunt aptæ diſpoſitæ ſecundùm affirmationem, vel negatio-

tionem, quãdo vtraque est affirmatiua, vel saltem vna; nam vt optimè Summulistæ dicunt: *ex puris negatiuis nihil sequitur*.

173 Cuius ratio est, quia syllogismus ex puris negatiuis non potest concludere affirmatiuè, eò quòd medius terminus, qui est tota ratio coniungendi, cum neutri extremorum esset coniunctus; nec etiam negatiuè, quia ad hoc, vt vnum extremum non iungatur cũ alio per medium, debet idem medim esse coniunctum cum altero extremo, nam si vnum extremum ab altero disiũgitur propter medium, hoc debet oriri ex eo, quod disiungatur à medio, cum quo coniungitur aliud extremum; & ita ipsa extrema erunt ad inuicem disiuncta; si autem medium cum nullo extremo iungatur, non erit ratio neque coniungendi, neque separandi ipsa extrema.

Notandũ est secundò, quod tunc propositiones syllogismi, qui est in aliqua figura, sunt aptè dispositæ secundùm vniuersalitatem, vel particularitatem, quãdo vtraque est vniuersalis, vel saltem vna; nam vt optimè dicitur: *ex puris particularibus nihil sequitur ratione formæ*.

174 Cuius ratio est, quia in propositionibus particularibus non cõpletè distribuitur medium, idest, nõ accipitur secundùm totam suam latitudinem, & vniuersalitatẽ, sed solũ inadæquatè, idest, secũdùm partem: hinc fit, vt ex vi connexionis cũ medio, non sequatur connexio inter duo extrema; quia vnum ex his extremis potest in vna prçmissa cum medio coniungi secundùm vnam partem, & alterum extremũ in alia coniugi cum eodem medio secundùm alteram partem.

Ex quibus colligitur, quod sicut syllogismus, in quo vtraque prçmissa est negatiua, vel particularis, non est simpliciter syllogismus, sed tantũ analogicè, cum sit quædam vitiosa argumentatio, vitiosa .n. argumentatio non est simpliciter argumentatio, iuxta dicta sect. 1. ita neque simpliciter est in modo, cum non sit aptè dispositus secundùm vniuersalitatem, & particularitatem, affirmationem, & negationem.

SECTIO IV.

De numero figurarum syllogismi.

175 Qvia semper quælibet res priùs est definienda, quàm diuidenda, cùm esse pcedat posse, vt habetur 9. metaph. & definitio esse, diuisio verò posse indicet; ideò quid figura syllogismi sit iam explicato prçter. sect. quotuplex sit meritò in præsenti inquirimus. Pro quo

Sciẽdum est, quod tres sunt figuræ syllogismi, & nõ pauciores. Hoc dictum est ferè inter Peripateticos commune; & patet; quia apta dispotio medij cũ extremitatibus, in qua ratio figuræ consistit, solùm potest esse triplex; ergo triplex tantùm erit figura. Antecedens patet; nam vel medium subijcitur in maiori, & prçdicatur in minori, & sic est prima figura, quæ est alijs nobilior; quia ibi medium habet propriam sedem, situm, seu positionem medij; nam verè mediat, quando in vna subijcitur, & in altera prædicatur; vel in vtraq; predicatur, & sic est secũda, quæ est tertia dignior, quia in illa medium habet

habet digniorem locũ propositionis,cum sit prædicatum; vel in vtraque subijcitur, & sic est tertia, quæ est omnium infima; cum ibi mediũ sortiatur vltimum locum propositionis,cũ sit subiectum, & licèt medium non habeat propriam sedem, situm, seu positionem medij in secunda,& tertia figura; tamen in illis, vt in prima, est verè medium, quia ratio medij termini in syllogismo principaliter attenditur, quatenus præstat virtutem, & efficaciam ipsi syllogismo ad inferẽdam cõclusionem. Quod æquè medium prestat in omnibus tribus figuris, vt benè notat Floridus in libello de methodo inueniendi medium cap.7. Quæ omnia ostenduntur in hoc versu.

Sub, præ, prima; bis præ secunda; tertia bis sub.

176 Notandũ est, quod dixi, tres esse figuras syllogismi,& nõ pauciores propter Laurentium Vallam; & Augustinum Nimphum sentientes, dari solùm duas figuras, teste Murcia de ratione contradictor. qui ibidem fundamenta illorum adducit, & soluit. At verò, quia friuola sunt, breuitatis gratia omittuntur.

Sed quæres, vtrum sint plures, quàm tres figuræ syllogismi?

Ad solutionem huius quęsiti notandum est primò, quod Aurelius à Lipario in Logica cap. 15.§.3. ait, quod aliqui dixerũt, quod quinque modi indirecti, quos in prima figura cum cõmuni assignabimus infra, quartam constituant figuram. At, quia hoc dictum, vt de se patet, est valdè friuolum,ideò indignum,vt à Philosopho impugnetur.

177 Præterea notandum est secũdò,quod teste Auerroes 1. prior. cap.8. Galenus posuit quartam figuram omninò distinctam ab alijs tribus,quẽ aliqui Medici sunt secuti,& aliqui Scotistæ,vt Tataretus 1.prior. quæst. de figuris syllogism. & Rochus lib. 2. introduct. cap. 10. & dicunt,quod quarta figura est illa,in qua medium prædicatur in maiori propositione, & subijcitur in minori. Rochus enumerat quatuor modos huius figuræ hoc modo.

BA Omnis homo est animal.
MA Omne animal est viuens.
NA Ergo omnis homo est viuens.

CA Omnis homo est rationalis.
ME Nullum rationale est equus.
NE Ergo nullus homo est equus.

DI Quidam homo est animal.
MA Omne animal est substantia.
I. Ergo quidã homo est substãtia.

FI Quidam homo est doctus.
ME Nullum doctũ est irrationale.
TO Ergo quidam homo non est irrationalis.

178 His tamen non obstantibus ferè omnes alij Peripatetici illã reijciunt, prout distinctam essentialiter ab alijs tribus assignatur, Arist. sequ. 1.prior.cap.2. qui concludit,necesse esse fieri omnes syllogismos per tres p̃dictas figuras. Vndè Conimbricẽses in lib. 1. de priori resolut. cap.7. qu. 1. ad Medicos hæc proferũt verba: *Poterunt Medici minus esse solliciti de*

quatuor figuris in syllogismo, quàm de quatuor humoribus in corpore, nec enim si vna figura destruatur, cõtinuò ægrotabit, vt corpus absque quarto humore. Et Tellez in Summa Philosoph. part. 1. in logic. disp. 16. sect. 3. ait: *Galenus igitur potius circa quatuor humani corporis humores, quàm circa quatuor syllogismi figuras, mea iudicio consulatur.*

Ex Peripateticis nobiscum sentiẽtibus exeunt huius rei variæ probationes, quarũ præcipuas adducit Põtius in Logica disp. 20. quæst. 5. & doctè in sufficientiam earũ ostẽdit. At Mastrius 1. partit. institut. trac. 3. cap. 5. relictis oĩbus probationibus huius doctrinæ, hãc adducit, s. quod prima figura non est illa, in qua medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori, licèt communiter ita disponatur, sed est illa in qua medium in vna præmissa subijcitur, & in alia prędicatur, quæcunque illa sit, ex quo deducit, vel nõ dari quartam figuram, vel non esse essentialiter à prima distinctã. Attamèn, quia hoc vetustissimum dictum inuèni apud Paulum Venetum in Logica tract. contra Summulas, cap 7. vt delirium illud relinquo, & ideo

179 Sit cõclusio: admittenda est quarta figura, quæ tamen nullo modo essentialiter est à prima distincta; nam syllogismus factus in *Bamana* est in *Barbara*, & syllogismus in *Camene* est in *Canesfres*, & syllogismus in *Dimari* est in *Darij*, & tandẽ syllogismus factus in *Fimeto* est in *Ferio*, quia solũ differunt penes transpositionẽ præmissarum, et ideò sunt vtiles, sed nõ in quarta figura, sed in prima.

Probatur tota hęc doctrina, et cõsequenter secunda pars conclusionis: Illa præmissa vocatur maior, in qua reperitur maius extremum vnitum cum medio; sed in illis syllogismis maius extremum reperitur vnitum cum medio in secunda pręmissa, ergò secunda pręmissa est maior; & ideò in illis syllogismis medius terminus est subiectum in maiori, & prædicatum in minori, & consequẽter tales syllogismi sunt in prima figura. Maior licèt negetur à Trepezunto in sua Dialect. dicens, quod maior est illa præmissa, quæ ponitur in primo loco, conceditur tamen ab ipso Rocho loc. cit. c. 6. cum dicat, quod maior extremitas est terminus, qui in maiori ponitur cum medio, cum ex hoc sequatur hæc consequentia, ergo maior propositio est illa, in qua reperitur maius extremũ simul cum medio, quæ est maior nostræ probationis.

180 Minor, in qua est difficultas (ni fallor) probatur triplici efficaci argumento, & primò sic: Syllogismus factus in *Bamana* ab ipsis reducitur per transpositionem præmissarum ad *Barbara*, quod dicunt denotari per primam litterã illius dictionis, & per, M, quod in medio reperitur, sed omnis syllogismus in *Barbara* concludit directè, ergo cum in tali reductione conclusio non mutetur, signũ est, quod illi syllogismi concludunt directè. Tunc sic: ille syllogismus cõcludit directè, in quo maius extremum prædicatur de minori in cõclusione, sed prædicatum conclusionis in illis syllogismis vnitur cum medio in secunda propositione, ergo in illis syllogismis in secunda præmissa reperitur maius extremum vnitum cum medio.

Vt autem eandem minorem secundò probemus, debemus supponere id, quod certum est, .s. quod maior,& minor sunt relatiui, & cõsequenter; quod illa præmissa, quæ in syllogismo est maior, talis est in ordine ad minorem,& quod maior, & minor dicunt relationes fundatas in quantitate, & cõsequenter, quod illa præmissa est maior in syllogismo, quæ habet maiorem quantitatẽ alia; & illa minor, quæ habet minorem quantitatẽ alia. Hoc notato.

181 Probatur secundò minor argumenti: Illa præmissa est maior in syllogismo, quæ habet maiorẽ quãtitatem alia, sed in illis syllogismis secunda pręmissa habet maiorem quantitatem prima, ergo in illis syllogismis secũda pręmissa est maior. Maior huius probationis patet ex superiori notabili; minor verò quoad syllogismos in *Dimai*, & *Fimeto*, est per se manifesta, cùm in illis secũda præmissa sit vniuersalis; prima verò particularis; constat enim, vniuersalem esse maioris quantitatis particulari. Quoad syllogismos verò in *Bamana*,& *Camene* sic probo. Ex duabus propositionibus vniuersalibus illa est maioris quantitatis, quæ habet subiectum vniuersalius; sed subiectum secundarum præmissarum syllogismorum ab ipso adductorũ in prædictis modis est vniuersalius subiecto primarum; ergo in illis secundæ pręmissæ sunt vniuersaliores primis. Minor huius probationis cõstat, quia illud subiectum est vniuersalius alio, quod ad plura se extẽdit, sed, animal, quod est subiectum secundæ præmissæ syllogismi in *Bamana* in exemplo ab ipso adducto, est vniuersalius homine, qui est subiectum primæ, ambo accepti in eadẽ suppositione, vt ibi accipiuntur, & rationale, quod est subiectum secũdæ præmissæ syllogismi in *Camene* est vniuersalius homine, cum de Angelis etiam dicatur, acceptum in suppositione, qua ibi supponitur, quod est subiectum primæ pręmissæ, ergo subiectum secundarum præmissarũ horum syllogismorum est vniuersalius subiecto primarum.

182 Tandem eadem minor argumenti probatur. Si prima præmissa illorum syllogismorum esset maior, cum medium in ipsa prædicetur, haberet rationem totius respectu maioris extremi; & si secunda esset minor, cum ibi subijciatur, haberet rationem partis respectu minoris extremi, sed maius extremũ se habet vt totum respectu minoris extremi, ergo si in secunda præmissa illorum syllogismorũ nõ reperiretur maius extremum, medius terminus in illis syllogismis esset totũ, & pars; superius,& inferius; maius,&min⁹ respectu maioris extremi, quod implicat.

Dices contra cum Amico in Logica tract.23.disp.3.q.2.dub 6. Galenus voluit in sua figura mediũ prædicari de maiori extremitate, & subiici minori extremitati, ergo malè dicimus, quòd syllogismi quartæ figuræ solũ differũt à syllogismis primæ per trãspositionem præmissarũ.

183 Resp. ad antecedens, quod si Galenus hoc voluit, rem tàm possibilem voluit, ac si optaret naturaliter oculo corporeo immediatè videre substantiam medicamentorũ, vt patet ex tertia probatione minoris nostri argumenti,& ideò negatur consequentia. E 2 Quod

Quod autem sit admittẽda quarta figura in sensu explicato, quæ est prima pars nostræ conclusionis, ex hoc constat, quia ex modis enumeratis, & enumerandis nullus est, qui non obseruet omnes regulas modorũ vtilium adducendas sect. seq. ergò sunt modi vtiles,& cõsequẽter admittendi, quod magis ex solutione sequentis obiectionis constabit.

Dices cum Zanardo in Log. de syllog. sect. 2. quarta figura non est necessaria, & ideò meritò ab vsu reijcitur, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate;& nulla est necessitas admittendi quartam figurã, ergo quarta figura meritò ab vsu reijcitur.

184 Resp. quod est valdè necessarium amplam facultatem, regulatam tamen, prębere syllogizãtibus, vt facilè circa quamcumq; materiã syllogizare possint, vt benè Rochus loc. cit. quod fit admittendo quartã figuram,vt bonã,& vtilem;sed vt indistinctam essentialiter à prima, vt nos facimus in nostra conclusione.

Dices tandem cum de Rachonis 3. par. Log sect. postrema q.2.quarta figura, quamuis verum cõcludere possit,non est tamen admittenda; sed tamquam præternaturalis, & inutilis reijcienda: nam ordo naturalis syllogismorũ est, vt maius extremum ponatur in maiori,& minus in minori,cuius tamen cõtrarium cernitur in syllogismis huius figuræ.

Resp.quod prędictus Doctor valdè fallitur in hoc,quod dicit,.s.quòd maius extremũ in syllogismis quartæ figuræ reperiatur in minori propositione, & minus extremum in maiori; vt patet ex supradictis.

185 Pro complemento huius sectionis notandum est, quod noster Lalem. hìc,partit.4. quartam figurã Galenicam,vt distinctã a tribus peripateticis admittit, & in Log. disp. 8. partit. 3. hoc pluries probat. Attamen argumentum adductũ pro nostra sententia nõ soluit, quod etiam ad hominem militat cõtra suos modos,licèt sint diuersi,& quodammodo artificiosiores, quàm modi Rochi; nam syllogismus in *Barmapi* est in *Baralipton:* & syllogismus in *Calerems* est in *Celantes*, & syllogismus in *Dimaris* est in *Dabitis*, & syllogismus in *Firemos*, est in *Ferio*, conuersa conclusione simpliciter. Præterea syllogismus in *Bamalit* est in *Barbara*, licèt talis modus malè sit fictus;nam licèt particularis in materia necessaria inferat suam subalternantem,nõ tamen in materia cõtingenti. Deindè *Calement* est in *Celarent*, & syllogismus in *Dimati* est in *Darij:* Syllogismus verò in *Fesapos* est in *Ferio;* & tãdem *Fesisso* est in *Ferio*.

186 Restat solum, vt argumenta illius soluamus. Et in primis primum solutum manet ex probatione nostræ conclusionis. Instantiam verò illius placuit hìc adducere,vt ne aliquid difficultatis in hac re maneat, quæ sic se habet. Vbi est diuersa transpositio præmissarum, ibi est diuersa transpositio medij; sed vbi est diuersa transpositio medij, ibi est distincta figura; ergo cum in syllogismis quartæ figuræ est diuersa transpositio præmissarũ à syllogismi primæ, illi sunt in figura, & specie distincti ab istis.

Resp. negando maiorem;nam ad transpositionem prẹmissarũ sufficit, vt

vt maior in secundo loco, & minor in primo ponantur; ad transpositionē verò medij, debet ipsum mutari quoad prædicationē, & subiectionē, respectu maioris, & minoris extremi. Vnde in syllogismis quartæ figuræ, licèt præmissæ trāsmutatæ reperiantur, non tamen mediū, vt cōstat ex probatione nostræ conclusionis.

Sed si ille hanc videret responsionem, sic contra illam fortè instaret: *Camestres* in secunda figura, & *Disamis* in tertia differunt à syllogismis in *Celarent*, & *Darij*, per hoc solùm, quod in illis sunt transpositæ præmissæ, cū per transpositionē ad istos reducantur; ergo vel illi syllogismi non sunt essentialiter distincti in figura à syllogismis primæ figuræ numeratis, vel syllogismi quartæ sunt quoque in figura essentialiter distincti à syllogismis primæ figuræ.

187 Resp. quod syllogismi in *Camestres*, & *Disamis* differunt essentialiter in figura à syllogismis in *Celarent*, & *Darij* non præcisè, quia ad hoc, vt illi ad istos reducantur, sunt illorum præmissæ transmutandæ; sed quia ad hoc, vt talis reductio fiat, debet conuerti vna sola ex præmissis, ex eo, quod mediū diuersimodè in ordine ad extremitates se habet in illis, quàm in istis: quod non reperitur in syllogismis quartæ figuræ, & primę, vt euidenter satis probatum est.

Reliqua argumēta illius vel nihil probant posita probatione nostræ conclusionis; vel solum primā partem nostrę conclusionis confirmāt; vt intuenti patebit. Quod etiam faciunt illa, quæ adducit Baranz. p. par. Summæ Philosoph. 3. par. Log. dubit. 4. Qui problematicus est in hac difficultate. Noster verò Clemens in prim par. Prodromi scient. trac. 3. qu. 3. admittit quartam figuram, vt essentialiter ab alijs distinctam, dicēdo, quod est illa, in qua medium prędicatur de maiori extremo, & subijcitur minori, & concedit, quod sola transpositio præmissarū non mutat figurā; quia aliàs (vt rectè dicit) sex, & nō quatuor essent figuræ, cùm in omnibus tribus figuris trāsponi possunt pręmissæ; attamen, quia meas rationes non soluit, licèt me ibidem citet; neque aliquam ad cōfirmationem suæ doctrinæ adducit, quatenus opponitur nostræ, existimo, q melius faceret, cum sit kabalista, si cum kabalisticis tres tantùm figuras admitteret.

SECTIO V.

De regulis communibus omnium modorum vtilium trium figurarum.

188 Antequā ad singulos vnius cuiusque figuræ modos explicādos accedamus, oportet tradere aliquas regulas generales, quas obseruare debent omnes modi cuiuscunque figuræ ad hoc, vt vtiles sint. Pro quo

Notandum est, quod tota ars syllogistica innititur duobus prīcipijs. Primum est, *quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; idest quando aliqua duo vniuntur cū aliquo tertio, seù medio, necesse est, vt vniantur inter se. Hoc principium deseruit syllogismis cōcludentibus affirmatiuè, v. g. omne animal est sensibile, sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensibilis, vbi quia sensibile vnitur cum animali, & homo etiam cum animali, sequi-

tur vnio ſenſibilis cum homine.

189 Secundum principium eſt, *quando vnum eſt idem cum tertio, cum quo alterum non eſt idem, non poſſunt eſſe idem inter ſe*; ideſt quando aliqua duo ita ſe habent, vt vnum vniatur cum aliquo tertio, ſeù medio, cum quo nõ vnitur aliud, neceſſe eſt, vt inter ſe non vniantur. Quod principium deſeruit ſyllogiſmis concludentibus negatiuè, v.g. nullũ animal eſt lapis, ſed omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis; vbi, quia homo, & animal vniuntur, & animal differt à lapide, cõcluditur, lapidem differre ab homine.

Sunt autem hæc principia per ſe nota, quia innituntur vniuerſaliſſimo illi principio, .s. *quodlibet eſt, vel nõ eſt*, quod per ſe eſt manifeſtum, & licet ſint omnibus ſyllogiſmis communia, eorum tamen vis in expoſitorio euidentiùs apparet; quia eius medius terminus eſt magis vnum, quàm medius terminus aliorũ ſyllogiſmorũ, cũ ſit termin⁹ ſingularis.

190 His duobus principijs innituntur alia duo in Logica valdè vſitata, quæ à præcedentibus ſolum diſtinguuntur penes hoc, quod illa ſumuntur in ordine ad eſſe; hæc verò in ordine ad prædicari, quæ appellãtur, *dici de omni, & dici de nullo*. Primũ reddit hunc ſenſũ, quidquid vniuerſaliter affirmatur de aliquo ſubiecto, affirmatur etiam de quocũque cõtento ſub tali ſubiecto: ſecundũ verò reddit hunc ſenſũ, quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo ſubiecto, negatur etiã de quocunque contento ſub tali ſubiecto. Per hęc principia probãt Logici, oẽs cõcluſiones omniũ ſyllogiſmorũ, vt poſtea videbimus, hæc in principia nõ ſunt tàm vniuerſalia, vt prima; quia non deſeruiunt ad ſyllogiſmum expoſitorium, ſed tantùm ad ſyllogiſmũ, cuius medius eſt terminus cõmunis, cui termino dũtaxat applicari poſſunt ſigna vniuerſalia, omnis, & nullus, hęc principia cõſtituentia.

Sed contra primum principium dices; ſi illud principium eſſet abſolutè verum, ſequeretur, conſequentiam huius ſyllogiſmi eſſe veram, .s. hęc eſſentia diuina eſt Pater, ſed hęc eſſentia diuina eſt Filius, ergo Filius eſt Pater, ſed hoc eſt contra fidem diuinam, ergo illud principium abſolutè non eſt verum.

191 Reſp. quod illud principium eſt abſolutè verum, ita vt ſemper verum ſit, quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe quoque inter ſe eadem, illa tali identitate, non autem maiori, quæ ſunt eadem cum tertio; quia nõ poteſt concludi aliqua identitas extremorum inter ſe, niſi ea, quæ ſunt eadem cum tertio, vt benè inſinuat Arſenius Erudelius diſp. 5. in Porphirium dilucidat. & in prædicamẽtis ſect. 3. ad tertium. Vndè ex identitate reali inadæquata, & ſecundum quid perſonarum cum eſſentia inferri poteſt idẽtitas realis inadęquata, & ſecundum quid inter ſe, ideſt ſecundũ eſſentiam, non autem maiori; nam licet Pater in diuinis ſit realiter idem cũ eſſentia diuina; non tamen eſt idem adęquatè, & cõuertibiliter, ſiuè cum omnimoda, & reciproca identitate; ita vt cui omni identificatur vnum, aliud quoque identificetur; quia eſſentia identificatur Filio, & Spiritui Sãcto, quibus tamen Pater nõ idẽtificatur; vt perdoctè

doctè docet Martin. in disp. Theol. tom. 1. disp. 25. sect. 7. vbi latè hoc prosequitur.

192 Vndè in forma ad argumentum neganda est sequela, quia talis syllogismus affertur, vt expositorius, cum tamen re vera talis non sit; sed sophisma, cuius ratio redditur sect. 11. & postea neganda est consequentia propter dicta.

Ex his principijs deducuntur sequentes quatuor leges, seu regulæ ad iudicandum de bonitate consequentiæ in vnoquoque modo cuiuscunque figuræ.

Prima est, vt mediũ in aliqua saltem præmissa debeat distribui, idest accipi pro omnibus suis significatis, seu distributiuè supponi, vt sic perfectè possit cõiungi, vel disiungi ab extremitatibus, quia aliàs tunc non daretur *dici de omni*, & *dici de nullo*, (non loquimur de syllogismo singulari, seu expositorio, de quo infra) propter quod ex puris particularib⁹ nihil sequitur in quacunque figura ex vi illationis; vt diximus; non enim valet, aliquis homo est animal, sed aliquis equus est animal, ergo aliquis equus est homo.

193 Secunda est, vt in conclusione non debeat distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis, quæ doctrina fundatur in illa generali regula supra tradita, .s. conclusio semper sequitur debiliorem partem; indè enim fit, nihil debere esse in cõclusione, quod excedat virtutem præmissarum, ac proindè quemcunque terminum non distributum in præmissis non debere distribui in conclusione.

Tertia est, vt medium sub ratione medij nõ debeat intrare in cõclusionem. Huius regulæ optima ratio traditur à Rodolpho Goclenio p. 3. controuer. .s. quia efficiens non est pars sui effectus, sed mediũ est causa vnionis, vel diuisionis, quę enunciatur in conclusione, ergo non potest esse pars talis vnionis, vel diuisionis, & consequenter neque in conclusionem intrare.

194 Quarta tandem est, quod in tribus terminis, ex quibus tantũ syllogismus constare debet, nõ varientur proprietates terminorum; excepta suppositione, quæ prouenit à signis; vndè tàm medium, quàm extremitates, non debent esse termini æquiuoci, vel in vna propositione ampliari, & in alia restringi: Ratio est, quia iam in rei veritate nõ essent tres termini in syllogismo, sed quatuor, si vnus diuerso modo supponeretur, ampliaretur, &c.

Aliæ regulæ propriæ vnicuique figuræ communiter assignantur; attamen, quia in his fundantur, & istæ sufficiunt ad euitandam confusionem, quam solet parere multiplicatio præceptorum, omittuntur.

SECTIO VI.

De numero modorum omnium figurarum.

195 CVm modus syllogismi sit apta dispositio propositionum secundum affirmationem, vel negationem, vniuersalitatem, vel particularitatem, vt diximus sect. 3. ideò tot erunt modi in vnaquaque figura, quot possunt reperiri aptæ ordinationes præmissarum secundum affirmationem, vel negationẽ, vniuersalitatem, & particularitatẽ: cũ autem talis apta ordinatio possit

fieri in omnibus figuris obseruando omnes regulas superiori sectione traditas, & peccãdo contra aliquam ex eis: ideò in vnaquaque figura aliqui modi vtiles reperiuntur, illi .s. qui obseruant omnes regulas superiori sectione traditas; & alij inutiles, qui .s. peccant contra aliquã ex prędictis regulis, qui oẽs infrà ponẽtur.

Et nota, quod signum euidens, quod aliquis modus est inutilis, est, quòd semel ex præmissis veris falsũ cõsequens in illo deducatur; nam in modo vtili ex præmissis veris semper verã conclusionem deducitur.

Modi vtiles directè concludentes primæ figuræ.

196 CVm vtraque præmissa est vniuersalis affirmatiua, cõclusio verò vel vniuersalis affirmatiua, hic modus *Barbara* vocatur; vel particularis affirmatiua, qui *Barbari* solet dici.

Cùm minor est vniuersalis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua; cõclusio verò vel vniuersalis negatiua, hic modus *Celarent* dr̃, vel particularis negatiua, qui dici solet *Celabo*.

Cùm maior est vniuersalis affirmatiua; minor particularis affirmatiua, conclusio etiã particularis affirmatiua, hic modus *Darij* vocatur.

Cùm maior est vniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua, conclusio verò particularis negatiua, hic modus *Ferio* nominatur.

Et nota, quod particularis hic accipitur negatiuè pro nõ vniuersali, vnde hic syllogismus est in *Darij*, oĩs homo est animal, sed Petrus est homo, ergò Petrus est animal, vt benè notat Comptonus hic sect. 3. nu. 8.

197 Nota præterea, quod hi quatuor modi, sicut dicuntur perfecti; quia nullo indigent, vt necessarij appareant; ita & directè concludere, quia in conclusione illorum maius extremum de minori extremo semper prædicat: reliqui verò vtiles huius figuræ, sicut imperfecti censentur, quia indigẽt reductione ad quatuor priores primæ figuræ; ita indirecti, quia in eorum conclusionibus minus extremũ de maiori prędicat.

Nota tandem, quod *Barbari*, & *Celabo* non distinguuntur à *Barbara*, & *Celarent*; quia sub vniuersali particularis continetur, & syllogismus, qui potest inferre cõclusionem vniuersalem, potest etiam inferre particularem, propter subalternationem istius ad illam.

Sed quæres primò; An cõclusio directa necessario debeat esse prædicatio directa, nec ne?

Resp. cum Casilio lib. 3. Summul. cap. 10. quod non; quia ad hoc, vt aliquis syllogismus concludat directè, sufficit, vt maius extremum de minori prædicet in conclusione, ꝙ potest stare, etiamsi talis conclusio sit prædicatio indirecta, vt patet in hoc syllogismo in *Darij*; omne animal est corpus, sed aliqua substantia est animal, ergo aliqua substantia est corpus, vbi vides cõclusionem directã esse prædicationem indirectam.

198 Quæres secundò, quot sunt modi vtiles indirecti primæ figuræ?

Resp. quod quinque communiter assignantur sic.

Cùm vtraq; præmissa est vniuersalis affirmatiua: cõclusio verò particularis affirmatiua. Qui dicitur *Baralipton*.

Cùm

Cùm maior est vniuersalis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua: cõclusio verò vniuersalis negatiua. Qui modus dicitur *Celantes*.

Cum maior est vniuersalis affirmatiua, minor particularis affirmatiua: cõclusio etiã particularis affirmatiua. Qui modus dicitur *Dabitis*.

Cùm vtraq; præmissa est vniuersalis, prima affirmatiua, & secunda negatiua, conclusio verò constans ex vtroque termino infinito est particularis negatiua. Qui modus dicitur *Fapesmo*.

Cùm prima præmissa est particularis affirmatiua, & secunda vniuersalis negatiua; conclusio verò constans ex vtroque termino infinito est particularis negatiua. Qui modus *Frisesomorum* dicitur.

199 Quæres tertiò, cur contra cõmunem opinionem dico, quod termini conclusionis in *Fapesmo*, & *Frisesomorum* debeant esse infiniti?

Resp. quia ex communi explicatione horum modorum sequitur, vel quod prædicti modi concludunt directè, quod nullus dixit: vel quod aliqua conclusio de indirecta fieri potest directa sine aliqua cõuersione, aut mutatione sui, quod existimo impossibile. Primum patet, quia omnes cõclusiones in *Ferio* sunt directæ, sed conclusiones syllogismorum in *Fapesmo*, & *Frisesomorum* sunt in *Ferio*, vt potè quia cum illi modi ad istum reducuntur, conclusio illorũ non mutatur, ergo ex communi explicatione illorum modorũ sequitur, quod prędicti modi concludunt directè. Secundum etiam est manifestum, cum communiter dicatur, quod prædicti modi concludunt indirectè, & tamen dicunt, reduci ad *Ferio* directè concludens sine aliqua conuersione conclusionis, ergo ex communi explicatione horum modorũ sequitur, quod conclusio illorum fit de indirecta directa sine aliqua cõuersione, aut mutatione sui.

Ideò dico, quod indirectè cõcludunt, sed termini conclusionis eorũ sunt infiniti, quod denotatur per literam, m, in vltima syllaba inuenta, vt infra explicabimus: Nam ad hoc inseruit conuersio per contrapositionem, vt in reductione illorũ syllogismorum ad *Ferio*, conclusiones eorum tali conuersione cõuertantur, vt etiam infrà dicemus.

200 Cùm autem hanc doctrinã, vt si esset aliena, considerarem, sequens obiectio mihi venit in mentem: conclusio syllogismi in *Camestres*, & *Disamis* est directa; sed quando reducitur ad *Celarēt*, & *Darij*, quãuis conuertatur simpliciter, adhuc manet directa, ergo quamuis conclusio in *Fapesmo*, & *Frisesomorum*, sit in directa, benè potest fieri directa, cũ reducitur ad *Ferio* sine hoc, quod conuertatur. Consequentia patet; quia si conclusio indirecta non posset fieri directa sine sui cõuersione, sequeretur, quod quotiescunque aliqua conclusio directa conuerteretur, fieret indirecta, quod esse falsum, patet ex antecedẽti huius probationis.

Resp. quod licet non possit conclusio indirecta fieri directa sine sui conuersione, aut mutatione, tamen aliqua cõclusio directa alicuius syllogismi potest manere directa in reductione talis syllogismi etiã si ipsa cõuertatur, dũmodò termini ipsius muten-

mutentur, ideſt maius extremũ fiat minus, & è contra, & talis reductio fiat in modo directo, nam cõcluſio, cuius termini mutantur, incipit eſſe de nouo concluſio, & ideò accipit eſſe iuxta modum,in quo fit; cum igitur termini ſyllogiſmi in *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*, non mutentur in reductione talium ſyllogiſmorum, & iuxta communem explicationem, cõcluſio illorum in tali reductione non conuertatur; ideò prout ſic nõ poteſt fieri de indirecta directa. At verò quia termini concluſionis in *Cameſtres*, & *Diſamis* mutantur in reductione illius, cum talis reductio fiat in diuerſa figura, nihil mirum quod maneat cõcluſio directa, quãuis conuertatur ſimpliciter,& maximè: quia reductio illius fit in modo directo concludente, .s. in *Celarent*, & *Darij*.

201 Si autem hæc noua doctrina nõ placet,accipite aliam recentem, .s. quod concluſio in *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum* non debet eſſe illa formaliter, quæ cõmuniter deducitur, ſed eius conuertens per conuerſionem ſimplicem. In quo dicto ſuppoſito id,quod ſupra diximus,ſolum eſt difficultas in hoc,quod particularis netiua, qualis eſt concluſio illorũ duorum modorum; poſſit ſimpliciter conuerti, quod eſt expreſsè contra Ariſtot. Ad quod facilè reſponderi poteſt,quod licèt ſit contra Ariſtot. eſt tamen conforme veritati;nam vt notaui lib. 2. ſect. 8. termini tàm in conuerſa,quàm in cõuertente cum eadem ſuppoſitione, ampliatione, &c. ſumi debent; vnde benè valet: quoddam animal non eſt homo, ergo quidam homo non eſt animal. Sumpto, animal, in eadem ſuppoſitione,&c. in hac conuertente, ac in illa conuerſa. De conuerſione ſimplici particularis negatiue conſulite Honoratũ de Robertis in Cõment. Logical. p. p. tract. 1. de ſyllogiſmo.

Modi inutiles primæ figuræ.

202 Cum maior eſt particularis affirmatiua, & minor vniuerſalis affirmatiua.

Cũ maior eſt particularis negatiua,& minor vniuerſalis affirmatiua.

Cũ maior eſt vniuerſalis affirmatiua, & minor vniuerſalis negatiua.

Cũ maior eſt particularis affirmatiua, & minor vniuerſalis negatiua.

Cũ maior eſt vniuerſalis affirmatiua,& minor particularis negatiua. Duo priores ſunt inutiles; quia peccant contra primam regulam modorum vtilium; tres verò vltimi, quia contradicunt ſecundæ.

Aliæ combinationes præmiſſarũ adducuntur à Conimbricenſibus in Log.& à Complutenſibus hic,quæ; ſicut & aliæ,quæ ab eiſdẽ Doctorib⁹ adducũtur in alijs duabus figuris, & à nobis omittuntur,non faciunt aliquem modum ſyllogiſmi iuxta dicta in fine ſectionis tertiæ.

203 Ex quibus colligitur, quod in prima figura ſunt quatuordecim modi, ex quibus nouem ſunt vtiles, quatuor .s. directè concludentes, & perfecti; quinque verò indirectè cõcludentes,& imperfecti; & quinque inutiles.

Sed quęres quarto,an modi à Rocho aſſignati pro quarta figura, & à nobis adducti ſect. 4. diſtinguantur eſſentialiter ab enumeratis.

Reſp. quod non differunt eſſentiali-

tialiter, sed tantùm accidentaliter: quia non differunt à perfectis, nisi in transpositione præmissarum, quæ transpositio sicut nō diuersificat essentialiter prædictos syllogismos à quatuor perfectis in figura, ita neque in modo.

Modi vtiles directè concludentes secundæ figuræ.

204 CVm maior est vniuersalis negatiua; minor vniuersalis affirmatiua; conclusio verò vniuersalis negatiua: hic modus dicitur *Cesare*.

Cum prima premissa est vniuersalis affirmatiua, secunda vniuersalis negatiua; conclusio verò vniuersalis negatiua: hic modus dr̄ *Camestres*.

Cum maior est vniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua; conclusio verò particularis negatiua: hic modus dicitur *Festino*.

Cum maior est vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, conclusio verò particularis negatiua: hic modus dicitur *Baroco*.

Qui quatuor modi licèt vtiles dicantur; quia obseruant omnes regulas supra traditas, & imperfecti, quia vt vis cōcludendi eorum euidenter appareat, indigēt reductione ad quatuor primos primæ figuræ: tamen directè concludunt, quia in eorum conclusionibus maius extremum de minori prædicatur.

205 Sed quæres quinto, an in hac secunda figura sint aliqui modi vtiles indirectè concludentes, & quot.

Resp. quod in hac secūda figura, sicut sunt quatuor modi vtiles directè concludentes; ita & quatuor vtiles indirectè concludentes, qui sic formantur: accipiendo combinationes præmissarum modorum directorum, & conclusiones eorum conuersæ ea conuersione, qua conuerti valent iuxta dicta sect. 8. lib. 2. quia à conuersa ad conuertentem est bona cōsequentia, & ex præmissis, ex quibus infertur aliqua cōuertens, infertur etiam sua conuersa, vt de se patet. Vndè primus modus habet easdem premissas cum *Cesare*; conclusio verò est eadem vel simpliciter, vel per accidens conuersa; ita similiter formatur secūdus cum præmissis *Camestres*. Tertius verò formatur cum præmissis syllogismi in *Festino*; conclusio verò eadem, sed per transpositionem, vel simpliciter conuersa. Quartus tandem eodem modo fit cum præmissis in *Baroco*.

Hìc tamen est notandum, quod Pontius in Log. disp. 20. qu. 5. contrarium sustinet; sed quia fundamētum nostrum nō soluit, & ex nostro sequitur falsitas sui, vt patebit intuēti, ideò nihil circa hoc restat dicēdū.

Modi inutiles secundæ figuræ.

206 CVm vtraque præmissa est vniuersalis affirmatiua.

Cum maior est vniuersalis, & minor particularis, ambæ affirmatiuæ.

Cū maior est particularis, & minor vniuersalis, ambæ affirmatiuæ.

Cū maior est particularis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua.

Cū maior est particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua.

Ex his modis tres priores sunt inutiles defectu primæ regulæ: duo verò posteriores defectu secundæ.

Modi

Modi vtiles directi tertiæ figuræ.

207 Cum vtraque præmissa est vniuersalis affirmatiua, cõclusio verò particularis affirmatiua; hic modus dicitur *Darapti*.

Cum maior est vniuersalis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, conclusio verò particularis negatiua, hic modus dicitur *Felapton*.

Cum prima præmissa est particularis affirmatiua, secunda vniuersalis affirmatiua, conclusio verò particularis affirmatiua, hic modus dicitur *Disamis*.

Cũ maior est vniuersalis, minor particularis vtraque affirmatiua, cõclusio verò particularis affirmatiua, hic modus dicitur *Datisi*.

Cum maior est particularis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, conclusio verò particularis negatiũa, hic modus dicitur *Bocardo*.

Cum maior est vniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua, conclusio verò particularis negatiua, hic modus dicitur *Ferison*.

208 Qui sex modi vtiles, imperfecti, directè concludentes dicuntur, vt de quatuor modis secundæ figuræ supra diximus. Et nota, quod in hac tertia figura tot modi vtiles indirectè concludentes reperiuntur, quot directè concludentes, sicut in secunda, qui eodem modo formantur proportione formata sicut in secunda.

Quæres tandẽ, cur Logici vsque modo non inuenerunt aliquas dictiones pro modis secundæ, & tertię figuræ indirectè concludentibus, sicut inuenerũt pro modis indirectis primæ figuræ.

Resp. quod nulla est ad hoc ratio, nisi quia noluerunt; & forsitan noluerunt, quia faciliori modo formãtur, cum omnes eodem modo formentur per solam conuersionẽ cõclusionis modi directi. Quod autem illi nõ fecerũt, neq; ego facere curo.

Modi inutiles tertiæ figuræ.

209 Cum maior est vniuersalis affirmatiua, minor verò vniuersalis negatiua.

Cum omnes tres enunciationes sunt vniuersales affirmatiuæ.

Cũ maior est vniuersalis affirmatiua, & minor particularis negatiua.

Cum maior est particularis affirmatiua, minor verò vniuersalis negatiua. Qui quatuor modi sũt inutiles defectu secũdæ regulæ. Ex quib⁹ colligitur, quòd modi vtiles omniũ figurarum sunt viginti nouem, ex quibus quatuordecim directè concludunt, reliqui verò indirectè, & quod Logici inuenerunt solùm decem, & nouem dictiones, docentes cõstruere quatuordecim modos directos trium figurarum, & quinque indirectos primæ figuræ, quos in his quatuor versibus clauserunt, vt facilè possent adolescentes illos memoria retinere.

210 *Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Nota, quòd in vnaquaque ex his vocibus inuenitur in primis tribus syllabis vna ex his quatuor vocalib⁹, scili-

scilicet, a, e, i, o, pro quarum significato, habendus est in memoria ille versus, .s. Asserit, A, &c. nam vocalis ex enumeratis inuenta in prima syllaba significat primam propositionem illius modi debere esse vel vniuersalem, &c. Hoc idem significat in secunda pro secunda, & in tertia pro cõsequenti: si autem aliquæ syllabæ præter tres priores in illis vocibus inueniantur, non sunt considerandę, quia ponuntur metri gratia. Et nota, quod, m, inuenta in vltima ex tribus syllabis pro compositione talis modi denotat, quod termini cõclusionis debent in ipsa mutari, idest, cum in præmissis sint finiti in conclusione debent esse infiniti.

SECTIO VII.

In qua proponuntur exempla omnium modorum trium figurarum.

Exempla quatuor modorum vtilium, perfectorum, directè concludentium prima figura.

211

BAR Omne animal est substantia.
BA Sed omnis homo est animal.
RA Ergo omnis homo est substantia.

CE Nullum animal est lapis.
LA Sed omnis homo est animal.
RENT Ergo nullus homo est lapis.

DA Omne animal est sensibile.
RI Sed aliquis homo est animal.
I Ergo aliquis homo est sensibilis.

FE Nullum animal est lapis.
RI Sed aliquis homo est animal.
O Ergo aliquis homo non est lapis.

Exempla quinque modorum vtilium, imperfectorum, & indirectè concludentium prima figura.

BA Omne animal est substantia.
RA Sed omnis homo est animal.
LIP. Ergo aliqua substantia est homo.

CE Nullum animal est insẽsibile.
LAN Sed omnis homo est animal.
TES Ergo nullum insensibile est homo.

DA Oẽ albũ est disgregatiuũ visus.
BI Sed aliquis homo est albus.
TIS Ergo aliquod disgregatiuum visus est homo.

FAP Omne album est coloratum.
ES Sed nullus coruus est albus.
MO Ergo aliquod non coloratum non est non coruus.

FRIS Aliquod nigrum est homo.
ES Sed nullum album est nigrũ.
OM Ergo aliquis non albus nõ est non homo.

Exempla quinque modorum inutilium prima figura.

I Aliquod animal est rationale.
A Sed omnis equus est animal.
I Ergo aliquis equus est rationalis.

O Aliquod ens nõ est substãtia.
A Sed omnis lapis est ens.
O Ergo aliquis lapis non est substantia.

A Omne animal est substantia.
E Sed nullus lapis est animal.
E Ergo nullus lapis est substãtia.

I Aliquod animal est substãtia.
E Sed nullus lapis est animal.
O Ergo aliquis lapis non est substantia.

A Omne animal est substantia.
Sed

O Sed aliquis lapis nō est animal.
O Ergo aliquis lapis non est substantia.

Exempla quatuor modorum vtilium directè concludentium secundæ figuræ.

212

CES Nullus equus est rationalis.
A Sed omnis homo est rōnalis.
RE Ergo nullus homo est equus.

CAM Omnis homo est rationalis.
ES Sed null⁹ equus est rationalis.
TRES Ergo nullus equus est homo

FES Nullus lapis est animal.
TI Sed aliquis homo est animal.
NO Ergo aliquis homo non est lapis.

BA Omnis homo est animal.
RO Sed aliqs lapis nō est animal.
CO Ergo aliquis lapis non est homo.

Exempla modorū inutilium secundæ figuræ.

A Omnis homo est animal.
A Sed omne sēsibile est animal.
A Ergo omne sensibile est homo.

A Omne animal est substantia.
I Sed aliquis lapis est substātia.
I Ergo aliquis lapis est animal.

I Aliquis equus est animal.
A Sed omnis homo est animal.
I Ergo aliquis homo est equus.

O Aliquis homo non est rhetor.
A Sed omnis doctus est rhetor.
O Ergo aliquis doctus non est homo.

I Aliqua substantia est homo.
E Sed nullus lapis est homo.
O Ergo aliquis lapis non est substantia.

Exempla sex modorum vtilium imperfectorum, & directè concludentium tertiæ figuræ.

213

DA Omne animal est sensibile.
RAP Sed omne aīal est substantia.
TI Ergo aliqua substantia est sensibilis.

FE Nullum animal est lapis.
LAP Sed omne aīal est substantia.
TON Ergo aliqua substantia non est lapis.

DIS Aliquod animal est rationale.
AM Sed omne aīal est substantia.
IS Ergo aliqua substantia est rationalis.

DA Omne animal est substantia.
TIS Sed aliquod aīal est rationale.
I Ergo aliquod rationale est substantia.

BO Aliquod animal non est lapis.
CAR Sed omne aīal est substantia.
DO Ergo aliqua substantia non est lapis.

FE Nullus lapis est animal.
RIS Sed aliquis lapis est substantia.
ON Ergo aliqua substantia non animal.

Exempla modorum inutilium tertiæ figuræ.

A Omne animal est substantia.
E Sed nullum animal est lapis.
E Ergo nullus lapis est substantia.

A Omne animal est sensibile.
A Sed omne animal est substantia.
A Ergo omnis substantia est sensibilis.

A Omne animal est substantia.
O Sed aliquod animal nō est equus.

Ergo

O Ergo aliquis equus non eſt ſubſtantia.
I Aliquod animal eſt ſubſtantia.
E Sed nullum animal eſt lapis.
O Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.

Exempla verò modorum indirectorum ſecundæ, & tertiæ figuræ omittũtur, quia ex dictis in præterita ſectione facilè quis formare poteſt.

SECTIO VIII.

De approbatione Syllogiſmorum perfectorũ, & de reductione imperfectorum.

214 SIcut ex varia terminorũ habitudine reſultãt variæ proprietates eorum, & ex diuerſa comparatione propoſitionum, diuerſæ etiam illarum paſſiones, de quibus prima, & ſecunda parte egimus; ita etiam ex varia diſpoſitione tàm terminorum, quàm propoſitionũ, quæ reperitur in ſyllogiſmis, oritur in eis diuerſo modo probari, & reduci, & ita probatio, & reductio ſunt proprietates ſyllogiſmi, de quibus in hac ſectione agemus, poſtquam eſſentiam illius explicauimus in præteritis.

Quia quatuor primi modi primæ figuræ ſunt perfecti, non indigent reductione, ideò vis illorum probatur per illa duo principia, .s. *dici de omni*, & *dici de nullo*, nam ſi quis negaret concluſionem huius ſyllogiſmi in *Barbara*, omne animal eſt ſenſibile, ſed oĩs homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſibilis; probatur per *dici de omni*, ſic, quidquid vniuerſaliter affirmatur de ſubiecto, affirmatur etiam de omni contento ſub illo; ſed ſenſibile affirmatur vniuerſaliter de animali in maiori, ergo debet etiam affirmari de omni cõtento ſub illo; ſed homo continetur ſub illo in minori, ergo ſenſibile debet affirmari de homine in cõcluſione.

Per idem principium probantur concluſiones ſyllogiſmi facti in *Darij*, vt intuenti patebit.

215 Si quis autem negaret concluſionẽ ſyllogiſmi facti in *Celarent*, per *dici de nullo*, probanda eſt, v.g nullum animal eſt lapis, ſed omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. Hæc concluſio ſic probatur; quidquid vniuerſaliter negatur de ſubiecto, negatur etiam de omni contento ſub illo, ſed lapis vniuerſaliter negatur de animali in maiori, ergo debet negari de omni contento ſub animali, ſed homo cõtinetur ſub illo in minori, ergo in concluſione rectè de illo negatur lapis. Per quod principium etiam probantur ſyllogiſmi in *Ferio*.

Cognito iam, quomodo probentur immediatè per prima principia quatuor modi perfecti, explicandũ ſupereſt, quomodo cæteri imperfecti ad illos reducantur, vt ita, qui negauerit cõſequentiam alicuius modi imperfecti, cogatur etiam negare illam in modo perfecto. Vnde reductio ſyllogiſmorum imperfectorum nihil aliud eſt, quàm probatio bonitatis cõſequentiæ modi imperfecti per modum perfectum.

216 Dupliciter poteſt fieri talis reductio: primò oſtenſiuè, ſecundò ad impoſſibile. Prima reductio dicitur oſtenſiua; quia per eam euidẽter oſtendimus, & quaſi digito mõſtramus, aliquem ſyllogiſmum regulari per *dici de omni*, vel per *dici de nullo*.

nullo. Altera dicitur ad impossibile; quia per eam deducimus negantem consequentiam syllogismi ad concedendū aliquod impossibile. Tunc reducitur syllogismus imperfectus ad perfectū ostensiuè, quando conuertuntur aliqua, vel aliquæ enunciationes syllogismi imperfecti, & si opus est præmissæ transmutantur, sine eo quod aliqua enunciatio deforis addatur.

Tunc verò reducitur syllogismus imperfectus ad perfectū ad impossibile, cum negata consequentia syllogismi imperfecti sumitur contradictoria cōclusionis negatæ, ex qua cum altera ex propositionibus concessis fiunt tales præmissæ, ex quibus infertur conclusio in aliquo modo perfecto, quæ est contradictoria alicuius ex præmissis iam cōcessis, vndè cogitur aduersarius vel negare, quod iam concesserat, vel concedere duas contradictorias simul veras.

Igitur syllogismi imperfecti, vt ostensiuè reducantur ad perfectos, in primis inspicienda est litera consonans, qua incipit modus imperfectus; illa enim denotat, reducendū esse ad modum perfectum eadem litera incipientem; & ideò *Baralipton*, reducitur ad *Barbara*, & *Celantes* ad *Celarent*, & sic de alijs: nam omnes incipiunt vna ex his quatuor cōsonātib⁹. s. B, C, D, F, quæ sunt literæ principiātes quatuor modos perfectos.

217 Præter has autem consonantes initiales reperiūtur aliæ quatuor intra ipsas dictiones modorum imperfectorum, videlicet, S, P, M, C, Litera S, denotat enunciationem significatam per vocalem coniunctam cum illa conuertendam esse simpliciter, P, conuertendā esse per accidens; M, verò in medio dictionis denotat, commutandas esse præmissas, ita vt, quæ erat in primo loco, ponatur in secundo, seruata conuersione, quam aliæ literę petunt; & si in vltima ex tribus syllabis reperiatur, denotat pro reductione talis modi, quod conclusio est mutanda, seu conuertenda eo modo, quo cōuertibilis est, iuxta dicta lib. 2. sect. 8. & tandem, C, in medio dictionis denotat modum illum, in quo inuenitur, non posse reduci ostensiuè, sed tantum ad impossibile, qui tantùm sunt duo, .s. *Baroco*, & *Bocardo*, quæ oīa ferè in his versibus continentur.

S, vult simpliciter verti, p, verò per acci:
M, vult transponi, c, per impossibile duci.

Vndè *Baralipton* reducitur ad *Barbara* per conuersionem conclusionis per accidens, & ita, qui negaret illius consequentiam; cogeretur etiam negare consequentiam syllogismi in *Barbara*: quia conuertens, & conuersa, vel vtraque debet esse vera, vel falsa, & *Fapesmo* reducitur ad *Ferio* per transpositionem præmissarum, prima conuersa per accidens, secunda simpliciter: conclusio, verò per contrapositionem, & eodē modo fit reductio reliquorum modorū, seruatis alijs regulis.

218 Sed quæres, an modi indirecti secundæ, & tertiæ figuræ reducātur immediatè ad directos secundæ, & tertiæ figuræ, vel ad direct. primę?

Resp. Quod prius reduci debent ad directos illius figuræ, in qua sunt, & postea ad perfectos. Quod fit primo conuertendo conclusionē modi indirecti tali conuersione, vt sic conuersa verè sit conclusio modi dire-

directi, ad quem reducitur, & postea talis modus directus ad perfectum reduci debet iuxta supra dicta.

Notandum est, quod cum *Baroco*, & *Bocardo*, non possit ad *Barbara* reduci ostensiuè, sed ad impossibile, nō solum hic ostendemus, quomodo reducātur ad impossibile isti duo modi; sed etiam omnes alij vtiles imperfecti, qui licet commodius ostensiuè reducantur, tamen etiam ad impossibile reduci possunt.

219 Vt autem sciamus, ad quos modos perfectos syllogismi imperfecti reducantur ad impossibile, Logici quatuor dictiones nihil significantes composuerunt, .s. NESCIEBATIS ODIEBAM LETARE, ROMANIS. Prima cōtinens quinque syllabas ostēdit ad quos modos perfectos reducuntur quinque modi indirecti primæ figuræ. Secunda cōtinens quatuor syllabas ostendit, ad quos reducuntur quatuor secundæ. Tertia continens tres syllabas, ad quos tres priores tertiæ figuræ. Et quarta cōtinens etiam tres syllabas, ad quos tres vltimi tertiæ figuræ. Quod fit attendendo in his quatuor vocalibus, A, E, I, O, nam E, inuenta in prima syllaba primæ dictionis denotat, *Baralipton*, reduci debere ad *Celarent*, qui concludit vniuersalem negatiuam. I, inuenta in secunda syllaba eiusdem dictionis denotat, *Celantes*, qui est secundus modus indirectè concludens primæ figuræ, reduci debere ad *Darij*, concludens particularem affirmatiuam, &c.

Prętereа quinque modi indirecti primæ figuræ sic reducuntur ad perfectos iuxta dicta, quatuor, .s. *Baralipton*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesom*, ponēdo in illis contradictoriam conclusionis negatæ pro maiori; & maior syllogismi imperfecti pro minori, p conclusione verò in *Baralipton*, & *Fapesmo*, contraria minoris syllogismi imperfecti simpliciter conuersa: in *Dabitis* verò, & *Frisesom*, cōtradictoria maioris cōcessæ simpliciter conuersa in primo, in secūdo verò per accidens: *Celantes* verò retinet minorem modi imperfecti, quæ ponitur pro maiori, & pro minori, habet cōtradictoriam conclusionis negatæ, & pro conclusione contradictoriam maioris concessæ simpliciter conuersam.

220 Deindè quatuor modi secūdæ figuræ sic ad perfectos reducuntur, seruata maiori, & contradictoria conclusionis negatæ pro minori, & contradictoria minoris cōcessæ pro conclusione, & ideò *Baroco* sic ad *Barbara* reducitur.

BA Omnis homo est animal.
RO Sed aliquis lapis nō est animal.
CO Ergo aliquis lapis nō est homo.

Si cōcessa maiori, & minori huius syllogismi negetur cōsequentia, reducitur per impossibile ad *Barbara*, sic: tale consequens est falsum, ergo sua contradictoria erit vera, .s. omnis lapis est homo; ponatur ergo hęc propositio pro minori, & retineatur maior pręcedentis syllogismi concessa, & inde deducatur cōtradictoria minoris loco conclusionis, & sic fiet hoc modo syllogismus in

BAR Omnis homo est animal.
BA Sed omnis lapis est homo.
RA Ergo omnis lapis est animal.

Cuius syllogismi maior iam concessa est in priori syllogismo; minor verò est contradictoria consequentiæ negatæ, & consequenter vera; ex

his autem præmissis iam concessis infertur in *Barbara*, hæc propositio, omnis lapis est animal, quam tenetur aduersarius concedere; sed hæc est contradictoria minoris in priori syllogismo concessæ, ergo cogitur concedere duas contradictorias simul veras, quod est absurdum.

Tandem & modi tertiæ figuræ sic ad perfectos reducuntur, contradictoria conclusionis negata pro maiori, seruata minori, & duo priores pro conclusione habent cõtrariam maioris concessæ; & quatuor posteriores cõtradictoriam eiusdem maioris. Exempli gratia, *Bocardo*, reducitur ad *Barbara*, sic;

BO Aliquis homo est lapis.
CAR Sed omnis homo est rationalis.
DO Ergo aliquod rationale non est lapis.

221 Si neges hanc consequentiã, ergo eius contradictoria est vera, s. omne animal est lapis. Ponatur ergo hæc proposito pro maiori, & minor precedentis syllogismi retineatur pro minori, ex quibus inferatur contradictoria maioris, sic in

BAR Omne rationale est lapis.
BA Sed omnis homo est rationalis.
RA Ergo omnis homo est lapis.

Cuius syllogismi maior est concessa cum sit contradictoria consequentiæ supra negatæ; minor etiam est concessa in priori syllogismo, consequentia etiam necessariò est concedenda cum sit in *Barbara*, & tamen est contradictoria maioris in primo syllogismo cõcessæ, ergo cõcedantur duæ contradictoriæ simul veræ. Quæ omnia quantum ad dispositionem præmissarum continentur in his versibus.

Quæ fuerat maior prima, minor esse requirit,
Excipe celantes in quo minor ante locanda est,
Seruat maiorem, variatque secunda minorem,
Tertia maiorem variat, seruatq; minorẽ.

222 Pro complemento huius sectionis sciendum est, quod Arist. 1. prior. cap. 6. tradit alium modum probandi cõclusiones syllogismorũ imperfectorum, s. per expositionẽ, seu per reductionem ad syllogismũ expositorium, qui solũ inseruit pro modis tertiæ figuræ, quia cum hi habeant omnes conclusiones particulares, & propositio particularis benè inferatur ex singulari, v. g. Petrus currit, ergo aliquis homo currit, optimè sic probantur.

Qui modus probandi sic solet fieri sumendo terminum singularem (qui est medium in expositorio, vt postea dicemus) contentum sub cõmuni medio syllogismi, cuius conclusio est probanda, cui vtrumque extremum tribuitur, indeque elicitur eadem conclusio, quæ erat in syllogismo, v. g. negatur cõsequentia huius syllogismi in

DA Omnis homo est animal.
RAP Sed omnis homo est rationalis.
TI Ergo aliquod rationale est animal.

Sic per expositionem probari potest si omnis homo est animal, Petrus est animal; & si omnis homo est rationalis, Petrus est rationalis; tunc sic arguitur, Petrus est animal, Petrus est rationalis, ergo aliquod rationale

tionale est animal: & quia quidquid sequitur ex consequenti, sequitur etiam ex antecedenti, ideò cum hęc conclusio benè sequatur ex pręmissis singularibus (vt probatur per illud principium; *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*) quæ inferebantur ex vniuersalibus, sequitur eandē conclusionem benè fuisse illatam ex pręmissis vniuersalibus in antecedenti syllogismo.

SECTIO IX.

De arte inueniendi medium.

223 DE hac arte agit Arist. 1. pri. cap. 29. vbi quod ex se obscurum est, obscurius multò fecit vt ens elementis, aut literis nihil significantibus pro medijs inueniendis, quæ ars à Sophisticis pons Asinorum dicitur, fortè, vt ait Casilius lib. 2. Summul. c. 13. eò, quòd sicut pons est ratio faciens continentem vtramque partem ripæ; ita medium est ratio connectens vtrumque extremum, & quia in inuentione medij discernūtur ingeniosi à rudibus; ideò Asinorū dicitur, vel, & ait noster Lalemandet hìc partit. 7. quia iuniores dialectici ad eum conscendere difficillimè possunt, vel saltem vt dicit noster Trimarc. lib. 3. Summul. sect. 20. quia homines tardi ingenij non intelligebant hanc artem; ideò ne inter difficultates immersi suffocarentur in ipsorum gratia, inuenta est figura veluti pons, per quē rudes transirent; Nos autem cum D. Thom. in peculiari opusculo de inuētione medij, quod est quinquagesimum in ordine opusculorum, aliqua breuiter notabimus; ex quorum intelligentia facilè hæc ars constabit. Pro quo

224 Sciendum est, quis terminus dicatur antecedens, quis cōsequens, & quis extraneus, seu disparatus, & tandem qui conuertibiles. Terminus ergo cōsequens dicitur ille, qui ex altero infertur; huiusmodi sunt omnia prædicata superiora respectu suorum inferiorum; v.g. animal, respectu hominis. Terminus antecedens est ille, qui alterū infert, huiusmodi sunt omnia prædicata inferiora respectu suorum superiorū; v.g. homo, respectu animalis. Termini conuertibiles sunt illi, qui se inuicē inferunt, vt homo, & animal rationale, qui simul antecedentes, & consequentes vocantur, ac proindè in syllogismis interdum sumūtur, qua ratione sunt antecedentes, interdū verò, qua ratione sunt cōsequentes. Tandem termini extranei sunt illi, qui non possunt vnum de alio affirmare, v.g. lapis respectu hominis. Hoc supposito cum quatuor sint genera propositionum, .s. vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua, quatuor regulis totam hanc materiam absoluemus.

Prima est, ad concludendam propositionem vniuersalem affirmatiuam sumendus est pro medio terminus, qui sit consequens respectu minoris extremi, & antecedens respectu maioris, v.g. si velis probare hāc propositionē, omnis homo est substantia, congruum medium erit animal, quod est consequens ad hominem, qui est minus extremum, & est antecedens ad substantiam, quæ est maius extremum, cuius optimā rationem reddit D. Tho. ibidem.

225 Secunda est, ad concludendā propositionem vniuersalem negatiuam sumēdus est pro medio terminus consequens ad minus extremū, & extraneus, seu repugnans maiori extremo, dummodò non probetur in secundo modo secundæ figuræ; nam si ibi probetur, debet sumi pro medio terminus repugnans minori extremo, & consequens ad maius.

Tertia est, ad concludendam propositionem particularem affirmatiuam sumēdus est pro medio terminus consequens ad minus extremū, & antecedens ad maius extremum, si syllogismus fit in prima figura: si verò conficitur in tertia, medium debet esse antecedens tàm respectu maioris, quàm minoris extremi.

Quarta tandem est, ad concludendam particularem negatiuam, si syllogismus fit in prima, & in secunda figura, sumendus est pro medio terminus consequens ad maius extremū, & extraneus ad minus, dempto quarto modo secundæ figuræ, .s. *Baroco*, in quo medium debet esse terminus extraneus ad minus extremum, & antecedens ad maius; si autem syllogismus conficitur in tertia figura, medium debet esse antecedens ad minus extremum, & extraneus ad maius. Et hæc sufficiant de arte inueniendi medium.

SECTIO X.

De regulis argumentantis, & respondentis.

226 CVm in varijs regionibus diuersus modus in disputando seruetur; nam in Hispania multi in vnoque circulo argumentantur, in Italia verò solum tres; ideò difficile est assignare regulas cōmunes pro omnibus argumentantibus, & respondentibus, sed quæ magis necessariæ sunt, & ab omnibus ferè obseruantur, breuiter proponemus, alias verò vsu ediscuntur.

Prima regula argumentantis est, vt antequam aliquid dicat, reuerenter, vt decet, salutet defendentem; & si fuerit in Hispania, vbi sēper adest Præses circuli, debet immediatè dicere, Ingeniose sustentans, obtenta venia à doctissimo tuo Præside, ac sapientissimo Rectore huius nobilissimæ vniuersitatis, vel ab Admodum R. P. Regente huius religiosissimi Collegij, & à cæteris circumstātibus suis titulis cōdecoratis, vel aliquid simile; arguam contra tuas cōclusiones, præcipuè contra primam, vel secundam, in qua asseris, &c. Si verò fuerit in Italia, vbi quisque ex argumētantibus arguit contra duas conclusiones, vt plus temporis ad arguendam habeat, si omittit procemium, & insurgat dicendo, arguam contra duas ex tuis conclusionibus, præcipuè, &c. optimè facit; Ita sentit noster Trimarcus in appendice Summul.; poterit tamen primum argumentans vti quodā breui procemio, vel ad laudem defendentis, vel ad aliud propositum.

227 Secunda est, vt deindè legat conclusionem, cōtra quam vult argumentari; sed non debet legere totam, sed solùm illa verba, contra quæ vult argumentari.

Tertia est, vt ponat argumentum benè meditatum, & id, quod probare vult, non debet ponere in præmissis, cum sit in conclusione ponendum, quod in principio potest per enthimema facere, quia sic minus

nus manifestat vim latētis illationis, & minus temporis defendenti concedit ad cogitandum responsum.

Vltima est, vt expectet respondētis responsum, illum non interrumpendo, ne fiat confusio, & si defendens negauerit aliquam propositionem, illam debet probare, & pro cōclusione talis probationis illam ponere; si qua verò fuerit distincta, tūc vel debet impugnare membrū negatum talis distinctionis, vel probare talem distinctionem non esse bonam, vel ad propositum datam.

228 Prima regula respondentis est, vt postquam arguens sua proposuerit argumenta, stans aperto capite dicat, Optimè argumentatur N. (detq; vnicuique arguenti titulum, qui illi conuenit) aduersus duas ex nostris conclusionibus, & primo loco contra N. in qua dicimus, &c. cōtra quam sic argumentatur, & repetat argumentū: Secundo loco contra N. in qua, &c. contra quam sic argumentatur, &c. quo facto petat ab arguente, contra quam, si ipse nō indicauerit, velit primo loco sibi responderi.

Secunda est, quod habita responsione resumat argumentum contra conclusionem indicatam, vt conueniat cum arguente. Deindè iterum repetat maiorem, quæ si fuerit vera, illam concedat, si verò falsa, illam neget, & si fuerit ambigua, vel æquiuoca plures habens sensus, illam distinguat, & secundum vnam partem distinctionis, hoc est, in sensu vero, concedat propositionem; & secundum alteram, hoc est, in sensu falso, illam neget; si autem propositio sit indifferens argumēto, ita vt ad illud non spectet, an sit vera, vel falsa, tūc defendens dicat transeat N. (sed hoc verbo modestè, & parcè vtendū est, & nisi clarè constet, propositionem impertinenter se habere, &c. vt satis modestè aduertit Io à S Th. in Prologo dialect.) sed quoniam tunc arguens poterit assumere talem propositionem vt concessam, & ex illa concludere suum intentum, tunc potest illam negare, vel distinguere.

229 Tertia est, vt, si negat maiorem, nō pergat ad minorem, sed expectet, quod illi probetur talis propositio negata, in cuius probatione eodem modo procedere debet, si verò concedat maiorem pergat ad minorem, quam debet negare, concedere, vel distinguere; si autē vtraque præmissa erit vera, illis concessis, pergat ad consequens, quod si fuerit ambiguum, distīguere debet, dicendo, distinguo consequens, non autem consequentiam; quia cum consequentia consistat in indiuisibili, absolutè erit bona, vel mala, & nullo modo ambigua, & sic non debet vnquam distingui; si autem viderit, consequens nō benè sequi ex antecedenti, tunc debet consequentiā negare, & si è contra consequens benè ex antecedenti sequatur, consequentia concedi debet.

Quarta est, vt si concedat maiorē, & minorem, non neget consequentiam, nisi ostendat defectū argumēti, quia aliàs conuictus censebitur.

230 Vltima est, vt si argumentans ponat aliquod enthymema debet illius antecedens concedi, distingui, vel negari, quia in ipso maior, & minor propositiones non reperiuntur explicitè; si autem in argumento sit

aliqua propositio hipothetica, v. g. si Deus cognoscit entia rationis, illa facit, sed hoc non est dicendũ, ergo, &c. tunc debet distinguere, negare, seu concedere sequelam; & si in argumento ponitur aliqua authoritas Sacræ Scripturæ, alicuius S. Patris, vel alicuius veteris Philosophi, debet illam interpretare, & nullo modo absolutè negare.

231 Regulæ vtriusque defendẽtis, & argumentantis erunt sequentes. Prima est, ne sint pertinaces, & falsitatis defensores, & ideò cauenda est proteruitas, quod clarè falsũ est defendendo, aut quod manifestè est verum pertinaciter negãdo. Poterunt tamen exercitij gratia verum aliquando impugnare, & falsum aliquando defendere. Secunda est, vt cum ardore, sed modestè, sine clamoribus, & fastidioso strepitu procedant, ne à solis rusticis, & ignaris laudẽtur, à doctis verò irrideantur, & certè, qui ita incedunt videntur velle imitari asinos Persarum, quorum ope, vt ait Lel. Bisciola tom. 1. horar. subsecin. lib. 4. cap. 9. Persas commisso aduersus Schytas prælio sub Dario victores extitisse, non audacia; sed ruditus stridore, quo terrefacti equi pugnam detrectauerũt: at isti memores esse debent, quod viri docti nõ ita facile pauescunt, vt equi. Tertia est ne aliena immisceãt, quæ disputationem confundunt. Quarta est, ne finem disputationis, quæ est veritatis inquisitio, peruertant.

232 Aliqui tradunt hic regulas assistẽtis; ego autem nolo magistris dare regulas, sed discipulis, ab illis verò accipere opto. Qui vult videre pulchras alias regulas argumentantium, legat noster de Peyrinis de subdito, quæst. 1. cap. 30. §. vnico; vbi etiam, eruditè insinuat fructus disputationis. Regulæ verò, quas obseruare debent studentes ad hoc, vt studium benè, vt fas est, illis succedat, tradit perdoctè noster Trimarcus sect. 2. appendicis ad Summulas, quibus tamen addere cupio, quod insinuat noster Dererijtoles in cap. 1. ver. 1. Zachariæ sect. 2. q. 2. nu. 4. 5. quod horæ Sapientes vocãtur; non quod Sapientes sint: sed quod Sapientes faciunt eorum obseruatores, & suis temporibus singula negotia distribuentes.

SECTIO XI.

De multiplicitate Syllogismorum ratione materiæ.

233 Sicut syllogismus ratione formæ correspondentis materiæ remotæ illius diuiditur in syllogismum factum in primam, secundam, & tertiam figuram: & ratione formæ correspõdentis materię proximæ in syllogismum factum in *Barbara*, &c. ita ratione materiæ tàm proximæ, quàm remotæ varias sortitur diuisiones, de quibus in hac sectione aliquid breuiter agemus. Pro quo

Sciendum est, quod syllogismus ratione materiæ remotæ alius est communis, & alius singularis, seu expositorius. Primus est ille, qui cõstat medio, & alijs terminis communibus, de quo hucusque egimus, & superiores regulæ traditæ sunt: secundus dicitur expositorius, eò quòd adeò est perspicuus, & euidẽs, vt rem veluti ante oculos ponere videa-

videatur. Quapropter solet etiam appellari sensibilis demõstratio: qui est ille, cuius medium est terminus singularis.

234 Qui syllogismus licèt in quacũque ex tribus figuris formari possit, seruata tamen semper affirmatione, & negatione, quam seruant modi illius figuræ, in qua fit; frequẽtius tamen, & cõgruentius fit in tertia, in qua medium subijcitur; quia maximè conuenit terminus singularibus subijci, de quo aliquæ regulæ traduntur à nostro Lalemand. hìc partit. 3.

Notandum est, quod sicut in syllogismo communi, vt rectè concludat, debet medium perfectè distribui (vt supra dictum est) ita è contra; ad bonitatem consequentiæ in syllogismo expositorio requiritur, medium esse perfectè singulare, & incommunicabile; si enim contigerit, aliquod singulare esse realiter communicabile multis, vt de facto est natura diuina, habebit vim termini communis, & ex consequenti syllogismus expositorius inde fact⁹ ęquiualebit communi ex puris particularibus, ex quibus nihil sequitur in quacunque figura, vt diximus; & ideò hæc non est bona consequentia; hæc essentia diuina est Pater; hęc essentia diuina est Filius, ergo Filius est Pater; quia propter realem communicabilitatẽ naturę diuinæ, quantumuis ipsa singulariter designetur, habet vim termini communis, ac proindè talis syllogismus propriè non est expositorius, sed ęquiualet communi ex puris particularibus. ita Complut. 3. part. institut. cap. 7. & noster Trimarc. lib. 3. Summul. sect. 12.

235 Inter quos verè mediat syllogismus constans ex medio communi, & ex extremitatibus, vel extremitate singulari, v. g. omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal; nam per extrema, vel extremum cum singulari cõuenit, à quo per medium differt. Videatur Auersa tract. 4. instit. c. 16.

Tandẽ syllogismus ratione eiusdem materiæ diuiditur in rectum, & obliquum. Rectus est ille, in quo omnes termini ponuntur in recto; Obliquus verò est ille, qui constat aliquo termino obliquo, v. g. omnis potestas est à Deo; sed regnum est potestas, ergo regnum est à Deo; pro quo solent tradi aliquæ regulæ; hęc tamen sufficiat, s. quod si in aliqua propositione illius fuerit difficultas, propositiones fiant in recto, & sic apparebit bonitas, vel malitia consequentiæ.

236 Deindè syllogismus ratione materiæ proximæ primò diuiditur in affirmatiuum, & negatiuum; Ille est, cuius conclusio est affirmatiua, iste verò, cui⁹ cõclusio est negatiua.

Secundò diuiditur in categoricũ, & hipotheticum. Primus est ille, cuius omnes præmissæ sunt categoricæ; secundus verò, cuius plures, vel saltem aliqua enunciatio est hipothetica, de quo plurimi plurima congerunt, sed parum necessaria. Si autem meliora, quæ dicuntur in hac materia, videre cupitis, cõsulite nostrũ Trimar. 3. par. Summul. sect. 18.

Tertiò diuiditur in absolutum, & modalem. Primus est ille, qui habet omnes propositiones absolutas: Secũdus verò, qui saltem habet aliquã propositionem modalem, de qui-

bus videri poteſt Caſilius lib. 3. tract. 3. cap. 5.

237 Tandem diuiditur in demõſtratiuum, probabilẽ, & ſophiſticũ: Primus appellatur demõſtratio nomine incomplexo, & eſt ille, qui cõſtat propoſitionibus neceſſarijs. Secundus verò, qui cõſtat propoſitionibus probabilibus. Tandem tertius eſt ille, cuius propoſitiones veræ apparent, cum tamen falſę ſint. Iſti tres ſyllogiſmi ſolẽt alijs nominibus appellari, .s. poſterioriſticus, topicus, & elenchus, quia de illis Ariſt. agit in lib. poſte. topicorum, & elenchorum. De primo in quæſtionibus logicalibus ex profeſſo agemus; de ſecundo, & tertio in ſequentibus ſectionibus aliqua breuiter dicemus.

Sed quæres, an prædictæ diuiſiones ſyllogiſmi ſint eſsẽtiales, nec ne?

238 Reſp. quod prima diuiſio ſyllogiſmi in ſyllogiſmum primæ, ſecundæ, & tertiæ figuræ eſt eſſentialis. Et ratio eſt, quia habitudo medij ad extrema in vtraque figura eſt eſſentialiter diuerſa; & ideò vis inferendi, & iudiciũ illatiuum eſt diuerſæ ſpeciei, ex quo fit, vt vni ſint euidentiores alijs.

Circa ſecũdam diuiſionem ſyllogiſmi in varios modos dicim⁹, quod licèt ſyllogiſmi, qui ſunt in modo affirmatiuo differant eſſentialiter à ſyllogiſmis, qui ſunt in modo negatiuo etiam in eadem figura; non tamen illi, qui ſimul ſunt in modo negatiuo, vel affirmatiuo, licet vnus ſit vniuerſalis, & alius particularis in eadem figura. Ratio eſt, quia modus ſyllogiſmi eſt apta diſpoſitio propoſitionum ſecundum quantitatẽ, vel qualitatem; ſed quantitas non diſtinguit eſsẽtialiter propoſitiones, neque qualitas accidentalis, benè tamen qualitas eſſentialis, .s. affirmatio, & negatio; ergo, ſi duo modi eiuſdem figuræ ita ſe habeant, vt differant in ſola quantitate, vel qualitate accidentali propoſitionum, non erunt eſſentialiter diuerſi: ſecùs tamen ſi in qualitate eſsẽtiali differãt.

239 Ex quo colligitur, quod diuiſio ſyllogiſmi in affirmatiuũ, & negatiuum, quæ in quarto loco adducitur, eſt eſſentialis: diuiſio verò ſyllogiſmi in communem, & ſingularem, eſt accidentalis, quod idem dicimus de diuiſionibus in categoricum, & hipotheticum; abſolutum, & modalem; rectum, & obliquum. Ratio eſt, quia prædictæ diuiſiones ſyllogiſmi ſũt penès materiam proximam illius, .s. ratione propoſitionum, ex quibus conſtant; cum autẽ propoſitiones illorum ſolùm accidentaliter differant, ita quoque ſe habebunt illi.

Circa vltimam diuiſionem, in qua ſyllogiſmus diuiditur in demonſtratiuum, probabilem, & ſophiſticum dico, quod eſt analogi in analogata, quidquid dicant alij. Et ratio, quæ ad hoc me mouet, eſt, quod ſyllogiſmus ſophiſticus, cum contineat vitioſam conſequentiam, ſolũ ſecundum quid eſt argumentatio, & conſequenter ſolum ſecũdum quid eſt ſyllogiſmus, & ideò ſolum analogicè conuenire poteſt in ratione ſyllogiſmi cum ſyllogiſmo demõſtratiuo, qui eſt ſimpliciter argumentatio, & ſyllogiſmus. Videantur quæ dixi ſect. 1. huius tertij libri.

SE-

SECTIO XII.

De Syllogismo topico.

240 DE Syllogismo topico agit Arist. in lib. topic. vbi inuestigat varia loca, vndè possint desumi argumenta ad quamlibet rem in vtramque partem probandam; & ideò illos libros topicos appellauit, seu artem inuestigandi loca.

Syllogismus topicus est ille, qui ex præmissa, vel ex præmissis probabilibus infert conclusionem probabilem; vndè nō parit scientiam sicut demonstratio, sed opinionem (opinio enim est adhæsio intellectus alicui propositioni cum formidine de opposito) probabilis verò propositio illa dicitur, quæ videtur vera, vel omnibus hominibus, vel plurimis, vel solis sapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel espectatissimis. Huius definitionis optimam explicationem vide apud Pontium in Log. paru. cap. 24.

241 Vt autem aliam definitionē propositionis ꝓbabilis habeamus, scire debemus, quod propositio improbabilis illa dicitur, quæ contra se habet rationes insolubiles, & pro se non habet aliquam rationem insolubilem; cū autem propositio probabilis opponatur improbabili, illa erit propositio probabilis, quæ contra se nō habet rationes insolubiles, & pro se habet tantam, & talem rationem ad minus, quantam, & qualem habet sua contraria.

Arist. in topicis plurima loca assignauit, vndè possemus deducere media, vt in qualibet re proposita possimus argumentari in vtraque parte, quæ sub nu. 159. clauduntur; ea tamen Rodulph. Agricol. ad 24. reuocauit, & Numez, quem communiter alij sequuntur, ad decē tantùm reduxit, .s. locus à causis, ab effectibus, à subiectis, ab adiunctis, à disentaneis, à comparatis, a nomine, à definitione, à diuisione, & à testimonijs.

242 Est igitur locus topicus index, vnde sumuntur media ad quæstiones probandas in vtraque parte: his locis adiunguntur quædam propositiones, quæ, Maximæ, appellantur, & sunt quædam sententiæ communes, & valdè notæ, quæ tribuunt vim argumentis ab his locis deductis; & quia ex plurimis ex his locis congrua argumenta, seu media ad persuadendum, laudandum, & vituperandum deducuntur, maximè ad Rhetores spectat de illis agere; & ideò hoc ad illos relinquimus; nam ea, quę Philosophum iuuare valent, cum de illis rebus, ex quibus desumuntur, agemus, explicabimus; vt fecimus, cum de definitione, & diuisione egimus. De his locis topicis videatur Fōseca lib. 7. instit. qui satis diffusè, & benè hanc rem tractat.

243 Sed notandum est, quod aliqua ex prædictis locis non solū sunt topica, sed etiam demōstratiua, idest ab aliquibus ex prædictis locis non solum formari possunt propositiones probabiles ad deducendas conclusiones probabiles, sed etiam propositiones necessariæ ad deducēdas conclusiones necessarias. Quod explicabo in definitione, quia in hoc eadem est ratio proportione seruata de definitione, ac de aliquibus alijs. Tunc autem definitio est locus topicus, quando vel non cōstat esse

veram,

veram, & propriam rei definitionē, quæ pro tali assumitur, vel quando non constat prædicato conclusionis cōuenire definitionem subiecti, aut definitionem prædicati conclusionis conuenire subiecto eiusdem, si autem res e contrà se habet, non topicus, sed demōstratiuus locus erit: vt intuenti patebit.

SECTIO XIII.
De Syllogismo Elencho.

244 DE syllogismo elencho agit Arist. in lib. Elenchor. & D. Tho. in peculiari opusc. de fallacijs, quod est vigesimum nonum in ordine, non vt nos doceant, dum argumentamur, aliquem fallere, quod est indignum scientifico viro; sed sicut medicus de venenis, quibus salus læditur, tractat, vt cum alicui proposita fuerint, opportunis remedijs depellantur: ita ipsi disputant de argumentis sophisticis, vnde rationes captiosæ, & apparentes hauriri solent; vt cum in disputationibus similibus argumentis impugnamur, quo modo soluenda sint, calleamus.

Est igitur syllogismus elenchus syllogismus fallax, qui procedit ex apparentibus, quæ, .s. videntur esse, sed non sunt. Qui est duplex; vnus, qui procedit ex principijs proprijs alicuius sciētiæ malè intellectis, qui ab Arist. vocatur pseudographus, cuius cognitio non ad Logicam, sed ad alias scientias, ex quarum principijs malè intellectis formatur, pertinet: Alius est ille, qui constat ex apparētibus communibus, qui, .s. pluribus materijs applicari possunt, & de hoc syllogismo agere spectat ad Logicum, cū sit communis artifex.

245 Deinde syllogismus fallax, qui pertinet ad Logicam, est triplex, .s. fallax ratione materiæ tantùm, fallax ratione formæ tantùm, & fallax ratione vtriusque. Primus est ille, qui licèt sit in modo, & figura, tamen fallit ratione alicuius æquiuocationis, aut aliundè. Secundus verò est ille, qui licèt habeat propositiones veras, forma tamen syllogismi est vitiosa. Tandem tertius est ille, qui habet formam, & materiam vitiosam. Ex his autē solùm primus dicitur propriè, & absolutè syllogismus; alij verò secundum quid tantū.

Notandum est, quod quando syllogismus est fallax ratione materiæ, vel est distinguendum antecedens, & ostēdendum, in quo sensu sit verum, & in quo falsum; vel neganda est consequentia, assignando falsitatem in antecedenti, ratione cuius sequitur falsum consequens; quando verò est fallax ex parte formæ, concessa maiori, & minori, neganda est consequentia, iuxta dicta sect. 3. & 5. huius libri. Tandem, si syllogismus est fallax ex parte vtriusque, tunc possumus ad ipsum respondere, vel vt si esset fallax tantùm ratione materiæ, vel vt si esset fallax tantùm ratione formæ.

246 Loca autem, ex quibus Sophistæ sumunt propositiones constituentes syllogismum vitiosum ex parte materiæ ab Arist. tredecim enumerantur; ex quibus sex sumūt causam apparentiæ ex dictione, siuè ex vocibus res significantibus, .s. æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio, accentus, figura dictionis: septem verò ex ipsis rebus significatis, .s. accidens, cōsequens, simpli-

ſimpliciter ad ſecũdum quid, redargutio, petitio principij, non cauſa vt cauſa, plurimæ interrogationes vt vna. Et nota, quod prædictæ fallaciæ vocantur loca per metaphoram, quia ſicut res in loco naturali quieſcunt, & ſtabiliuntur, ita argumentũ ſophiſticum per fallaciam firmatur. Vndè fallacia, ſeù locus ſophiſticus ſic ſolet definiri. Eſt idoneitas decipiendi tribuens apparentem conuenientiam inter conſequens, & antecedens alicuius argumentationis. De quibus breuiter in hac ſectione aliqua dicemus.

De fallacia æquiuocationis.

247 Contingit hęc fallacia, quando in aliquo ſyllogiſmo ponitur pro medio termino aliqua dictio, vna materialiter, & multiplex formaliter, & in vna ex p̃miſſis accipitur pro vno ex ſuis ſignificatis, & in alia pro alio. Ex quo fit, vt in tali ſyllogiſmo plures, quàm tres termini reperiantur; quod fieri poteſt tribus modis, quia, vel talis dictio eſt ſimplex impoſita ad plura ſignificãdum, & ſic eſt primus modus; vel eſt ſimplex ſignificãs plura ex tranſumptione, & ſic eſt ſecũdus modus; vel eſt dictio grammaticaliter compoſita plura ſignificans, & ſic eſt tertius modus.

Primus igitur modus contingit, quando dictio eſt æquiuoca, v. g. canis eſt latrabilis; ſed aliquod ſydus cęleſte eſt canis; ergo aliquod ſydus cęleſte eſt latrabile. Secundus, quãdò eſt analoga pportionis, aut proportionalitatis metaphoricæ, v. g. quidquid ridet habet os, ſed pratum ridet, ergo pratum habet os. Tertius, quando dictio illa eſt compoſita, & plura ſignificat, v. g. immortale, quæ ſignificat id, quod poteſt nõ mori, & ſic priuatiuè tenetur; quia ly, in, negat tantùm actum, & relinquit aptitudinem; & id, quod non poteſt mori, & ſic negatiuè tenetur; quia ly, in, actum, & potẽtiam ſimul negat. Ex quo loco ſic parologizantur: omne immortale eſt perpetuũ, ſed potens non mori eſt immortale, ergo potens non mori eſt perpetuũ. Vndè fallacia æquiuocationis ſic ſolet deſcribi: Idoneitas decipiendi proueniens ex identitate vnius, & eiuſdem dictionis ſecundum ſubſtantiam, & modum proferendi plura ſignificans.

De fallacia amphibologiæ.

248 Contingit hęc fallacia, quando medium alicuius ſyllogiſmi eſt aliqua oratio plura habens ſignificata; & in vna præmiſſa accipitur ſecundum vnum, & in alia ſecundum alium. Quæ fallacia habet tres modos, ſicut & præcedens. Primus modus eſt, quãdo prædicta oratio æquè habet plures ſenſus, v. g liber D. Thomæ, quæ æquè ſignificat librum compoſitum à D. Thoma, & librum, qui poſſidetur à D. Tho. Ex qua oratione ſic format Sophiſta ſuum argumentum fallax: liber D. Thomæ poſſidetur à D. Thoma, ſed hic liber eſt D. Thomæ, ergo hic liber poſſidetur à D. Thoma. Secũdus modus eſt, quando oratio ita habet plura ſignificata; vt vnum propriè, & aliud metaphoricè, vel prouerbialiter ſignificet, v. g. hæc, laterem lauare, quæ propriè ſignificat aquam in laterem immittere; metaphoricè

phoricè verò, in aliqua re operã inutiliter perdere. Ex qua oratione hoc argumentum fallax formatur: quicũque laterem lauat, immittit aquã in latere; sed quicumque insanum docet, laterẽ lauat, ergo quicunque insanum docet, immittit aquam in laterem. Tertius modus est, quando oratio habet plures sẽsus ex hoc, quod componatur ex aliquo, vel ex aliquibus nominibus, quę sumi possunt in diuerso casu sine aliqua mutatione facta in prolatione eiusdem orationis, v. g. hæc, muli famuli; in qua si muli sumitur in genitiuo, & famuli in nominatiuo, reperitur diuersum significatũ ab eo, quod habet, si res è contra se habet. Ex qua oratione hic syllogismus fallax formatur, muli famuli rident, sed muli famuli sunt irrationales, ergo aliqui irrationales rident. Vndè fallacia amphibologiæ sic solet describi: est idoneitas decipiendi proueniens ex identitate orationis, eiusdem secundum substantiam, & modum proferendi plura significantis.

De fallacia compositionis, & diuisionis.

249 EVeniunt hæ fallaciæ, quando argumentum constat ex aliqua oratione, quæ potest habere sensum compositum, & diuisum; & secundum vnum sensum est vera, & secundum alium falsa, & à sensu cõposito vero arguitur ad sensũ diuisũ falsum; vel è contrà. Quod fieri potest tribus modis, primò, quando talis oratio est enunciatio modalis (quando autem enunciatio modalis habeat sensum compositũ, & quando diuisum, explicatum est sect. 9. lib. 2.) Ex qua hoc modo formatur syllogismus fallax fallacia compositionis: quodcunque potest esse album, possibiliter est album, sed possibiliter nigrum est album, ergo possibile est, quod nigrum sit album. Quod argumentum procedit à maiori vera in sensu diuiso ad conclusionem falsam in sensu composito. Præterea syllogismns fallax fallacia diuisionis ex modali hoc modo formatur: impossibile est sedẽtem ambulare, sed Petrus sedet, ergo Petrus impossibiliter est ambulans. In quo argumento proceditur à maiori vera in sensu composito ad conclusionem falsam in sensu diuiso.

250 Secundò, quando in tali oratione reperitur aliqua ex his particulis, &, vel, nec, aut aliqua ex similibus, ratione cuius talis oratio vtrũque sensum habere potest, nam si sumatur cõiunctim, vel disiunctim, .s. determinando vnum extremum tantùm talis orationis, facit, vt illa reddat sensum compositum, si autẽ sumatur copulatiuè, vel disiunctiuè, .s. determinando totam orationem, faciunt illam habere sensum diuisum, v. g. duo, & tria sunt quinque, in qua si ly, &, sumitur copulatim, reperitur sensus cõpositus ver⁹, nam sẽsus est, quod duo, & tria simul sumpta faciunt quinque: si autem sumitur disiunctiuè, reperitur sensus diuisus falsus: nã sensus est, quod tàm duo sunt quinque, quàm tria sunt quinque. Vndè non valet: duo, & tria sunt quinque; sed duo, & tria sunt par, & impar, ergo quinque est par, & impar.

Tertio tandem, quãdo in tali oratione est aliqua dictio, quæ potest coniungi, & cum parte antecedenti,

& cum

& cum consequenti; & si cum antecedenti coniungitur, talis oratio habet sensum compositum, si autem cum consequenti sensum diuisum, v.g. quidquid viuit, semper est, in qua, si ly, semper, cum ly, viuit, coniungatur, reperitur sensus compositus verus, si autem, cum ly, est, sensus diuisus falsus, vnde non valet, quidquid viuit, semper est, sed Petrus viuit, ergo Petrus semper est.

De fallacia accentus.

251 FIT hęc fallacia, quando medium argumenti est aliqua vox plura significãs ex diuerso modo illam proferendi, vel scribendi, & semel in vna, & semel in alia significatione, in tali argumento accipitur. Quod contingere potest quatuor modis. Primò, quando talis vox cũ aspiratione habet vnam significationem, & sine illa aliã, v.g. hæc dictio, ara, quæ sine aspiratione significat altare; cum aspiratione verò, porcorum stabulum. Vndè non valet, ara est in templo, sed stabulum porcorum est hara, ergo est in templo. Secundò, quãdo talis vox scripta cum diphtongon habet vnam significationẽ, & scripta sine illo habet aliã, v.g. hæc dictio, æquus, significat iustum, prout cum diphtongon scribitur, equus verò sine diphtõgo significat aliquod animal hinnibile. Vndè non valet equi sunt hinnibiles; sed sancti sunt æqui, ergo sunt hinnibiles.

252 Tertiò, quando talis vox habet diuersa significata ex hoc, quod aliqua ex suis syllabis semel longa proferatur, & semel breuis, v.g. hæc dictio, populus, quæ, si habet primã longam, quamdam arborem significat; si autem breuem, significat gentem in vna regione, vel oppido habitantem. Vndè nõ valet, gens Perpinianensis est populus, sed populus est arbor, ergo gens Perpinianensis est arbor.

Quartò tandem, quando talis vox habet diuersa significata; quia constat ex talibus partibus, quæ, si vt syllabæ illius proferantur, faciunt illam habere diuersam significationẽ ab ea, quam habet, si tales partes, vt diuersæ dictiones pronuncientur, v.g. inuitè, quæ coactè significat, si partes eius vnitæ proferantur, si autem vt diuersæ dictiones, arborem vitis. Vndè non valet, nihil fit à Deo inuitè, sed racemi fiunt in vite, ergo racemi non fiunt à Deo. Vndè fallacia accentus est idoneitas decipiendi prouenient ex aliqua dictione, eadem secundum substantiam, & diuersam secundum modum proferendi, vel scribendi.

De fallacia figuræ dictionis.

253 CONtingit hæc fallacia, quando in argumento fit transitus de vno genere in aliud. Quod contingit tripliciter. Primò, quando fit transitus de vno prædicamento in aliud, v.g. quidquid fuisti heri, es hodie, sed heri fuisti ludens, ergo ludens es hodie. Secundò, quando intra idem prædicamentum fit transitus de vna specie in aliam, v.g. digitos, quos olim habuisti, habes hodie, sed paruos digitos olim habuisti, ergo paruos digitos hodie habes. Tertiò, quando fit transitus de specie ad indiuiduũ, v.g. Petrus est alius ab homine; .s. à Paulo, sed Petrus est homo,

homo, ergo Petrus est alius à se ipso. Solent addere alium modum, .s. quando fit transitus de vno genere grammaticorum in aliud, & ideò committitur solæcismus, v. g. omnis substantia affecta albedine est alba, sed paries est substātia affecta albedine, ergo paries est alba. In quo modo arguendi, propriè non committitur aliqua fallacia, sed solùm ducitur per ipsum respōdens ad admittendum absurdum grammaticale; vndè exponitur censuræ pedagogorum. De quo modo hic benè ait Fonseca, quod non proponitur nisi rudibus, & ego dicerē, nisi à rudibus.

De fallacia accidentis.

254 Accidens hìc sumitur pro eo, quod secundum vnam rationem consideratum, est idem cum aliquo, & secundum aliam, est diuersum; vndè hæc fallacia contingit, quando in argumento medius terminus est accidens respectu maioris, & minoris extremi, & secundū vnam rationem coniungitur cum maiori, & secundum aliam cum minori extremo; & ex hoc coniunguntur maius, & minus extremū; quod contingit tribus modis. Primò cum accidens est inferius minori extremo, v. g. Petrus est indiuiduum, sed Petrus est homo; ergo homo est indiuiduum. Secundò, cum accidens est superius minori extremo, v. g. animal est genus; sed homo est animal, ergo homo est genus. Tertiò, cum accidens est conuertibile cum maiori extremo, v. g. risibile est proprium, sed homo est risibilis, ergo homo est proprium. Et ideò fallacia accidentis est idoneitas decipiendi proueniens ex hoc, quod medium secundum diuersas rationes coniungitur cum extremitatibus in argumentatione.

De fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter.

255 Ab alijs appellatur hæc fallacia ab eo, quod est in parte, ad id, quod est in toto. Vnde dictū simpliciter est dictio sumpta sine determinatione diminuente, vel distrahente suum significatum: dictum verò secundum quid est dictio è contra se habens; & ideò hæc fallacia contigit, quando à dicto secundum quid ad dictum simpliciter arguitur, v. g. arma non sunt restituenda domino furioso, ergo arma non sunt restituenda. Christianis non licet vesci carnibus tempore Quadragesimæ, ergo nō licet Christianis vesci carnibus. Merces sunt iactandæ in mare, cum naufragium timetur, ergo merces sunt iactandæ in mare.

Notandum, quod sicut fallacia compositionis cōmittitur, quando, &c. & diuisionis, quando res è contrà se habet, vt supra diximus, ita, quando à dicto simpliciter ad dictū secundum quid arguitur, non committitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, sed fallacia à dicto simpliciter ad dictum secundum quid, v. g. in eisdem exemplis sic argumentatur, arma sunt restituenda domino, ergo arma sunt restituenda domino furioso. Licet Christianis vesci carnibus, ergo licet Christianis vesci carnibus tempore Quadragesimæ. Non sunt merces in mare iactandæ, ergo merces non

sunt

ſunt iactandæ in mare, cum naufragium timetur. An autem iſtæ fallaciæ diſtinguantur eſſentialiter, optimè explicat Flādria in opuſc. D. Th. fallaciar. quæſt. 18.

De fallacia ignorantiæ elenchi, ſeu redargutionis.

256 EVenit hæc fallacia, quando ex aliquo antecedenti deducimus aliquod contradictorium, quod re vera ſolum eſt tale apparēter, non autem propriè defectu alicuius conditionis neceſſariæ ad veram contradictionem. Quod quatuor modis contingit, iuxta quatuor conditiones requiſitas ad veram cōtradictionem, quas, ſi quis ignorat, facilè hamo huius fallaciæ capitur. Fit igitur primò modo, quando contradictorium deductum nō eſt verè tale: quia non eſt in ordine ad idem, v.g. quaternarius eſt duplus binario, & nō eſt duplus quinario, ergo quaternarius eſt duplus, & non eſt duplus. Secundo verò modo, quando contradictorium deductum ſolum eſt tale apparenter; quia licèt ſit in ordine ad idem; nō tamen in ordine ad idem ſecūdum idem; v.g. æthiops eſt albus ſecundum dentes, & non eſt albus ſecundum corpus, ergo æthiops eſt albus, & non eſt albus. Tertio modo fit, quando contradictorium collectum nō eſt tale, quia licèt ſit in ordine ad idem, ſecūdum idem; non tamen in ordine ad idem, ſecundum idem, & eodem modo; v.g. veſtis aptata corpori tegit corpus, & complicata in arca non tegit corpus, ergo veſtis tegit, & non tegit corpus. Tandem quarto modo euenit, quando prædicatum contradictorium non eſt verè tale; quia licèt ſit in ordine ad idem, ſecundum idē, & eodem modo; non tamen in ordine ad idem ſecundum idem, & eodem modo, & tempore; v.g. Bergomum frigeſcit tempore hyemis, & nō frigeſcit tempore æſtatis, ergo Bergomum frigeſcit, & nō frigeſcit.

De fallacia petitionis principij.

257 PRincipium hìc ſumitur pro aliqua propoſitione probāda; vndè tunc aliquis petit principium, cum petit, ſibi concedi propoſitionem probandam; quod fit, quando antecedens non eſt notius conſequenti, v.g. ſi quis vellet probare, Platonem eſſe filium Socratis, & ſic argueret: Socrates eſt Pater Platonis, ergo Plato eſt filius Socratis. Quæ fallacia eſt puerilis. Sed pro maiori eius intelligentia notandum eſt, quod quando idem ſub eodem nomine ſumitur ad probandū ſe ipſum, v.g. homo currit, ergo homo currit, tunc ibi nulla eſt fallacia, cùm idem non habeat apparentiam ad probandum ſe ipſum, & tale dictum nullatenus eſt argumentatio; quia conſequens nō eſt aliud ab antecedenti; quod debet habere omnis argumentatio; cùm argumentatio ſit eſſentialiter oratio, in qua vnū ex alio infertur, ſed vt ait D. Tho. in opuſc. fallaciar. cap. 2. ſic petens principium videbitur deridendus.

De fallacia conſequentis.

258 COmmittitur hæc fallacia, quando ita proceditur ex termino cōſequenti ad antecedens in propoſitione conditionali, ſicut licet procedi ex termino antecedēti

ad

ad cõsequens, vel è contrà, v.g. quia hæc consequentia est bona, Petrus est equus, ergo Petrus est animal, hanc deducimus, si Petrus est animal, ergo Petrus est equus, vel quia hæc est bona, Bucephalus non est animal, ergo Bucephalus nõ est homo, hanc deducimus, si Bucephalus non est homo, ergo Bucephalus nõ est animal. Distinctionem huius fallaciæ à fallacia accidentis vide optimè explicatam à D. Th. loc. cit.

De fallacia non causa, vt causa.

259 ORdinatur hæc fallacia, quãdo in antecedenti alicuius argumẽti ponitur aliqua res, vt causa alterius, quæ re vera non est, ex quo deducimus aliquam conclusionem falsam, quæ, si res in antecedenti accepta vt causa alterius, verè talis esset, prędicta conclusio vera quoque esset, v.g. aliqui Theologi fuerunt hæretici, ergo Theologiæ non est studendum: Ex lectione sacræ scripturæ plurimi facti sunt hæretici, ergo sacra scriptura nõ est legenda. In quibus argumentis ponitur, in primo studium Theologiæ, vt causa hæresis aliquorum, quod verè non est tale, sed peruersa voluntas illorum malè vtens Theologia; & in secundo lectio sacræ scripturæ ponitur vt causa hæresis plurium, quæ re vera non fuit, sed peruersitas illorum peruersè sacram scripturam interpretantium.

De fallacia plurium interrogationum, vt vnius.

260 TVnc Sophista aliquem fallit hac fallacia, quando ei proponit plures interrogationes partim veras, & partim falsas, vt si esset vna, & vt ab illo vnam solam responsionem accipiat, ex qua deducat aliquã bonam consequentiam, sed consequens falsum, & ideò, si respondens est incautus in respondendo vnica responsione, & non tot, quot sunt in re interrogationes à Sophista, facilè fallitur; quia tenetur falsum consequens concedere; quod sic facit Sophista: Petrus, & Bucephalus sunt ne rationales? Responde, vt possim arguere; si incautus respõdeas affirmatiuè: sic arguit, Petrus, & Bucephalus per te sunt rationales, ergo Bucephalus est rationalis: si autem negatiuè respondeas, sic arguit; Petrus, & Bucephalus per te sunt irrationales, ergo Petrus est irrationalis. Si autem sic respondebis, Petrus est rationalis, Bucephalus est irrationalis, tunc delusus manebit Sophista. Hæc fallacia tribus modis solet contingere; primò, cum vnum de pluribus interrogatur, vt in exemplo adducto; secundò, cum plura quæruntur de vno, vt si quæras, an hic annulus sit aureus, & argenteus; tertiò tandem cum plura de pluribus quæruntur, vt si Petro existente cæco, & Paulo vidente, inquiratur, an Petrus, & Paulus sint cæci, & videntes?

SECTIO VLTIMA.

De quibusdam distinctionibus valdè vsitatis apud Scholasticos in argumentando.

261 PRimò solent Scholastici distinguere aliquas enunciationes hac distinctione, .s. *formaliter, vel materialiter*; v.g. in hoc argumẽto, ille paries disgregat visum, sed omne disgregatiuum visus est qualitas, ergo

ergo ille paries est qualitas. Ad quod respondendo prædictam distinctionem sic applicant. Primò ad maiorem, ille paries disgregat visum, *materialiter*, concedo, *formaliter*; nego; idest ille paries non est id, quod ratione suæ essentiæ disgregat visum, sed est id, in quo inhæret forma per se disgregans visū. Similiter procedunt in minori: omne disgregatiuū visus est qualitas, omne, quod disgregat visum, *formaliter*, concedo; omne, quod disgregat visum, *materialiter*, nego; idest, omne, quod disgregat visum ab intrinseco est qualitas; nō autem omne, quod disgregat visum ab extrinseco. Tandem consequens similiter distinguunt: ille paries est qualitas, *materialiter*, cōcedo, *formaliter*, nego; idest ille paries est subiectū, in quo inhæret aliqua qualitas; non autem essentialiter est qualitas, vnde id dicitur *formaliter*, conuenire alicui, quod conuenit ei ratione alicuius, quod est de eius essentia, id verò *materialiter*, quod ei conuenit ratione alicuius, quod essentialiter ei non conuenit; sed in ipso tanquam in materia, seù subiecto reperitur.

Secundò, *formaliter*, vel *efficienter*, v.g. in hoc argumento, omne, quod calefacit aliquem; est in illo tanquā in subiecto, sed ignis calefacit meā manū, ergo ignis est in mea manu, tanquam in subiecto. Ad quod prędictam distinctionem sic applicant; omne, quod calefacit aliquem, est in illo tanquam in subiecto, si *formaliter* illum calefacit, concedo, si autē solum *efficienter*, nego. Præterea ad minorem, ignis calefacit meam manum, *formaliter*, nego; *efficienter*, concedo. Vndè id dicitur facere aliquid *formaliter*, in aliquo, quod per suam entitatem illud informando, aliquid in ipso efficit: id verò dicitur facere aliquid *efficienter* in aliquo, quod non per positionē propriæ entitatis, sed per productionem alicuius formæ à se distinctæ, in illo aliquid efficit.

262 Tertiò *formaliter*, vel *virtualiter*, v.g. in hoc argumento, quidquid calefacit est calidum; sed quidquid est calidum habet formaliter calorem, ergo, cum Sol calefaciat, habet formaliter calorem; ad quod respōdendo ei applicāt prædictam distinctionem, & primò ad maiorem, sic: quidquid calefacit est calidum, *formaliter*, nego, *formaliter*, vel *virtualiter*, concedo: idest quidquid calefacit, non continet formam caloris: sed vel cōtinet formam caloris, vel virtutem producendi illam. Similiter distinguunt minorem: quidquid est calidum habet *formaliter* calorem, si est calidum *formaliter*, concedo: si est calidum *virtualiter tantùm*, nego. Similiter primam partem cōsequentis sic distinguunt; Sol est calidus *formaliter*, nego, *virtualiter*, concedo, & ideò negant cōsequentiam, quoad id, quod vltimo cōtinet cōsequens.

Vndè tunc aliquid dicitur *formaliter* tale, quando verè habet in se illam formam, à qua denominatur tale; & si in illo perfectiori modo reperitur prædicta forma, quā in alijs habentibus illam, dicitur, illam habere *formaliter eminenter*; & ideò Sol dicitur *formaliter eminenter* calidus; si autem nō reperitur perfectiori modo in illo tunc dicitur tantùm *formaliter* tale, v.g. hæc malua solum dicitur *formaliter* viuens: tūc verò dicitur

aliquod *virtualiter* tale, quando potest producere illam formam, à qua talis denominatur, & si res habens talem virtutē est perfectior re producibili à tali virtute, dicitur *virtualiter eminenter* talis, v. g. Sol *virtualiter eminenter* dicitur calidus; si autem non est perfectior, dicitur tantùm *virtualiter* illam rem continere: sic quędam astra dicuntur tantùm *virtualiter* continere animalia, quæ ex putri materia generantur.

263 Quarto *in actu signato*, vel *in actu exercito*, v.g. in hoc argumento: processus in infinitum nō debet admitti; sed qui dicit, definitionem posse definiri, admittit processum in infinitum; ergo qui dicit, definitionem posse definiri, admittit, quod nō debet admitti. Ad quod respondendo sic ei applicāt prædictam distinctionem ad minorem: qui dicit, definitionem posse definiri *in actu signato*, admittit processum in infinitum, nego: qui dicit, definitionem posse definiri *in actu exercito*, admittit processum in infinitum, concedo, idest, qui dicit significatum huius vocis, definitio, definiri posse, non admittit processum in infinitū: benè tamen qui dicit particularem aliquam definitionem definiri posse, tale infinitū admittit. Similiter distinguunt consequens: qui dicit definitionē posse definiri *in actu signato*, admittit aliquod, quod non debet admitti, nego: qui dicit, definitionem posse definiri *in actu exercito*, admittit aliquod, quod non debet admitti, concedo. Vndè id dicitur conuenire alicui *in actu signato*, quod conuenit ei, secundum illam rationem, secundum quā accipitur, prout ab aliquo termino communi significatur: id verò *in actu exercito*, quod conuenit ei, vt est quædam res particularis, v.g. hæc propositio, homo est species, est vera *in actu signato*, & falsa *in actu exercito*: & hæc, homo ridet, est vera *in actu exercito*, & falsa *in actu signato*; & hæc, homo est rationalis, est vera tàm *in actu exercito*, quàm *in actu signato*.

264 Quintò *actu*, vel *potentia*, v. g. in hoc argumēto: Rosa, quæ est, potest actu videri; sed rosa in hyeme est, ergo rosa in hyeme potest actu videri. Ad quod respondendo, ei sic applicant prædictam distinctionem. Primò ad maiorem: Rosa, quæ est *actu*, potest actu videri, concedo; rosa, quæ est *potentia*, potest actu videri, nego; idest, rosa, quæ existit, potest actu videri, nō autem rosa, quæ potest existere, & nōdum existit. Deinde ad minorem: rosa in hyeme est *actu*, nego, est *potentia*, concedo, & negant consequentiam. Vndè id dicitur esse *actu*, quod actu existit; id verò *potentia*, quod actu non existit, sed potest existere.

Sextò, *in actu primo*, vel *in actu secundo*, v. g. in hoc argumento, quod est semper risibile, semper ridet; sed Petrus est semper risibilis, ergo Petrus semper ridet. Ad quod respōdendo, ei sic prædictam distinctionem applicant. Primò ad maiorem: quod est semper risibile *in actu secundo*, semper ridet, concedo, quod nō est semper risibile *in actu secundo*, sed aliquando *in actu secundo*, aliquando *in actu primo*, sēper ridet, nego; idest, quod semper exercet actum ridendi, semper ridet, non autem id, quod semper talem actum non exercet, sed

ſed aliquando exercet, aliquando non, ſed ſolùm eſt in potentia ad tale exercitium. Deinde ad minorem: Petrus eſt ſemper riſibilis *in actu ſecundo*, nego: aliquo tempore, *in actu ſecundo*, & aliquo tempore *in actu primo*, concedo, & negant conſequentiam. Vndè tunc aliquid conuenit alicui *in actu ſecundo*, quando illud actu exercet, v. g. ridere conuenit Petro *in actu ſecundo*, quando actu ridet: tunc verò conuenit aliquid alicui *in actu primo*, quando illud poteſt exercere, v. g. ridere conuenit Petro *in actu primo*, quando actu non ridet, ſed poteſt ridere.

265 Septimò, *abſolutè*, ſeù *ſimpliciter*, vel *reſpectiuè*, ſeù *cõparatiuè*, v.g. in hoc argumento, Pedantes in villis ſunt docti, ſed docti ſunt laude digni, ergo Pedantes ſunt laude digni. Ad quod reſpondendo, ſic ei prædictam diſtinctionem applicant. Et primò ad maiorem, Pedantes in villis ſunt docti *abſolutè*, ſeù *ſimpliciter*, nego, *reſpectiuè*, ſeù *comparatiuè*, ad villicos, concedo. Deinde ad minorẽ, docti ſunt laude digni, qui ſunt tales *abſolutè*, ſeù *ſimpliciter*, concedo; qui ſunt tales ſolùm *reſpectiuè*, ſeù *comparatiuè*, nego: & negant conſequentiam. Vndè id eſt *abſolutè*, ſeù *ſimpliciter* tale, quod ex ſe, ideſt ſine comparatione ad aliud eſt tale; id verò ſolùm *reſpectiuè*, ſeù *comparatiuè* eſt tale, quod ſolum in ordine ad aliud dicitur tale.

266 Octauò, *eſſentialiter*, vel *accidentaliter*, v.g. in hoc argumento, quod ſemper fuit repertum in omnibus hominibus eſt de eſſentia hominis, ſed riſibilitas fuit ſemper reperta in omnibus hominibus, ergo riſibilitas eſt de eſſentia hominis. Ad quod reſpondendo, ſic ei applicant prædictam diſtinctionẽ, & primò ad maiorem; quod ſemper fuit repertum in omnibus hominibus *eſſentialiter*, eſt de eſſentia illorũ, concedo; quod ſemper fuit repertum in omnibus hominibus *accidentaliter* eſt de eſſentia illorum, nego. Deinde ad minorem; riſibilitas fuit ſemper reperta in omnibus hominibus, *accidentaliter*, concedo, *eſſentialiter*, nego. Et negant conſequentiam. Vndè id cõuenit *eſſentialiter* alicui, quod eſt de eius eſſentia; id verò *accidentaliter*: prout accidentaliter contradiſtinguitur ab eſſentialiter, quod non eſt de illius eſſentia.

267 Nonò, *per ſe*, vel *per accidens*, v.g. in hoc argumẽto; quod cõuenit omnibus indiuiduis alicuius naturę, vel eſt de eſſentia illorũ, vel proprietas in quartò modo eorum, ſed riſibilitas conuenit omnibus indiuiduis naturæ humanæ, ergo riſibilitas vel eſt de eſsẽtia, vel proprietas in quarto modo indiuiduorum naturæ humanæ. Ad quod reſpondendo, ſic ei applicant prædictam diſtinctionẽ; & primò ad maiorem, quid conuenit omnibus indiuiduis alicuius naturæ *per ſe*, vel eſt de eſſentia, vel proprietas in quarto modo eorum concedo: quod conuenit omnibus indiuiduis alicui⁹ naturæ *per accidens*, vel eſt de eſſentia, vel proprietas in quarto modo illorum, nego. Deinde ad minorem, riſibilitas conuenit omnibus indiuiduis naturæ humanæ *per ſe*, concedo; *per accidens*, nego. Et concedunt conſequentiam. Vndè id conuenit alicui *per ſe*, quod vel eſt de eius eſſentia, vel habet ne-

cessariam connexionem cum essentia illius, id verò *per accidens*, quod neque est de essentia illius, nec habet necessariam connexionem cum tali essentia.

208 Decimò, *vt quod*, vel *vt quo*, v.g. in hoc argumēto; quod videtur, spectat ad obiectum formale visus, sed paries videtur, ergo paries spectat ad obiectum formale visus. Ad quod respondendo, sic ei applicant prædictam distinctionem. Et primò ad maiorem: quod videtur, *vt quo*, spectat ab obiectum formale visus, concedo; quod videtur, *vt quod* spectat ad obiectum formale visus, nego. Deinde ad minorem: paries videtur, *vt quod*, concedo, *vt quo*, nego; quia hoc solum cōuenit colori parietis. Et negant consequentiam. Vndè id cōuenit alicui, *vt quo*, quod est forma, vel se habet veluti forma, per quam aliquid denominatur; id verò conuenit alicui, *vt quod*, quod denominatur ab aliqua forma, vel ab aliquo se habenti veluti forma, vt ignis dicitur calidus, *vt quod*, calor verò dicitur calidus, *vt quo*.

Vndecimò, *positiuè*, vel *negatiuè*, v.g. in hoc argumento; qui caret omni vitio, est bonus; sed qui est bonus habet aliquam virtutem, ergo qui caret omni vitio habet aliquam virtutem. Ad quod respondendo, sic ei applicant prędictam distinctionem. Et primò ad maiorem: qui caret omni vitio, est bonus, *negatiuè*, concedo; *positiuè*, nego. Deinde ad minorem, qui est bonus *negatiuè*, habet aliquam virtutem, nego: qui est bonus *positiuè*, habet aliquam virtutem, concedo. Et negant consequētiam. Vndè id est tale *positiuè*, cum est tale per formam positiuam: id verò est tale *negatiuè*, cum in ipso non reperitur forma opposita illius formæ, à qua talis dicitur, neque ipsa forma, a qua talis denominatur.

269 Duodecimò, *in recto*, vel *in obliquo*, v.g. in hoc argumēto; quidquid pertinet ad conceptum alicuius, est de eius essentia, sed obiectum pertinet ad conceptum scientiæ, ergo obiectum est de essentia scientiæ. Ad quod respondendo; sic ei applicant prædictam distinctionem. Et primò ad maiorem: quidquid pertinet ad conceptum alicuius *in recto*, est de eius essentia, concedo: quidquid pertinet ad cōceptum alicuius *in obliquo*, est de eius essentia, nego. Deinde ad minorem: Obiectū pertinet ad conceptum scientiæ *in obliquo*, concedo, *in recto*, nego. Et negant consequentiam. Vndè id spectat *in recto*, ad conceptum alicuius, quod ingreditur in conceptu illius, & est intrinsecum illi rei, quæ concipitur: id verò *in obliquo*, quod ingreditur in cōceptu illius, & est extrinsecum illi rei, quæ concipitur.

Decimotertiò, *obiectiuè*, vel *subiectiuè*, v.g. in hoc argumento, id quod est in diuerso prædicamēto ab alio, & est in illo, est accidens, sed natura leonina est in diuerso prædicamento ab intellectu nostro, & aliquando est in nostro intellectu, ergo natura leonina est accidens. Ad quod respondendo, sic ei applicant prædictā distinctionem; & primò ad maiorē, id quod est in diuerso prædicamento ab alio, & est in illo, est accidens, si est in illo *subiectiuè*, concedo; si est in illo tantū *obiectiuè*, nego. Deinde ad minorem: natura leonina est ali-

quando

quando in nostro intellectu, *obiectiuè*, concedo, *subiectiuè*, nego. Et negant consequentiam. Vndè id est *obiectiuè*, in alio, quod obijcitur illi, dum ab illo cognoscitur, vel appetitur: id verò *subiectiuè*, quod est in illo, vt in subiecto, à quo sustentatur.

270 Decimoquartò *simpliciter*, vel *secundum quid*, v. g. in hoc argumento, quidquid habet albedinem est album, sed æthiops habet albedinem in dentibus, ergo æthiops est albus. Ad quod respondendo, sic ei applicant prædictam distinctionē, & primò ad maiorem: quidquid habet albedinem est album, *simpliciter*, nego; *simpliciter*, vel *secundum quid*, concedo. Deindè cōcessa minori, distinguunt consequens, æthiops est albus, *secundum quid*, concedo, *simpliciter*, nego. Vndè id dicitur *simpliciter* tale, quod absolutè dicitur tale; idest, sine addito: id verò dicitur *secundum quid* tale, quod solum dicitur tale cum aliquo addito, pro qua distinctione notandum est id, quod pro diminutione notauimus lib. 1. sect. vlt.

271 Decimoquintò, *implicitè*, vel *explicitè*, v. g. in hoc argumento: id quod in suo cōceptu includit plura specie diuersa, est quid complexū; sed animal, prout consideratur vt quoddam totum potentiale, in suo cōceptu includit plura specie diuersa, ergo animal, prout consideratur vt quoddam totum potentiale, est quid complexum. Ad quod respōdendo, sic ei applicant prædictam distinctionem. Et primò ad maiorem; id quod in suo conceptu includit plura, est quid complexum, si includit illa plura *explicitè*, concedo, si autem solum *implicitè*, nego. Deindè ad minorem: animal, prout consideratur vt quoddam totum potētiale, in suo conceptu includit plura specie diuersa, *implicitè*, concedo, *explicitè*, nego. Et negant consequentiam. Vndè id continetur *explicitè*, in aliquo conceptu, quod clarè ibi representatur; id verò *implicitè*, quod tantùm confusè.

Pluribus alijs distinctionibus vtūtur Scholastici in explicandis difficultatibus, quæ occurrere solent in aliquibus enunciationibus; sed quia partim ex dictis in hac introductione constant, vt *in sensu composito*, vel *in sensu diuiso*, ex lib. 2. sect. 9. & *specificatiuè*, vel *reduplicatiuè*, ex eodem lib. sect. vlt. & partim ex dicendis, in quæstionibus Logicalibus manifestabuntur; ideò de hac re dicta sint satis, & de tota hac introductione.

FINIS INTRODVCTIONIS.

PRÆCIPVÆ QVÆSTIONES;

Quæ à modernis exagitantur in Logicam Aristotelis.

272 *CVM qualibet scientia omnes suas conclusiones per demonstrationē colligat, & Logica sit scientia, vt quæstione quinta primæ disputationis ostendemus; nihil mirum, si eius dogmata per quæstiones proponemus; nam in solutionibus earum (vt patitur imbecillitas nostri ingenij) illa demonstrare conabimur. Proponemus solùm præcipuas quæstiones, ex his, quæ hoc tempore proponi solent; quia taliter in illis nos geremus, vt ex solutionibus earum minus præcipuæ, quæ breuitatis gratia omittuntur, solutæ facilè maneant. Pro quo sit:*

DISPVTATIO PRIMA,

In qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ in proœmio Logicæ à modernis exagitantur.

MEritò DD. antequam Logicam explicandam suscipiant, aliquas excitant quæstiones circa naturam eius, ne videatur ignorare id quod explicare intendunt; ego verò à tàm laudabili consuetudine nec transuersum vnguem discedere audeo; & ideò sit.

QVÆSTIO I.

An Logica sit necessaria, & quomodo ad alias scientias acquirendas.

273 PRimò notandum est ex Anar. 1. peri. c. 5. quod Logica est duplex; vna naturalis: & alia artificialis. Prima, vt ex Arist. 1. Rhet. cap. 1. colligitur, est ipse intellectus prout præbet quædam Logicæ principia lumine naturali nota. Secunda verò est scientia speculatiua modi sciēdi latè sumpti; cuius bonitas ex sequētibus quęstionibus patebit. Præsens quęstio non de prima; sed de secunda procedit.

Secundò est notandum, quod necessarium, vt ex Arist. 5. metaph. habetur, est quod aliter se habere non potest, quod, vt notat D. Thom. ibidem, est duplex: vnum absolutum, & aliud respectiuum. Primum est illud, quod sumitur ex parte alicuius causæ intrinsecæ, quo modo est necessarium, hominem esse mortalē: quia intrinsecè constat ex materia, quæ est in potentia ad alias formas. De quo non procedit præsens quæstio.

ſtio. Secundum eſt illud, quod eſt tale in ordine ad aliquem finem acquirendum, de quo eſt pręſens quęſtio. Quod ab eodem D. Tho. ibidem, & 3. par. q. 65. art. 4. diuiditur in neceſſarium ſimpliciter, & neceſſarium ſecundùm quid. Primum eſt illud, ſine quo finis haberi nullo modo poteſt; v. g. cibus, & reſpiratio, hoc modo ſunt homini neceſſaria ad longam vitam ducendam: Secundum verò eſt illud, ſine quo finis haberi poteſt, ſed non ita commodè, & benè, v. g. equus ad iter faciendum hoc modo homini dicitur neceſſarius; quia ſine ipſo iter facere poteſt: ſed non ita commodè, vt cum ipſo.

274 Tertiò notandum eſt, quod ſcientia dupliciter poteſt conſiderari; primò in eſſe imperfecto, ſecundùm quod importat cognitionem vnius, vel alterius concluſionis diuiſiuè: ſecundò in eſſe præfecto, ſecundùm quod importat cognitionem omnium, vel ferè omniũ concluſionum collectiuè. Vndè ſenſus huius quæſtionis eſt, an Logica ſit neceſſaria ſimpliciter, vel tantũ ſecundùm quid ad acquirendas alias ſcientias tàm in ſtatu imperfecto, quàm in ſtatu perfecto. Ad cuius ſolutionem

Sit prima concluſio: Logica eſt ſecundùm quid neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas tàm in ſtatu perfecto, quàm in ſtatu imperfecto.

Probatur argumento, quo vſus fuit Galen⁹ in libro an ſanguis ſit in arterijs contra Ariſtratũ contrariũ huius concluſionis ſentientem. Aut ex quolibet ſequitur quodlibet, aut non: Si primum ſic argumentor: cignus eſt albus, coruus eſt niger, ergo Aſiſtratus eſt ſtultus: ſi ſecundũ, ergo neceſſaria eſt ars, quæ me doceat, quando aliquid ex alio, & quãdo non ſequatur, ſed huiuſmodi ars vocatur Logica, ergo Logica eſt neceſſaria, ſaltem ſecundum quid, ad acquirendas alias ſcientias in quocunque ſtatu; cum omnis cognitio ſcientifica à nobis per diſcurſum illatiuum habeatur.

275 Nec contra hanc concluſionem faciunt damnationes, & prohibitiones, quæ à Sanctis Patribus videntur proferri contra Logicam; quæq; à Zanardo Bergomenſi hic adducuntur; quia, vt optimè ipſe, nõ procedunt ex fine ſcientiæ, ſed ex mala applicatione, & vſu ſcientum, quod euidenter deducitur ex his, quæ ab Origene libro 6. contra Celſum ſcribuntur, .ſ. *Oſtendamus ex ſacris litteris, quod etiam diuina ſcriptura nos hortatur ad dialecticam, alicubi Salomone dicente: eruditio rationibus non examinata decipitur; alicubi hoc atteſtante auctore libri ſapientiæ Ieſu Sirachi filio, ſcientia, inquit, inſenſati eſt ſermo carens examine.*

276 Hic tamen nõ eſt pretereundum, quod Pedagogi valdè Logicã contemnunt, & ſæpè inutilem eſſe dicunt; non ſolùm, vt ab adoleſcentibus amoueant deſideriũ huic ſtudendi; & hoc vt diutius illos in ſuis gymnaſijs retineant; (O ſcelus abominabile, vt iſti abiecti artifices lucrentur, faciunt inutiliter conſumare iuuenibus totam iuuentutem in ediſcenda vna ſola ex quatuor partibus grammaticæ, .ſ. ſyntaxi vnius tantùm linguæ. O deplorãda ignorantia Parentum, qui in hoc con-

sentiunt ! ætas illa apta est, & ad discendas omnes partes grammaticæ, non solùm vnius linguæ, sed etiam multarum;& ad acquirendas multas nobilissimas scientias) sed etiam vt vulgus obsequium debitū scientificis illis tribuat, cuius multum sunt auidi, & licèt hoc vitium antiquum sit apud homines huius professionis,vt patet ex illo Diui August. lib. 2. contra Cresconium grammaticū, qui ei dialecticam vt Christiano militi incongruam obijciebat; vbi sic eum alloquitur: *Quare te in tantum periculum injecisti, si disputare non noueras?* Quia purus grammaticus purus Asinus: vt benè noster de Peijri. de Prælato quæst. 2. cap. 2. *Aut si noueras cur Dialecticus dialecticam criminaris*. tamen his temporibus maximè viget. Vndè videri potest Honoratus de Robertis hìc tract. 2. qui benè ex professo contra illos arguit,& Logicam vindicat à calumnijs illorum.

277 Secunda conclusio; Logica non est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias in statu imperfecto. Probatur primò ex Arist. 9. metaph. textu 7. vbi ait; *Addiscens artem operatur actionem artis sine arte;* Sed Logica est ars, ergo possumus illa in statu imperfecto acquirere sine hoc, quod ipsam primò habeamus: sed eadem est ratio, quoad hoc de Logica, & de alijs scientijs, vt ex infrà dicendis constabit, ergo Logica non est simpliciter necessaria ad alias scientias in statu imperfecto acquirendas.

Probatur secundò, sic se habet Logica respectu aliarum scientiarū, sicut prudentia respectu virtutum; sed possumus acquirere virtutes in statu imperfecto sine prudentia, ergo etiam alias scientias in eodem statu sine Logica; & consequenter Logica non est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas in statu imperfecto.

278 Tertia conclusio: Logica est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas in statu perfecto. Probatur primò: Non potest quis in statu perfecto acquirere aliquam scientiam, nisi sciat resoluere omnes conclusiones illius ad prima principia, & cognoscat bonitatem illationum, necessitatem, & conditiones præmissarū, & deceptiones, quæ circa eas solent cōtingere, &c. sed omnia ista à sola Logica traduntur; ergo Logica est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas in statu perfecto. Probatur maior; res non scitur,nisi cognoscatur, quod aliter se habere non possit, vt habetur ex Aristot. 2. poster. cap. 1. sed non possumus scire, quod omnes conclusiones alicuius scientiæ aliter se habere non possint, nisi reducere sciamus illas ad prima principia,& cognoscamus bonitatem illationum,&c. ergo nullus potest acquirere in statu perfecto aliquam scientiam, nisi sciat resoluere, &c. Minor argumenti etiam cōstat,quia nuda potentia intellectus sine adiutorio artis Logicæ cognoscere non valet omnes defectus consequentiarum,nec scientificè attingere bonitatem illarum; cùm multæ non sint notæ ex ipsis terminis,sed colligantur per discursum.

279 Probatur secundò: Non sufficit Logica naturalis ad acquirendas alias scientias in statu perfecto; ergo

ergo necessaria est simpliciter Logica artificialis ad illas acquirendas. Probatur antecedens: veteres Philosophi habuerunt Logicam naturalem, sed non acquisierunt aliquã scientiam in statu perfecto, quamuis in hoc valdè insudauissent; ergo non sufficit Logica naturalis ad acquirendas alias scientias in statu perfecto. Maior patet, minor verò probatur: Scientia in statu perfecto est habitus plurium cõclusionum, certus, & euidẽs sine aliquo errore; sed veteres Philosophi sũt assecuti omnes partes philosophiæ, seu omnes scientias naturales cum multis erroribus, vt testatur Arist. 4. meth. cap. 3. & 1. physic. cap. 2. & Cicero 1. Academicar. & 2. de finib. ergo veteres Philosophi non acquisierunt aliquam scientiam in statu perfecto.

280 Contra hanc probationem dices; Aristot. perfectissimè habuit Logicam; sed his non obstantibus, non habuit scientias in statu perfecto, cum illas habuerit cum aliquibus erroribus; ergo causa, qua veteres Philosophi nõ habuerunt scientias in statu perfecto, non fuit, quia Logica caruerunt.

Resp. transeat maior, minorem verò concedere teneor; tùm quia catholicus sum, ob æternitatẽ mundi, & alia contra veram fidem, quæ ab ipso asseruntur; tùm etiam, quia Electinus, nam Patamus Elect. norum Princeps sæpè habebat in ore hanc veritatem, quod omnes veritates in nullo Philosopho particulari reperiuntur: sed in omnibus simul, & ideò negatur consequentia cum Pontio: quia Aristotiles nõ errauit in modo discurrendi, nisi quatenus supposuit aliquod principium pro vero, quod non erat verum; at illi alij etiam errauerunt informando ipso discursu, & in deducendo id, quod non sequebatur ex præmissis, & consequenter benè colligitur, quod illi errauerunt ob defectum Logicæ; non autem Philosophus.

281 Probatur tandem ex Aristot. 1. Metaph. vbi habet; quod *Signum scientis est posse docere*, sed nullus potest docere aliquam scientiam sine Logica, ergo nullus sine Logica sciens perfectè esse potest.

Probatur minor: nullus potest docere aliquam sciẽtiam, qui ignorat rationẽ sui sciti (cũ non sit licitũ docenti scientias aliquid sine probatione docere) sed non potest quis non ignorare rationem sui sciti, qui caret Logica; cum sola ipsa doceat resoluere conclusiones, &c. ergo nullus potest docere aliquam scientiam sine Logica. Et confirmari potest eadem minor ex D. August. lib. 2. de ordine cap. 13. vbi ait, quòd, *Logica docet docere, & dicere; & ipsa sola scientes facere potest.*

282 Primum argumentum contra secundam conclusionem, scientia in statu imperfecto est vera sciẽtia, sicut animal imperfectum est verum animal; sed vera scientia non habetur, nisi per demonstrationem, cum sit effectus illius. ergo sine Logica artificiali nõ possumus habere aliquam sciẽtiam, etiam in statu imperfecto. Consequentia patet quia non possumus conficere aliquã demonstrationẽ sine Logica artificiali.

Resp. Concedendo totum antecedens, & negando cõsequentiam, ad eius probationem dicimus, falsũ esse

esse non posse habere aliquam demonstrationem sine Logica artificiali, cùm per Logicam naturalem possumus aliquas facere; illas, .s. quarum conclusiones proximè innituntur principijs lumine naturali notis, ex quibus ita euidenter sequũtur, vt explicatis terminis absque difficultate conficiantur tales demonstrationes.

283 Instabis contra solutionem, licèt lumine naturali possimus assẽtiri vni, vel alteri conclusioni proximè innitenti principijs lumine naturali notis, tamen illi assensus non sunt scientifici, ergo nulla est solutio. Probatur anteced. illi assensus sunt sine certitudine consequentiæ, ergo non sunt scientifici. Probatur anteced. in omnibus figuris potest contingere error, ergo assensus facti lumine naturali sunt sine certitudine consequentiæ.

Resp. negando primum, & secundum antecedens, vltimum verò distinguendo: In omnibus figuris potest contingere error, concedo: In omnibus modis omnium figurarũ nego; nam licet in aliquo modo primæ figuræ possit hoc euenire; non tamen in primo: nam in ipso consequentia est prorsus infallibilis, & necessaria.

284 Secundũ argumentum: Logica influit in omnes scientias modum artificiosum procedẽdi, vt docet Aristot. 2. metaph. & D. Thom. ibidem, ergo se habet, vt causa vniuersalis omnium scientiarum; sed causa vniuersalis requiritur simpliciter ad omnem operationem causæ inferioris, sicut motus cęli desideratur ad omnes inferiores, mot⁹; quia est causa vniuersalis illorum; ergo Logica est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias etiam in statu imperfecto.

Resp. distinguendo consequens: Logica se habet, vt causa vniuersalis principalis, nego; se habet, vt causa vniuersalis instrumẽtalis coadiuuans agens principale, .s. intellectũ, concedo; & eodem modo est distinguenda minor; causa vniuersalis requiritnr simpliciter ad omnem operationem causę inferioris, si est principalis, concedo; si est instrumentalis, nego: Logica autem est causa vniuersalis instrumentalis, vt diximus, & ideò sine ipsa per Logicam naturalem alias scientias in statu imperfecto acquirere possumus.

285 Tertium argumentum: Sine Logica artificiali possumus per naturalem habere scientiam vnius, vel alterius conclusionis, v. g. Physicæ, ergo omnium; antecedens patet ex secunda conclusione; consequentia verò probatur. Virtus intellectiua non minuitur per assensum scientificum vnius, vel alterius conclusionis, imò perficitur, ergo potest omnibus scientificè assentire.

Resp. negando consequentiam: Ad eius probationẽ dicimus, quod licèt verum sit, quod virtus intellectiua non minuitur ab vna demonstratione facta, & possit diuisim plures facere, tamen ob sui limitationẽ non potest illas cõtinuare, & ab oppositis defendere, nisi iuuetur ab arte Logicæ.

Quartum argumentũ: Si Logica esset necessaria ad alias scientias acquirendas in statu perfecto esset necessaria ad se ipsam acquirendam in

in eodem ſtatu, cum ipſa ſit ſcientia, vt infra dicemus, ſed hoc implicat, quia alias eſſet, antequàm eſſet; ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas in ſtatu perfecto.

286 Reſp. concedendo ſequelã; nam ſicut lumen, quod eſt medium neceſſarium ad quodlibet videndũ, eſt ſibi ipſi neceſſarium, vt videatur, ita Logica eſt neceſſaria, vt aliæ ſciẽtiæ acquirantur, & vt ipſa acquiratur: neganda tamen eſt minor; nam Logica eſt neceſſaria ad ſciẽtias acquirẽdas eo modo, quo poteſt procedere ipſas, & ideò cùm ſecundùm ſe tota poſſit præcedere alias ſcientias, ſecundum ſe tota eſt neceſſaria ad illas: at verò, cum ſe ipſa tota nõ poſſit præcedere, vt optimè inſinuat argumentum, non eſt tota neceſſaria ad ſe ipſam; ſed ſicut in aliquo corpore membra ita ſunt inter ſe conſtituta, vt ſibi mutuò opem ferant: ita partes Logicæ tali modo inter ſe ſunt ordinatæ, vt vna ſit neceſſaria ad aliam acquirendam. Ad primã tamen ſufficit Logica naturalis. Vndè ad cognitionem terminorũ ſufficit Logica naturalis; ad cognitionem verò propoſitionum eſt neceſſaria cognitio terminorũ, &c.

287 Dices contra: Sicut ſufficit Logica naturalis ad acquirendã primam partem Logicæ artificialis, & ipſa Logica naturalis cũ hac prima parte ad acquirẽdam ſecundam, &c. ita ad acquirendam primam partem aliarum ſcientiarũ ſufficit ipſa Logica naturalis, quæ ſimul cum illa prima parte ad ſecũdam partem acquirendam erit ſufficiens, &c. ergo Logica artificialis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias.

Reſp. Quod eſt maximum diſcrimen inter Logicam, & alias ſciẽtias; nam cùm Logica ſit modus ſciendi, non indiget alio modo, per quem ipſa ſciatur, ſed ſufficit Logica naturalis eo modo, quo dicit argumentum: At verò aliæ ſcientiæ, cum ita ſint ſcientię vt nõ ſint modus ſciendi, ideò nullatenus perfectè ſine Logica, quæ obiectiuè eſt modus ſciendi acquiri valent.

288 Vltimum argumentum: Si Logica eſſet ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas, priori loco eſſet ediſcenda; ſed res è contra ſe habet; ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas. Probatur minor, ex Ariſt. 5. metaph. & 1. phyſic. vbi ait, *quod à facilioribus, & notioribus eſt ſumendum principium*; ſed Logica eſt difficilior alijs ſcientijs, ergo non eſt priori loco tradenda. Minor patet: illa ſcientia eſt difficilior, cuius obiectum eſt minùs intelligibile, ſed obiectum Logicæ eſt minùs intelligibile alijs aliarũ ſcientiarum, ergo ipſa eſt difficilior alijs. Probatur minor, id eſt minùs intelligile, quod eſt minùs ens; ſed obiectum Logicæ cum ſit ens rationis, eſt minùs ens alijs, ergo eſt minùs intelligibile illis.

Reſp. negando maiorẽ: ad cuius probationem dicimus, quod Ariſt. locis cit. vult, quòd à facilioribus ſit ſumendum principium, quando neceſſitas in contrarium non cogit: at verò in præſenti neceſſitas nos cogit, vt primo loco Logicam ediſcamus, cùm ſola ipſa modum ſciendi

doceat,

doceat, quamuis, vt probat argumentum, ipsa sit alijs difficilior.

QVAESTIO II.

Vtrum obiectum Logicæ sit aliquid reale.

289 Iam cõmunis vsus obtinuit, vt subiectum, obiectum, & materia respectu scientiarum pro eodem vsurpentur; vnde respectu illarum quælibet ex his nihil aliud significat, quàm id, de quo scientia tractat, & ideò obiectum est duplex, vel, vt magis ꝓpriè loquamur, eiusdem integri obiecti duę sunt partes, vna formalis, & alia materialis. Prima est illa, de qua scientia tractat ratione sui; Secunda verò est illa de qua scientia tractat non ratione sui, sed ratione obiecti formalis; nam sicut color dicitur obiectum formale visus, quia per se à visu attingitur, & corpus obiectum materiale eiusdem potentiæ, quia non per se, sed ratione coloris ab ipsa attingitur; ita id, de quo quæcunque scientia tractat ratione sui, dicitur obiectũ formale eiusdem, & id, de quo tractat ratione obiecti formalis, dicitur obiectum materiale illius.

Deindè obiectum formale est duplex: vnum adæquatum, quod solet vocari obiectũ attributionis; quod est illud, quod continet omnia, quæ in scientia tractantur, & aliud inadęquatum, quod est duplex, .s. principale, & minus principale. Quid autem vtrumque sit, ex ipsis terminis patet. Præsens ergo quæstio de obiecto adæquato procedit. Quo notato.

290 Sit conclusio; Obiectum adæquatum Logicæ non est aliquid reale. Probatur, si obiectum adæquatum Logicæ esset aliquid reale, vel essent voces vt significatiuæ, vel secundùm suum esse reale, vt volũt nonnulli, vel omnes res quatenus cognitæ, vt alij dicunt, vel operationes intellectus, vt dirigibiles, vt defendunt moderni, sed nullum ex his est obiectum adæquatum Logicæ, ergo obiectum adæquatum Logicæ non est aliquid reale. Probatur minor quoad primam partem: voces significant ad placitum, sed quod significat ad placitũ, prout sic, nõ potest esse obiectum alicuius scientiæ, ergo voces prout significatiuæ non sunt obiectum Logicæ, cũ ipsa sit scientia, vt infra dicemus. Maior patet ex his, quæ diximus in Introduct. lib. 1. Minor etiam est manifesta, quia obiecta scientiarum sunt idem apud omnes, sed quod significat ad placitum non est idem apud omnes, ergo quod significat ad placitum prout sic, non potest esse obiectum alicuius scientiæ.

291 Deindè quoad secundã partem eadem minor etiam constat, .s. quod obiectum Logicæ non sint voces, secundùm suum esse reale; quia voces secũdùm suum esse reale non spectant ad Logicam, sed ad Philosophiam naturalẽ, ergo prout sic non possunt esse obiectum adæquatum Logicæ.

Præterea eadẽ minor quoad tertiam partem: .s. quod obiectũ Logicæ adæquatum non sint res omnes quatenus cognitæ, sic probatur. Obiectum adæquatũ alicuius sciẽtiæ est obiectum formale illius, sed res omnes vt cognitæ nõ sunt obiectum formale Logicæ, ergo neque adæquatum. Minor patet; quia de obie-

obiecto formali debet scientia tractare ratione sui; sed Logica nõ tractat de rebus omnibus, etiam quatenus cognitis, ratione sui, sed solũ ratione secundarum intentionum, quod in eis ex tali cognitione resultant; ergo res omnes vt cognitæ nõ sunt obiectum formale Logicæ.

292 Demum vltima pars huius minoris sic manifestatur: Reliqui habitus intellectus dirigunt ipsum in ordine ad cognitionem propriorum obiectorum non minus, quàm Logica circa cognitionem sui proprij, sed obiectum aliarum non est intellectus, vt dirigibilis per ipsas, ergo neque obiectum Logicæ erunt operationes intellectus, vt ab ipsa sunt dirigibiles. Maior est D. Tho. 1. 2. quæst. 54. art. 4. vbi docet, quod quilibet habit9 præcipuè operatiuus est quędam perfectio potentię, quia perficit, & dirigit ipsam circa cognitionem proprij obiecti. Minor verò ex se patet, & cõsequentia ex paritate rationis.

Confirmatur eadem vltima pars minoris; Si obiectum formale Logicæ essent operationes intellectus, quomodocunque consideratæ, Logica esset nobilior mathematicis, & plurimis scientijs realibus, cum haberet obiectum nobilius obiectis illarũ; sed hoc apertè est falsum, ergo obiectum Logicæ non sunt operationes intellectus quomodocũque consideratæ.

293 Primum argumẽtum, quod est contra probationem primæ, vel secundæ partis minoris nostræ conclusionis: Illud est obiectum formale Logicę, de quo Logica per se tractat, sed Logica per se tractat de vocibus, ergo voces sunt obiectum formale Logicæ: Probatur minor: Logica per se tractat de definitionibus, diuisionibus, &c. sed definitiones, &c. per se fiunt ex vocibus, ergo Logica per se agit de vocibus.

Resp. negando minorem, ad eius probationem negamus maiorem; nam Logicus per accidens ex vocibus definitiones, &c. format, (non secus ac Astrologus, cuius institutũ est astrorum motus explicare, vtitur secundariò sphera lignea, vel ęrea, vt facilius possit hos motus manifestare) vel quia res, de quibus agere vult, secum ferre non valet, vel tandem, quia ad obiectum materiale Logicæ pertinẽt, vt fundant aliquas secundas intentiones, vt infra constabit; per se autem nullo modo de illis agit.

294 Secundum argumentum, quod est cõtra tertiam partem probationis minoris nostræ conclusionis, Arist 1. Elench. cap. 11. & 1. Rhetoric. cap. 1. & 2 docet, quod Logica non versatur circa aliquam rem determinatam, sed circa omnes res; & quarto metaph. textu 5. ait, quod Logicus, & Philosophus agunt de omnibus rebus, ergo obiectum Logicæ sunt omnes res, nõ secundùm suũ esse reale, quia prout sic de illis agit prima philosophia, sed prout cognitæ sunt.

Resp. quod Arist. locis in argum. citat. nihil aliud vult, nisi, quod sicut metaphysica habet pro obiecto materiali omnes res, quas considerat, secundum quod eis omnibus conueniunt aliqua prædicata realia, vt esse ens, vnum, &c. ita & Logica tractat de omnibus rebus, tanquam de obie-

obiecto materiali, ſecundum quod eis omnibus conueniunt prædicata rationis, vt eſſe genus, ſubiectum, prædicatum, &c. Vndè clarè cõſtat, quod res omnes ex mente Ariſt. nõ ſunt obiectũ formale Logicæ, ſicut neque metaphyſicæ, ſed quia de ipſis tractat ratione prædicatorum rationis, ſunt obiectum materiale illius, vt infrà dicemus.

295 Tertium argumẽtum, quod eſt contra vltimam partem probationis minoris noſtræ concluſionis: ſicut operationes voluntatis vt dirigibiles ſpectant ad Ethicam; ita operationes intellectus, vt dirigibiles ad Logicam, ſed operationes voluntatis, vt dirigibiles ſunt obiectum formale Ethicæ; ergo & operationes intellectus, vt dirigibiles ſunt obiectum formale Logicæ. Maior patet; quia ſicut Ethica eſt inuenta ad dirigendas operationes voluntatis, ita Logica ad dirigendas operationes intellectus.

296 Reſp. ad maiorem, quod eſt diſpar ratio de Logica, & de Ethica, nam Logica, licèt vltrà hoc, quod dirigat intellectum tradendo ei notitiam ſui obiecti, vt faciunt aliæ ſcientiæ, ſpecialiori modo dirigat etiam operationes intellectus, quã aliæ ſcientiæ, non tamen ſicut Ethica, nam iſta dirigit operationes voluntatis à priori, tanquam cauſa rectitudinis; & quia operationes voluntatis fiunt à potentia omninò libera, eguerũt ſpeciali ſcientia, à qua à priori, tanquam à cauſa rectitudinis dirigerentur: at verò Logica, licèt dirigat ſpeciali modo operationis intellectus, non tamen à priori, ſed à poſteriori, vt ab effectu talis rectitudinis, prout, s. intellectus aduertit ad ens rationis reſultatum ex ſua cognitione; quod ſi viderit eſſe tale, vt debet eſſe iuxta dogmata Logicalia, cognoſcit talem cognitionẽ eſſe directam, ſecus autem ſi rem è contrà ſe habere expertus erit. Vndè obiectum Logicæ non ſunt operationes mentis, vt dirigibiles, ſed quædam entia rationis reſultata ex certis cognitionibus, à quibus operationes mentis diriguntur à poſteriori, modo explicato; neque intellectus eguit aliqua alia ſpeciali directione, & ideò licet operationes voluntatis vt dirigibiles ſint obiectum Ethicæ; non tamen operationes intellectus, vt dirigibiles ſunt obiectũ Logicæ, ſed inſtrumentum, à quo à poſteriori diriguntur, vt ſuo loco dicemus.

297 Vltimum argumentum. Logica docet conficere definitiones, diuiſiones, & argumẽtationes, ergo definitio, &c. ſunt obiectum Logicæ, ſed definitio, &c. ſunt actus intellectus, vt ſunt artificioſè diſpoſiti; ergo actus intellectus, vt artificioſè à Logica diſponuntur, ſunt obiectum illius.

Reſp. diſtinguẽdo minorẽ. Definitio, &c. ſunt actus intellectus, repræſentatiuè, cõcedo: obiectiuè, nego. Et deinde negatur vltima cõſequẽtia; nam Logica non tractat de definitionibus, &c. repræſentatiuis, quia nõ ordinat illa artificioſè, ſed de definitionibus, &c. repræſentatis, quia illa à Logica artificioſè ordinantur: actus autem intellectus dicuntur à Logica artificioſè diſponi, quia attingunt obiecta ab illa artificioſè diſpoſita.

QVAE-

QVAESTIO III.
Quid sit obiectum formale Logicæ.

298 Cum omne ens vel sit reale, vel rationis, certũ erit supposito ex præterita quęstione, quòd obiectum adæquatum Logicæ non est aliquod ens reale, quòd sit aliquod ens rationis, & ideò vt illud pfectè reperiamus, scire debemus, quod illud dicitur ens rationis, quod nullum habet esse nisi à ratione, seù ab intellectu, quod tripliciter potest contingere. Primò, ita vt habeat esse subiectiuè immediatè in ipso, v. g. actus ipsius. Secundò, ita vt nullũ aliud habeat esse, nisi obiectiuè in ipso, v g. chimœre, & fictiones. Tertiò, ita vt habeat esse subiectiuè in intellectu non immediatè, sed in rebus, prout tali, vel tali modo ab ipso cognoscuntur, in quibus ex certis cognitionibus resultãt, v. g. esse prædicatum, &c. nam esse prædicatum solum conuenit homini, prout ab intellectu cognoscitur vt affirmans, vel negans de alio, à qua cognitione resultat quoddam accidens, quod in ipso prout sic cognito inhæret, quod dicitur prædicabilitas; & prout ab intellectu cognoscitur, vt denominans aliquam rem secunda intentio obiectiua dicitur; & quatenus de illis agit Logica, dicuntur entia rationis Logicalia, de quibus ex professo disput. sequenti.

299 Tandẽ debemus scire, quod dum quærimus, quodnam sit obiectum adæquatum Logicæ, non est sermo de obiecto librorum Aristotelis, qui modò de hac materia extant, sed de tota Logica, prout compręhẽdit illos, & alios, qui fortè ab ipso sunt editi (vt volunt aliqui) sed modò nõ extant .s. definitionis, & diuisionis: vel ab alijs illum antecedẽtibus, (vt aliqui existimãt;) quia per se pertinent ad hanc scientiam: nam licet in tota Logica à doctrina peripatetica parũ discedam, tamen, quia Electinus sum, omninò abhorreo veritatem aliquam inuestigare, inuestigando mentem alicuius Philosophi; sed directè, .s. per sua principia. Quo notato.

Primò certum est, quod ens rationis in prima acceptione à nobis assignata acceptum, .s. actus intellectus nõ sunt obiectum adæquatum Logicæ. Quod euidenter constat ex præterita quæstione; & quia de illis p se agit philosophia naturalis.

300 Deindè, quod ens rationis in secunda acceptione à nobis assignata acceptum non sit obiectum Logicæ, .s. ens rationis, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu, patet, quia de illis nullo modo Logica per se agit, vt ab omnibus conceditur, cum de illis nullas proprietates demonstret. Ex quibus euidẽter constat, quod obiectum adæquatum Logicę est ens rationis in tertia acceptione à nobis suprà explicata: nam cum sit ens rationis, & non in prima, neque in secunda acceptione à nobis explicatis, necesse est, quod sit in tertia, quia nulla alia datur; Et ideò.

Sit conclusio: Ens rationis, quod resultat in rebus tali, vel tali modo cognitis ab intellectu in ipsisq; inhęret prout sic cognitis, est obiectum formale, & adæquatum Logicæ, seù modus sciendi latè sumptus, prout, .s. compręhendit omnes secundas inten-

intentiones, quæ per se à posteriori dirigũt operationes intellectus modò suprà explicato. Hæc conclusio, licet probatione non indigeat, quia satis ex dictis colligitur, tamen vt veritas illius magis pateat.

301 Probatur primò: Tali enti rationis, seù modo sciendi latè sumpto conueniunt omnes cõditiones necessariæ obiecto Logicæ adęquato, ergo est obiectum adęquatum illius. Probatur antecedens. Prima conditio obiecti adęquati Logicæ est, vt sit id, quod contineat omnia, quæ in ipsa tractantur, ita vt ad ipsũ reducantur omnia, quæ ab ipsa considerantur, vel tanquam partes, vel tanquam species, vel proprietates eius, sed hoc conuenit modo sciendi latè sumpto, ergo ipsi conuenit prima cõditio obiecti Logicæ. Probatur minor: omnia, de quibus Logica ratione sui agit, vel sunt entia rationis resultata, per se apta ad dirigẽdas operationes intellectus à posteriori, vel sunt partes, species, aut proprietates eius: sed nomine modi sciendi latè sumpti nihil aliud intelligimus, quã ens rationis resultatũ, aptum per se ad dirigendas operationes intellectus à posteriori: ergo omnia, quæ in Logica tractantur, vel sunt modus sciẽdi latè sumptus, vel sunt partes, species, aut proprietates illius. Probatur maior: Logica agit de terminis, de subiecto, & prędicato, quæ sunt species eius, & de suppositione, &c. quæ sunt eius proprietates, de definitione, & de definitione essentiali, & descriptiua, quæ sunt eius species, &c. ergo omnia, de quibus Logica agit, vel sunt entia rationis resultata, per se apta à posteriori ad dirigendas operationes intellectus, vel eius partes, species, aut proprietates, &c.

302 Deindè secũda conditio necessaria obiecto adęquato Logicæ est, quod sit id, de quo est potissima cura in ipsa, & id, de quo aliqua traduntur præcepta in ipsa, sed de modo sciendi latè sumpto est potissima cura in Logica, & de ipso ibidẽ plura præcepta traduntur, ergo modo sciendi latè sumpto cõuenit secunda conditio necessaria obiecto adæquato Logicæ. Minor patet, quia Logica nihil aliud facit quàm naturam illorum entium rationis, quæ sub nomine modi sciendi latè sumpti compræhenduntur, inuestigare, tradendo plura pręcepta de illis, vt de definitione, quod debeat constare ex genere, & differentia, &c.

303 Tandem vltima conditio necessaria obiecto Logicæ est, vt per illud ipsa ab alijs scientijs distinguatur: sed hęc conditio conuenit modo sciendi latè sumpto, vt constabit quæst. 7. huius disput. ergo ei conueniunt omnes conditiones obiecti adęquati Logicę, & per consequens ipsum est verum obiectum adęquatum illius. Prima consequentia patet, cum non sit aliqua conditio necessaria obiecto Logicæ, quæ ad has tres nõ reducatur, vt intuẽti patebit.

Probatur secundò; Logica est scientia instrumẽtaria, cum agat de instrumentis sciendi, quæ alijs scientijs adminiculantur, sed scientia instrumẽtaria habet pro obiecto adęquato instrumentum, vt patet in fręnefactoria: ergo obiectum adęquatum Logicæ erit instrumentum, seù modus sciendi latè sumptus.

304 Plu-

304 Plurimis alijs rationibus possemus nostram conclusionem confirmare; sed quia ex dictis satis manifesta manet, & magis ex dicendis in solutionibus argumentorum manifestabitur, omittuntur.

Primum argumentum: Scientia debet inuestigare, an sit, & quid sit suum obiectum, vt constat ex Arist. 1. de demonstrat. cap. 1. & indagare principia, & causas illius, vt ex eodē habetur 10. metaph. cap. 6. Et tandē debet inquirere proprietates, partes, & species illius, vt ipse docet 4. metaph. cap. 2. sed neutrum horum facit Logica de ente rationis Logico: ergo ipsum nō est obiectū illius:

Resp. ad minorem: Quod non omne ens rationis Logicū est obiectum illius, licèt omne ens rationis Logicum ad ipsum reducatur; vel tanquam species; vt propositio vera, & falsa, ad propositionem; vel tanquā proprietates, vt suppositio, &c. ad terminum; vel tanquam partes, vt antecedens, & consequens ad argumentationem, &c.

305 Solùm igitur obiectum Logicæ est modus sciēdi latè sumptus, qui solùm comprehendit terminū, vniuersale, methodum, propositionem, definitionem, diuisionem, & argumentationem; quia solùm istæ secundæ intentiones per se à posteriori dirigunt intellectum in omni sua cognitione; reliquæ verò non pertinent per se ad obiectum Logicæ, sed ratione illarum, & ideò Logica non tenetur quærere, quid sit, & ꝓprietates, &c. entis rationis Logici, sed talis entis rationis Logici, quod diligenter facit; vt intuenti patebit; per quod patet, quod argumentum, quod noster Lalemandet facit contra Thomistas, nihil nostræ conclusioni nocet.

Contra solutionem dices: Nullū ens rationis aliquas habet proprietates, ergo Logica nō tradit aliquas proprietates modi sciendi latè sumti. Probatur anteced. si aliquod ens rationis haberet aliquas proprietates, ipsum de illis prædicaret: sed implicat, quòd subiectum prædicet de suis proprietatibus: ergo nullum ens rationis habet aliquas proprietates. Maior patet; quia si aliquod ens rationis haberet aliquas proprietates, illæ essent entia rationis, cùm à subiecto rationis non possunt dimanare proprietates reales; ergo, si ens rationis haberet aliquas proprietates, de illis prædicaret.

306 Resp. negando antecedens, ad eius probationem dicimus, quod ens rationis, quod est obiectum Logicæ, habet veras proprietates, quæ de ipso in Logica demonstrantur, v. g. terminus suppositionem, &c. vniuersale prædicationem de multis: propositio significationem veri, vel falsi, &c. & quamuis istæ proprietates, sicut & subiecta earum sint entia rationis; non tamen de illis sua subiecta prædicant; nam hęc est falsa, suppositio est terminus, &c.

Secundum argumentum, quod est vnum ex fundamentis Bruni hic disput. 1. sect. 3. per quod impugnat nostram sententiam, quod dicit desumpsisse ex Didaco de Iesu qu. 3. si ens rationis esset obiectum Logicę, Logica esset ens rationis; sed hoc est falsum, ergo & id, ex quo hoc sequitur. Maior patet; quia totum esse sciētiæ desumitur ab obiecto, à quo

naturam habet (vt optimè Arist. 2. de Anima) ergo si obiectum est rationis, esse scientiæ, erit etiam rationis: nō enim possibile est, quod ens rationis communicet alicui entitatem realem, quam non habet in se.

307 Resp. negando sequelā maioris; nam scientia non producitur ab obiecto effectiuè, sed tantū obiectiuè: producitur enim effectiuè ab intellectu medijs suis frequentatis actibus, ex quibus resultat in ipso intellectu: non enim est incōueniens, quod ens reale specificetur ab ente rationis, vt à termino extrinseco: quia terminus in nostro casu ita exercet munus terminandi, vt nullū aliud munus causæ exerceat; vt etiā cōtingit in cognitione, qua cognoscitur ens rationis, quæ specificatur tali modo ab ipso. De quo, cum de specificatiuo relationis dicemus, plura agemus.

Tertium argumentum, ens rationis nō est scibile per se; ergo neque obiectum Logicæ per se. Probatur antecedens. Ens rationis non est per se, ergo neque scibile per se: hęc vltima consequentia patet; quia scibilitas sequitur entitatem rei.

308 Resp. negando antecedens: Ad eius probationem negatur consequentia; nam ratio entis materialiter tantùm præsupponitur ad rationem scibilis, & ideò quamuis ratio entis non possit dici simpliciter de ente rationis, tamen ratio scibilis potest illi per se, & simpliciter conuenire: quod patet in mathematicis, & philosophia naturali, quorū obiecta .s. quantitas, & substantia corporea, quamuis analogicè conueniant in ratione entis, simpliciter tamen participant rationem scibilis.

Contra solutionem dices; Obiectum per se scibile debet terminare relationem realem, sed ens rationis hoc non potest facere; cum doceat D. Th. in primo distinct. 26. quæst. 2. art. 1. quod inter ens, & non ens nō potest dari relatio realis: ergo ens rationis non est per se scibile. Maior est Aristotelis, cap. de relat. vbi dicit, quod scientia dicit relationem realē ad obiectum, tanquam ad propriam mensuram.

309 Resp. Quod scientia refertur ad scibile duplici relatione (quarum neutra est superflua, vt suo loco ostendemus) vna transcendentali, quæ nō petit terminum existentem: & alia prædicamentali, quæ semper ad relationem rationis formaliter terminatur, cum omnis relatio prædicamentalis formaliter ad relatiuum terminetur, vt suo loco probabim⁹; & in relationib⁹ tertij generis, cuius generis est relatio scientiæ ad scibile, cum sint non mutuæ, in termino non correspondet aliqua correlatio realis. Vnde ad D. Thom. dicimus; quod nomine nō entis intelligit ens rationis fictum; non autem ens rationis resultatum; huius generis est non solum obiectum formale Logicæ, sed etiam relationes, per quas ipsum, & alij termini cuiuscunque relationis nō mutuæ terminant formaliter ipsas relationes reales non mutuas, de quibus suo loco plura.

310 Vltimum argumentū, quod est vnum ex fundamentis nostri Lalemandet, qui hìc tenet, syllogismū esse obiectum adæquatum Logicæ; quando multa tractantur in aliqua scientia, illud est obiectum adæqua-

qua-

quatum, ad quod cętera reducũtur, sed omnia, quæ tractantur in Logica reducuntur ad syllogismum, ergo ipse est proprium obiectum illius. Probatur minor: sic se habet syllogismus respectu suarum partium, sicut domus respectu suarum; sed partes domi reducuntur ad ipsã domum, ergo omnia, quæ in Logica tractantur, cum sint partes syllogismi, ad ipsum reducuntur.

Resp. negando minorẽ: Nam licet pluribus ex intentionibus logicalibus sint partes syllogismi; nõ tñ sub hac ratione solũ considerantur à Logica, sed etiã independenter ab illo: nam de illis plures species, & proprietates tradit, quæ illis in ordine ad syllogismum nõ conueniunt; per quod patet ad paritatem probationis minoris; nam licet ei demus, quod partes domi non sint per se obiecta domificatoriæ, sed sola domus, hoc tamen non est, quia partes domi sunt; sed quia sub hac ratione solùm ab illa considerantur, & nullo modo per se.

311 Ex dictis infertur primò, ꝙ obiectũ materiale Logicæ sunt omnes res, prout cognitæ: quod patet ex 2. arg. quæst. præter. contra nostram conclusionẽ, & maximè quia res vt cognitæ propriè vocantur terminus, vniuersale, &c. ad quod etiã voces pertinent; quia ipsæ quatenus cognitæ aliquo modo sunt verũ subiectum aliquarum secundarum intentionum, de his, quę à Logica cõsiderantur, vt intentio æquiuocationis, verbi, &c.

Secundò infertur, quod actus intellectus non sunt obiectum Logicæ, sed principia, & causæ obiecti formalis illius; possunt tamen appellari obiectũ materiale Logicæ, quatenus ipsa de illis agit non ratione sui, sed ratione secundarum intentionum, quarum sunt causæ.

312 Tertiò infertur, quod in Logica sunt septem obiecta partialia per se, quorum vnumquodque est adæquatũ sui tractatus, .s. terminus, vniuersale, propositio, methodus, definitio, diuisio, & argumentatio; & omnes simul vnum obiectũ adæquatum totius Logicæ constituunt, quatenus sũt quid vnum in esse scibilis, iuxta dicẽda quæstione vltima, quod solet appellari modus sciendi latè sumptus, quatenus, .s. modus sciendi significat instrumentũ, quod à posteriori per se dirigit intellectũ in quibuscũque cognitionibus quarumcunque rerum, modo supra explicato.

Tandem infertur, quod obiectũ principale Logicæ est argumentatio; quia est principale instrumentũ sciendi; & non demonstratio, vt volunt aliqui, quia demonstratio est species illius: species verò obiecti per se alicuius sciẽtiæ, ratione illius, & non per se ab ipsa consideratur. Constat autem, quod obiectũ principale alicuius scientiæ per se, & nõ ratione alterius ab ipsa cõsideratur. Et licèt argumentatio sit principale, & perfectius instrumentum sciendi, non propter hoc debet dici obiectũ adæquatum Logicæ, quia licèt numerus ternarius sit perfectissima species numeri; non propter hoc est obiectum adęquatum arithmeticæ: neque aliæ species numeri minoris perfectionis reijciuntur à ratione obiecti per se, & adęquati illius.

313 Hic tamen nō est prętereundū, quod Comptonus in Log. disp. 2. sect. 1. & seq. docet, quod obiectum attributionis est distinctum ab obiecto adęquato in scientijs, dicēs; quod obiectum attributionis est illud, de quo in aliqua parte scientiæ agitur, & ad quod cętera omnia, quę in illa scientia tractantur, referūtur, tanquam ad finem vltimū, & cuius cognitio præcipuè intenditur in tali scientia, & sic definitionē esse obiectum attributionis in Logica statuit.

Hæc tamen doctrina non placet, & primo in hoc, quod distinguit obiectum attributionis ab obiecto adæquato; quia licèt hæc sit quęstio de nomine, vt optimè aduertit Pontius in Logic. disp. 2. qu. 2. nihilominus, vt benè idem ibid. quia veteres DD. communiter idem intelligunt per obiectum attributionis, & per obiectum adęquatum; in quæstione de nomine potius cum illis, quàm cum vllis recentioribus est conueniendum, cum nihil impediat, quominus hæc vox obiectum adęquatū posset institui ad significandū obiectum attributionis, & cum nulla difficultas tollatur, negando hanc institutionem, & statuendo illam neotericam.

314 Præterea nō placet etiam in hoc, quod dicit, definitionem esse obiectum attributionis in Logica, quod dictum sic breuiter impugno. Definitioni in Logica nō conuenit definitio obiecti attributionis à Cōptono adducta, ergo non rectè ipse statuit eam pro obiecto attributionis in Logica. Probatur antecedens nec omnia, quæ tractantur in Logica ad definitionem referuntur tanquam ad finem vltimum; nec Logica præcipuè intendit eius cognitionem; ergo definitioni non conuenit definitio obiecti attributionis ab ipso adducta. Antecedens quoad primam partem probatur; Ea ordinantur ad aliquod, tanquam ad finē in aliqua scientia, quæ gratia illius per se traduntur in tali scientia; sed in Logica neque de terminis, neque de vniuerali, neque de methodo, propositione, diuisione, & argumētatione per se agitur ratione definitionis; quia de quolibet istorū plures veritates demōstrat, quas adhuc demonstraret, si non esset possibilis definitio; quia non conueniunt eis in ordine ad definitionem, vt de se patet; ergo in Logica alia obiecta partialia ipsius nō ordinantur ad definitionem, tanquam ad vltimū finē.

315 Nec valet dicere, quod de genere, & differentia Logica agit per se in ordine ad definitionem, quatenus sunt partes illius, & de diuisione, quatenus inseruit ad inuestigandam definitionem. Non inquam, hoc valet: quia licèt de definitione agatur in Logica per se in ordine ad demōstrationem, quatenus est medium illius; attamen his non obstantibus per se de illa agit: ita, quamuis agat de diuisione in ordine ad definitionem, hoc tamen nō tollit, quin præcipuè Logica agat de diuisione per se. Et licet de genere, & differētia agat Logica in ordine ad definitionem, modo dicto in argumento, hoc tamen nihil facit ad intentum prædicti Doctoris, tùm quia non solum secundùm hanc consideratio nem de illis tractat Logica: sed pręcipuè quatenus sunt species vniuersalis;

falis; tùm maximè,quia ista nō sunt obiecta per se Logicę,sed species,& partes obiectorum aliquorum per se Logicæ.

316 Deindè probatur antecedēs argumenti quoad secūdam partem: s. quod Logica non intendit præcipuè cognitionem definitionis: id precipuè intendit Logica, quod est medium aptius ad suum finem: sed definitio non est medium aptius ad finem Logicæ; ergo Logica præcipuè non intendit cognitionem definitionis. Probatur minor: finis Logicæ est tradere intellectui notitiam certam modi sciendi latè sumpti; vt per ipsum intellectus dirigatur à posteriori in omni sua cognitione, modo supra explicato; sed ad hoc non est aptius medium definito, quā alia obiecta partialia Logicæ, imò poti⁹ est aliquo ex illis imperfectius, s. demonstratione, quæ est species argumentationis: quia per demonstrationem regulatur perfectissima cognitio nostri intellectus, vt de se patet; ergo definitio non est medium aptius ad finem Logicæ.

QVAESTIO IV.

An Logica docens, & vtens sint duo habitus realiter distincti.

317 Diuus Thomas 4. metaph. lect. 4. diuidit Logicam in docentem, & vtentem; nomine Logicæ docentis, nihil aliud intelligēs, quàm ipsam Logicam artificialem, prout tradit præcepta modi sciendi latè sumpti: Et nomine vtentis ipsā Logicam, prout reuocat in vsum talia præcepta tàm in propria, quàm in materia aliarū sciētiarum. Quàm diuisionem esse bonam, ex eo patet; quia in Logica artificiali dantur pręcepta, & vsus eorundem præceptorum; sed ars, quæ tradit præcepta, prout sic, dicitur docens, & quæ illis vtitur, dicitur vtens, ergo optima est diuisio Logicæ in docentem, & vtentem.

Sed contra ipsam dices cum Iulio Scaligero lib. 1. de Subtilit. exerc. 1. num. 3. qui hanc diuisionem negat esse bonam: si Logica benè in docētem, & vtentem diuideretur; Grammatica, & Rhetorica quoque tali modo diuiderentur: sed hoc non: ergo neque illud. Sequela patet; quia si Logica ita esset diuidenda, ideò esset, quia præbet modum generalem alijs scientijs, quod idem faciunt Rhetorica, & Grammatica. Minor etiam est manifesta, nam fieret indè; has duas esse artes generales cum haberent vsum in omnibus alijs disciplinis; & ideò essent plures quàm tres artifices generales; qui sunt Metaphysicus, Dialecticus, & Sophista, vt ait Arist. 4. metaph. c. 2.

318 Resp. negando minorem, ad eius probationem negamus, quod quamuis Grammatica, & Rhetorica in docētem, & vtentem diuidantur; & quamuis habeant aliquem vsum in alijs scientijs; quod ex hoc sicut dialectica artes generales appellentur, nam quamuis illorum instrumentis, ornato scilicet, & congruo sermone vtantur pleræquè artes, nō tamen per se, & necessariò, sicut instrumenta Logica, sed per accidens, vt de se est manifestum.

319 Sed difficultant aliqui, an Logica secundùm omnes suas partes tali diuidatur diuisione, & licèt aliqui hoc negent, dicentes, quod in

parte demonstratiua nullum habet vsum. Dicendum tamen est, quod Logica secundum omnes suas partes diuiditur in docentem, & vtentē. Quod patet; quia Logica secundùm omnes suas partes est scientia, vt infra probabimus, & illi etiam tenent; ergo Logica in omnibus suis partibus tradit præcepta per demonstrationem, & consequenter in omni sua parte tradendo præcepta, vtitur preceptis à se traditis de demonstratiōne in parte analytica. Quis enim negare potest cum Logica in parte analytica hoc preceptum sic docet: Omnis syllogismus constans ex veris, necessarijs, &c. generat scientiā, sed demonstratio, est syllogismus constans ex veris, necessarijs, &c. ergo demonstratio generat scientiā; quod non vtatur plurimis præceptis à se in eadem parte traditis, cū hoc ex se sit manifestū; quia aliàs illa demonstratio, per quam tale traditur præceptum, non esset artificiosa?

320 Demùm alij difficultant, an Logica sit vtens actiuè, vel passiuè in alijs scientijs, idest, an Logica vtatur suis preceptis in alijs scientijs, vel an aliæ scientiæ illius vtantur. Ad quam difficultatem breuiter respōdemus dicentes; quod Logica est vtens actiuè secundùm omnes suas partes in alijs scientijs. Quod patet, quia dū Philosophus naturalis, v. g. per demonstrationem suas conclusiones probat, vel de illis probabiliter disputat, non ordinat propriam materiam ad modum demonstrationis, vel syllogismi probabilis, vt Philosophus naturalis, sed vt Logicus: quia Philosophus naturalis, vt talis nescit cōstruere demonstrationes, & syllogismos probabiles, cùm sola Logica illos facere doceat, sed quod facit Philosophus, vt Logicus, facit Logica, ergo Logica est, quæ vtitur suis preceptis in alijs scientijs.

321 Quod sic potest confirmari: quia vsus præceptorum Logicæ in propria, & in materia philosophiæ naturalis, formaliter est idem, solùm differūt ex parte materiæ, ergo sicut ille actiuè à Logica procedit, ita & iste.

Dicta D. Thomæ, quæ contra traditam doctrinam facere videtur, optimè explicātur in fauorē supra traditæ doctrinæ à Io. Sanchez quęſ. 6. procemial. & à Masio sect. 1. quęſt. 3. procemialium, & tandem à Io. a S. Thom. quæſt. 1. art. 5. secundæ partis Logicæ, qui omnes sunt celeberrimi Thomistæ, & ex alijs à Ruuio quæſt. 3. procemial.

Sed dices: artes instrumentariæ non vtuntur suis instrumētis in illis artibus, quibus subministrant, vt patet de mallearia, quæ in lignaria, & alijs artibus, non vtitur malleo à se confecto, sed aliæ artes illo vtuntur; ergo neque Logica vtitur suis sciendi instrumentis in alijs scientijs, sed aliæ scientiæ illis vtuntur, & consequenter Logica solum est vtens passiuè, & non actiuè in alijs scientijs.

322 Resp. quod est dispar ratio de Logica, & de alijs artibus instrumentarijs; nam Logica non ideò dicitur instrumentaria, quia faciat aliquod instrumentum in propria materia, quod inseruiat ad acquirendā scientiam conclusionum aliarum scientiarum, sed quia prescribit regulas, quo modo ad modum instrumentorum sciendi ordinari debet materia

materia aliarum scientiarum. Vndè cum Philosophus naturalis, v g. suã materiam disponit ad modũ instrumentorum sciendi, .s. definitionis, &c. tunc verè vtitur pręceptis Logicæ, sed hoc facit, vt diximus, non vt Philosophus naturalis est, sed vt Logicus: at verò aliæ artes ideò instrumentariæ dicuntur; quia in propria materia faciunt aliquod instrumentum, quod semel factum plurimùm aliquas alias artes iuuat ad suos effectus artificiosos edendos, & ideò vsum illius ars instrumentaria alijs artibus committit, cũ illa circa materiam illarum nihil agere possit, quod est esse instrumentariam longè diuerso modo à Logica.

323 Argumenta Complutensiũ, quæ contra traditam doctrinam militant, vide soluta apud Mastrium quæst. procœmial. art. 1. Sed illas solutiones iuxta dicta, & dicenda in hac quæstione modifica.

Vt autem titulo quæstionis satisfaciamus, his pręmissis. Sit conclusio: Logicæ docentis, & vtentis, est vnus, & idem habitus realiter, sed his non obstantibus, intellectus cum fundamento in re duos facit.

Prima pars conclusionis sic probatur: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponẽdi duos habitus in Logica, ergo logicæ docentis, & vtentis est vnus, & idem habitus realiter. Maior patet, quia frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; ergo non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Minor verò argumenti, in qua est difficultas, sic probatur: Nouus habitus, seù noua facilitas ponitur ad vincendam nouam difficultatem; sed postquam intellectus acquisiuit habitũ Logicæ docentis, nõ habet aliquam difficultatem circa vsum præceptorũ eius, ergo non indiget nouo habitu, seu noua facilitate: Minor patet, quia si intellectus postquam acquisiuit habitum Logicæ docentis, haberet aliquam difficultatem circa vsum præceptorum eius, vel talis difficultas esset ad vtendum illis in propria, vel in alienis materijs; sed neutro modo; ergo postquàm intellectus acquisiuit habitum Logicæ docentis, non habet aliquam difficultatem circa vsum præceptorum eius. Minor quoad primã partem patet, quia aliàs intellectus habẽs habitum Logicæ docentis, nullum actum illius sine habitu vtentis exercere valeret, cùm logica docens suas regulas per demõstrationem tradat; & ideò tradendo vnam regulam, pluribus alijs vtitur; quod patet esse falsum; ergo vsus logicæ ab eodem habitu prouenit, à quo doctrina, & consequenter Logicus in propria materia nullam habet difficultatem circà vsum præceptorum logicæ.

324 Deindè eadem minor, quoad secundam partem etiam est manifesta; quia ideò Logicus potest præceptis logicæ vti sine alio habitu, pręter logicæ docentis in propria materia, quia ipsa logica illam habet benè ab illo exploratam, ergo ipse habitus sufficit physico, v. g. ad hoc vt faciat demonstrationes in materia physica, quia difficultates omnes, quæ ei se offerre possunt, ab huiusmodi habitu, & ab habitu physicæ sufficienter tolluntur.

Secunda pars eiusdem conclusionis

nis sic probatur. Illa distinguuntur distinctione rationis ratiocinatę, seù ab intellectu cum fundamēto in re, quæ à parte rei sunt idem, ab intellectu verò duplici conceptu concipiuntur, quorum quilibet diuersam rationem eiusdem rei significat, sed habitus logicæ docentis, & vtentis extrà considerationem intellectus est vna, & eadem res, & intellectus format diuersos conceptus de ea, quorum quilibet diuersam rationē eiusdem rei significat; ergo logicæ docentis,& vtentis sunt duo habitus distincti ratione ratiocinata. Minor quoad primam partē patet ex probatione primæ partis nostræ cōclusionis: secunda etiam per se est manifesta, quia conceptus logicæ docentis est signum habitus logicæ, prout tradit præcepta definiēdi, &c. per demonstrationem: conceptus verò formalis logicæ vtentis significat ipsum habitum logicæ,prout reuocat in vsum præcepta à docente tradita, siuè in propria,siuè in materia aliarum scientiarum.

325 Primum argumentum. Musicus, Scriptor, Chyrurgus, & plurimi alij artifices acquisito habitu doctrinæ, musicæ, scriptoriæ, & chyrurgiæ, & plurimarum aliarum artium, adhuc habent difficultatē circa vsum illius, & ideò in illis ad talē difficultatem vincendā ponitur alia facilitas realiter à prima distincta; ergo similiter in logica.

Resp. negando consequentiam. Ratio disparitatis est,quod illę artes, quæ ad talem difficultatem vincendam petunt alium habitum realiter ab habitu doctrinę distinctum,exercentur per aliquod membrum externum,& ideò illam duplicem facilitatem petunt; vnam in intellectu, in quo sunt tanquàm in subiecto,& aliā in membro exteriori, per quod exercentur: at verò logica cum nō exerceatur per membrum externū, sed per solum intellectum, ideò nō petit nisi vnam facilitatem in intellectu. Quod esse verum, patet; quia ideò Angeli non habent aliquē habitum practicū ad facienda opera artificiosa realiter distinctum à speculatiuo,quo iudicant de quidditate artificiatorum,quia illa,si vellent facere, non facerent per aliquod externum; ergo ideò Scriptor duas facilitates habet;quia sua doctrina per membrum externum vtitur,& consequenter, cum Logicus suam doctrinam in vsum reuocet per intellectum, solam vnam facilitatem in ipso habet.

326 Secundum argumentum, ꝙ est vnum ex fundamētis Mastrij hic defendentis, habitus logicæ docētis,& vtētis realiter distingui: Actus logicæ vtentis multiplicati generāt aliquem habitum,nō logicæ docentis; quia non sunt scientifici; ergo alium distinctum realiter ab illo.

Resp. quod, cum actus logicæ vtentis nō possint aliquam difficultatem remouere ab intellectu habente habitum logicæ docentis, cū ibi nulla sit,ideò neque nouam facilitatē sibi petere; sed sicut secundariò logica dicitur vtens; quia vsus suorum præceptorum ab ipsa causatur secundariò,ita actus vtentis secundariò illam perficiunt.

Sed instabis: actus logicæ vtentis sunt artificiales,sed actus artificiales non possunt perficere scientiā;ergo cum

cũ habitus logicæ docentis sit scientia, nõ potest perfici ab actib⁹ vtẽtis.

Resp. quod actus Logicæ vtentis non perficiunt Logicam prout docens est, sed prout vtens est, quia prout sic est ars, vt infra videbimus.

327 Dices contra: Ars, & scientia sunt differentiæ diuidentes habitum; sed duæ differentiæ diuidentes aliquod genus nequeunt simul eidẽ rei conuenire; ergo vel Logica docens non est scientia, & vtens ars, vel sunt duo habitus realiter distincti.

Resp. primò distinguendo maiorem: Scientia, & ars propriè dicta sunt differẽtiæ habitum diuidentes, concedo: scientia, & ars secundùm quid, & per quamdam similitudinẽ sic dicta, nego: Logica enim impropriè, secundùm quid, & per quamdam similitudinem dicitur ars. Quæ similitudo in hoc consistit; quod sicut ars propriè dicta est principium operum externorum, cum per hoc à prudentia distinguatur, quæ est principium actionum immanentiũ; ita Logica, prout vtens est, est principium syllogismorum, &c. qui cũ non exerceantur illis membris corporis, non sunt opera externa.

328 Resp. secundò: quod scientia, & ars non sunt differentiæ habitus, sed sunt veluti superius, & inferius, non secùs ac sapientia, & scientia; & sicut rationes sapientię, & sciẽtiæ eidem habitui cõueniunt, s. metaphysicæ, quæ ab Arist. 1. metaph. cap. 1. sapientia vocatur, & sexto c. 1. scientia; ita nullum est incõueniens, quòd idem habitus Logicę sit simul ars, & scientia. Circa quod videri potest Ortiz. in Logica tract. 1. conferentia 3. conclus. 3.

329 Vltimũ argumentum: quod est vnum ex fundamentis nostri Lalemandet hìc disp. 3. partit. 2. qui eãdem defendit sententiam cum Mastrio: Si habitus Logicæ docentis, & vtentis realiter essent idem, cum primus sit scientia, & non ars, secundus ars, & non scientia, idem habitus esset scientia, & non esset scientia, & esset ars, & non esset ars; sed si hoc esset, duæ cõtradictorię essent simul veræ, quod est impossibile; ergo impossibile est, quod habitus Logicæ docentis, & vtentis sint idẽ realiter.

Resp. quod istæ non sunt contradictoriæ, prout vtraque est vera, Logica est scientia, Logica nõ est scientia, quia licet prædicatum illorum in vtraque prædicet de eodem, non tamen secundùm eandem rationem, quod requirebatur, vt essent contradictoriæ, iuxta dicta in introductione, nã cũ dicimus, Logica est scientia, sumimus ipsam sub formalitate docentis; quando verò dicimus, Logica non est scientia, non accipimus ipsam sub formalitate docentis, sed sub formalitate vtentis. Nec contra nostram solutionem facit instantia, quam contra solutionem Masij ipse adducit; quia omnia, quæ in ea reperiuntur, ex solutionibus pręteriti argumenti facilè quis soluere potest. Sed circa hanc solutionem vide disput. 3. quæst. 5. ad primum.

QVÆSTIO V.
An Logica sit scientia.

330 CVm nemini lateat, Logicã esse habitum intellectus, ideò præsens quæstio quærit, quanã ex illis sit, an sciẽtia, vel aliquis alius. Pro quo sciendum est, quod scientia est

est habitus certus,& euidens,per demonstrationem acquisitus. In qua definitione scientia per habitum cũ alijs habitibus intellectus conuenit, à quibus per alias particulas differt, nam per ly,certus,differt ab opinione, quæ est habitus incertus; & per ly, euidens, à fide, quæ est habitus ineuidens. Tandem per ly, per demonstrationem acquisitus, differt ab arte,& ab habitu primorum principiorum,&c.

Deinde ars est habitus, quo inclinamur ad facienda aliqua opera; vndè si opus, quod per artem facimus est externũ, talis ars dicitur mechanica: si autẽ internũ,seù intellectus, liberalis appellatur. Hoc notato.

331 Sit conclusio: Logica docẽs est scientia quoad omnes suas partes. Probatur: Logica demonstratiuè procedit ad probandas suas cõclusiones, non solum in parte analytica, sed etiam in parte topica, & sophistica, ergo est scientia, quoad omnes suas partes. Probatur antecedens,quoad primam partem;nam in parte analytica sic has conclusiones probat:omne quod est in multis potest prædicare de multis;sed natura vniuersa est in multis,ergo potest prædicare de multis. Deinde omnis syllogismus constans ex præmissis veris,immediatis,&c. generat scientiam; sed demonstratio est huiusmodi, ergo demonstratio generat scientiam,&c. ergo Logica procedit demonstratiuè ad probandas cõclusiones in parte analytica.

332 Deindè secunda pars antecedentis argumenti probatur: Nam in parte topica sic has conclusiones Logica probat: omnis syllogismus constans ex *propositionibus* probabilibus generat *opinionem*, sed syllogismus cuius *medium* est aliquod testimonium humanum, est huiusmodi, ergo generat opinionem, & alias similes. Quod idem in parte sophistica facit, dum sic ait: syllogismus cõstans ex apparentibus generat errorẽ, sed syllogismus, cuius medium est terminus æquiuocus, est huiusmodi, ergo generat errorẽ, & alias similes; ergo Logica non solùm in parte analytica, sed etiam in topica,& sophistica procedit demõstratiuè ad suas conclusiones probandas.

Primum argumentum ex Zabarella lib. 1. de natura Logicæ cap. 3. qui defendit Logicam docentem nullo modo esse scientiam: Scientia est de obiecto necessario,& æterno, vt ex Arist. 1. poster cap.2. habetur; sed obiectum Logicæ nõ est necessarium, & ęternum; ergo Logica nullo modo est scientia. Minor patet, quia obiectũ Logicæ sunt quædam secundæ intentiones, quæ habent esse merè contingenter; siquidem tamdiù sunt,quamdiù ab intellectu considerantur.

333 Resp. ad maiorem: Quod in obiecto scientiarum non requiritur necessitas incomplexa, nec de tali necessitate loquitur Aristot. quia aliàs nulla cognitio de rebus creatis posset habere rationem scientiæ;cũ omnes sint corruptibiles;sed sufficit necessitas complexa, idest, necessitas connexionis pr̨edicatorum essẽtialium illius, & proprietatum, quæ in tali scientia de illo demonstrantur cum eo. Quæ necessitas etiam in illis secundis intentionibus Logicalibus,

libus, quæ sunt per se obiectum Logicæ, reperitur; nam de ipsis Logicus quamplures propositiones æternæ veritatis format, vt quòd definitio sit oratio: prædicatum terminus: genus vniuersale: & demonstratio generet scientiam &c.

Secundum argumentum. Scientia est omninò propter se; sed Logica est propter alias scientias; ergo Logica non est scientia.

334 Resp. quod scientia instrumentaria non est necesse, quod sit omnino propter se, sed sufficit, vt primariò sit propter se, licet secundariò sit propter illas, quibus inseruit. Logica enim primariò est propter se, seu ab intellectu primariò propter se acquiritur, cum ei tradat cognitionem plurimarum veritatũ; quod est maximum bonum, & perfectio intellectus; licèt cũ hoc stet, quod intellectus secundariò illam acquirat propter alias scientias, cum doceat cõponere definitiones, &c. quæ sunt instrumenta necessaria ad acquirendas alias scientias, & ideò dicitur instrumentaria; nam si per impossibile non darentur aliæ scientiæ, adhuc Logica acquireretur ab intellectu.

Tertium argumentum: obiectũ scientiæ non debet fieri à nobis, sed à natura: sed obiectum Logicæ fit à nobis, & non à natura: ergo Logica non est scientia. Maior patet ex Arist. 7. metaph. cap. 1. vbi docet, quod ars est habitus, qui versatur in his, quæ fiunt à nobis, vel quorum principium est in nobis; scientia verò in his, quæ fiũt à natura, vel in his, quorum principium est in ipsis reb⁹.

335 Respondetur negando minorem; nam Logica nõ agit de hac, vel illa definitione, diuisione, aut argumentatione, &c. sed de illis in cõmuni; & de illis per sua principia veras proprietates demonstrat: & sicut res naturales ideò possunt sciri, non quia naturales, sed quia possunt intelligi per veram, & legitimam causam; cum scire sit rem per causam intelligere, docente Arist. 1. de demonstrat. cap. 2. ita res Logicæ possunt per Logicam sciri; quia habent veram, & legitimam causam; nam legitima, & vera causa cur vniuersale de multis sit prædicabile, est quia vniuersale est, &c.

Vltimum argumentum probans, quod Logica quoad omnes suas partes non sit scientia: Logica in parte topica agit de probabilibus, & in sophistica de apparentibus; sed probabilia, & apparentia non causant scientiam, ergo Logica, quoad partem topicam, & sophisticam, nõ est scientia. Minor patet; quia probabilia opinionem, & apparentia errorem causant, ergo non scientiam.

Resp. quod Logica agit de probabilibus, & apparentibus non per media probabilia, & apparentia, sed per media necessaria: probabilia n. generant opinionem, & apparentia errorem, quãdo vt media ad aliquid probandam assumuntur; quod nullo modo Logica, prout docens, in aliqua sua parte facit.

336 Secunda conclusio. Logica vniuocè cõuenit cum alijs scientijs in ratione scientiæ. Hæc conclusio ponitur contra nostrum Lalemand. hic disp. 3. partit. 3. Probatur: obiectum Logicæ vniuocè conuenit cũ alijs obiectis aliarum scientiarum in ratio-

ratione ſcibilis; ergo & Logica vniuocè conuenit cum alijs ſcientijs in ratione ſcientiæ. Probatur antecedens: Si propter aliquam rationem obiectum Logicæ non conueniret vniuocè cum alijs obiectis aliarum ſcientiarum in ratione ſcibilis, eſſet, vt ipſe vult; quia nō cōuenit vniuocè cum alijs in ratione entis; ſed hęc ratio eſt nulla; ergo obiectum Logicæ vniuocè conuenit cum alijs obiectis aliarum ſcientiarum in ratione ſcibilis. Probatur minor; obiectum Arithmeticæ non conuenit vniuocè cum obiecto Philoſophiæ naturalis in ratione entis, ſed his nō obſtantibus conueniunt vniuocè in ratione ſcibilis, ergo quamuis obiectum Logicæ nō conueniat vniuocè cum obiectis aliarum ſcientiarū in ratione entis, poteſt tamen cum illis ſic conuenire in ratione ſcibilis. Probatur maior: Eodem modo ſe habet ens ad reale, & rationis, quo modo ſe habet ad ſubſtantiam, & accidens; ſed ad ens reale, & rationis ſe habet analogicè, ergo analogicè quoque ad ſubſtantiam, & accidens ſe habet, & conſequenter obiectum Arithmeticæ, & Philoſophiæ naturalis in ratione entis analogicè conueniunt; cum illud ſit accidens, & iſtud ſubſtantia. Maior, & minor huius vltimæ probationis conſtabūt ex dicendis diſput. 5.

337 Probatur tandem: Logica vniuocè cōuenit cum alijs ſcientijs in ratione qualitatis, & habitus, ergo & in ratione ſcientiæ. Antecedens à nullo negatum vidi. Conſequentia probatur; quia, ſi propter aliquā rationem Logica non eſſet vera ſcientia, ideò eſſet, quia eius obiectū non eſt verum ens, & quod non eſt verum ens, non poteſt concurrere ad productionem veri entis, quale eſt vera ſcientia; ſed quamuis Logica eſſet ſcientia tantùm ſecundùm quid, cum ſit vera qualitas, & verus habitus, eſſet quoque verum ens, ergo quamuis eius obiectum non ſit ens reale, eſt tamen ipſa vera ſciētia.

Confirmatur: cognitio entis rationis vniuocè conuenit in ratione cognitionis cum cognitione entis realis, ergo & ſcientia entis rationis cum ſcientia entis realis.

338 Dices cum eodem Lalem. ibidem: ex eo, quod obiectum Logicæ eſt ens rationis, Logica dicitur ſcientia rationis; ergo pari modo cū eius obiectum ſit ens ſecundū quid, Logica debet dici ſcientia ſecundū quid: maximè cum obiectum ſit menſura ſcientiæ, & talis ſit res mēſurata, qualis eſt menſura.

Reſp. quòd licèt concedamus, quòd ex hoc, quod obiectum Logicæ eſt ens rationis, ipſa Logica dicitur ſcientia rationis, ſeù ſcientia agens de ente rationis, nō tamen eſt ſcientia rationis, ſeù ſcientia, quod tantùm habet eſſe obiectum in intellectu, vel ſubiectiuè in aliqua re, prout certo modo ab intellectu cognoſcitur, vt ſuum obiectum, cum ſit vera qualitas, & verus habitus: & ex eo, quod agit de ente ſecundùm quid, dicatur ſcientia ſecundū quid, ſeù ſcientia agens de ente ſecundū quid, non tamen propter hoc eſt dicendum, quod ſit ſcientia ſecundū quid abſolutè, quia ſcientia menſuratur ab obiecto non in eſſe entis, ſed in eſſe ſcibilis: obiectum autem Logicę licèt ſit ens ſecundùm quid,

eſt

est tamen simpliciter scibile.

339 Reliqua argumenta illius, & instantiam eorum ex hac solutione, & ex prima probatione nostræ conclusionis facilè quis soluere potest, v. g. illud, quod ex Arist. adducit, .s. quod diuisio scientiarũ sequitur diuisionem rerum, intellige, non vt res sunt, sed vt scibiles sunt; nã aliàs tot essent scientiæ specie diuersæ, quot res specie diuersæ. Alia verò loca Aristotel. vide optimè explicata à Complut. Masio, Sanchez, Io. de S. Thom hìc.

Vltima conclusio: Logica vtens, prout vtens est, est ars liberalis. Probatur: ille habitus est ars liberalis, à quo inclinamur ad facienda aliqua opera interna; sed hoc habet habitus Logicæ, prout vtens est, ergo Logica vtens, prout vtens est, est ars liberalis. Minor patet, quia per habitum Logicæ, quatenus vtens est, nihil aliud facimus, quàm construere syllogismos, definitiones, &c. quæ sunt opera intellectus.

340 Contra hanc conclusionem dices; habitus Logicæ vtentis acquiritur per demonstrationẽ, ergo Logica vtens, prout vtens est, est scientia. Consequentia ex se patet, antecedens verò probatur; quia Logica vtens acquiritur in eodem instanti, in quo acquiritur docens, cum realiter sint idem; sed docens acquiritur per demonstrationem, cum sit scientia; ergo vtens quoque per demonstrationem acquiritur.

Resp. distinguendo antecedens: habitus Logicæ vtentis acquiritur per demonstrationem secundariò, concedo; primariò, nego; nam demonstratio primariò terminatur ad Logicam, quatenus docens est; secundariò verò ad ipsam, quatenus vtens est. Adhoc autem, vt Logica vtens esset scientia, deberet primariò, & non secundariò, per demonstrationem acquiri: sicut, v. g. quãuis alteratio sit motus ad qualitatẽ, non benè infertur, similitudo acquiritur per alterationẽ, ergo similitudo est qualitas, quia similitudo nõ primariò, sed secundariò per alterationem acquiritur.

341 Contra vtramque cõclusionem dices: Scientia, & ars non possunt habere eundem obiectum, sed Logica, tàm prout docens, quàm prout vtens, habet idem obiectum; ergo, vel prout docens, nõ est scientia, quod est contra primam conclusionem, vel prout vtens, non est ars, quod est contra tertiam.

Resp. ad minorem: quod obiecta Logicæ docentis, & vtentis eodem modo distinguuntur, & identificatur, ac ipsi habitus, quorum sunt obiecta, & ideò cum habitus illi realiter identificẽtur, & formaliter, seù penès rationes illius, quæ ab intellectu, vt distinctæ concipiuntur, distinguantur, ita & obiecta ipsorum habituum realiter identificantur, formaliter verò, seù penès rationes illius, quę ab intellectu vt diuersæ cõcipiuntur, distinguuntur ab ipso; nã modus sciẽdi latè sumptus est obiectum Logicæ docentis, prout resolutiuo modo à Logica cõsideratur, prout verò compositiuo modo ipsa Logica ad illũ fertur, est obiectum vtentis.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Vtrum Logica sit practica, vel speculatiua.

142 Notandum est pro intelligẽtia huius quæstionis; quod sicut speculatio nihil aliud est, quã quædam actio, per quã aliquid contemplatur, vt aliqua veritas eiusdem cognoscatur: ita praxis nihil aliud est, quàm quædam actio, per quam aliqua ordinantur, vt ex tali ordinatione aliquod opus ex illis fiat, & ideò, sicut ille habitus dicitur speculatiuus, cuius actus sunt speculationes, ita ille dicitur practicus, cuius actus sunt praxis; & sicut intellectus dicitur speculatiuus, prout est principium speculationum, ita dicitur practicus, prout est principium praxis; & tandem sicut nullus habitus, aut intellectus vocantur speculationes, ita nullus habitus, aut intellect⁹ vocatur praxis. Quo notato.

Sit prima conclusio. Logica docens est scientia simpliciter speculatiua, & nullo modo practica. Probatur cõclusio, quoad primam partem: omnes actus Logicæ docentis sunt speculationes; sed illa scientia simpliciter est speculatiua, cuius omnes actus sunt speculationes; ergo Logica docens est simpliciter speculatiua. Maior patet, quia illi actus sunt speculationes, qui non ordinant aliqua, vt ex tali ordinatione aliquod opus fiat, sed solùm sunt cognitiones rerum, & veritatum illarum acquisitiones; sed sic se habẽt omnes actus Logicę docentis; ergo omnes actus Logicæ docentis sunt speculationes. Probatur minor: Isti sunt actus Logicæ docentis: definitio est oratio explicãs essentiam rei; & ideò debet ex genere, & differentia constare: argumentatio est oratio, in qua vnum ex alio infertur; & ideò debet constare ex antecedenti, & consequenti, &c., sed huiusmodi actus sunt cognitiones veritatum; ergo omnes actus Logicæ docentis sunt cognitiones veritatum.

143 Contra hanc partem cõclusionis dices: Sicut cognitio, per quã artifex cognoscit, ligna, vel lapides hoc modo esse collocãda, vt domus construatur, est practica: & ita cognitio, per quam Logicus cognoscit, terminos, & præmissas tali, vel tali modo esse disponendas, vt ex ipsis syllogismus construatur; ergo actus Logicę docentis sunt practici, & consequenter & ipsa Logica.

Resp. quod est dispar ratio de domificatoria, & de Logica; nam actus domificatoriæ intrinsecè respiciunt opus; actus verò Logicæ docentis cognitionem veritatis sui obiecti.

Contra solutionem dices; ideò Logica docet modum conficiendi syllogismum, &c. vt illum in alijs scientijs faciamus, ergo actus Logicæ docentis, nõ minus ac domificatoriæ intrinsecè respiciunt opus. Antecedens patet; quia ideò Logica fuit inuenta, & ediscitur, vt possimus syllogismos, &c. in alijs scientijs construere; ergo ipsa docet modum faciendi syllogismum, &c. vt ipsum in alijs scientijs faciamus.

144 Resp. negando antecedens; nam licèt Logica doceat modũ faciendi syllogismũ, &c. vt secundariò ipsũ faciamus; non autem vt primariò; quia primariò ad hoc est inuẽta, vt per ipsã veritates sui obiecti cognoscamus, & ad hoc primariò ediscitur,

scitur, ex quo tamen non sequitur, quod eius actus sint practici, quia actus practici intrinsecè, & primariò opus respiciunt.

Contra eandem partem conclusionis dices secundò: Quotiescunque aliquis actus est constructio alicuius operis, non est speculatiuus, sed omnis actus Logicæ docētis est constructio alicuius demonstrationis, ergo nullus actus Logicæ docētis est speculatiuus, & per consequēs ipsa Logica non erit speculatiua. Probatur minor: Logica docet omnes suas conclusiones per demonstrationē, vt diximus pręterita quæstione; ergo omnis suus actus est cōstructio demonstrationis.

345 Resp. quod si hæc ratio aliquid probaret, vtiq; probaret, quod nulla esset scientia speculatiua; nam omnis scientia omnes suas conclusiones per demonstrationem tradit. Constructio enim demonstrationis non est actus Logicæ docentis, sed vtentis, quæ est ars, & practica, vt infra dicemus: Ad demonstrationem verò, per quam Logica suas cōclusiones probat, vtraque Logica concurrit, docens .s. & vtens; non secus quàm in demonstrationibus aliarū scientiarum concurrunt habitus illarum, & Logicæ vtentis.

Dices tandem ex Arist. 1. metaph. cap. 2 quælibet scientia speculatiua est nobilior practicis, sed Logica est ignobilior alijs scientijs; cum nobilitas scientiarum ex obiecto petatur, & obiectū illius sit alijs ignobilius, ergo Logica nullo modo est speculatiua.

346 Resp. quod Arist. solùm vult, quòd scientiæ speculatiuæ sint nobiliores practicis secundùm quid, ex modo .s. procedendi circa suum obiectum, quod verè conuenit Logicæ, quamuis simpliciter sit ignobilior plurimis alijs.

Secūdò responderi potest ex doctrina Petri de Aragonia in 2. 2. D. Thom. quæst. 3. in articulo 4. quod nobilitas obiecti facit ad perfectionem habitus, quatenus respicit habentem; habenti .n. habitum melius est circa nobilius obiectum versari, quam circa ignobilius; cum hoc tamen stat, quòd habitus secundùm se ex alia parte possit esse nobilior; & sic quælibet scientia speculatiua est nobilior practicis, quamuis obiectū illius sit ignobilius obiectis istarum: quia maiorem perfectionem in se exigit, .s. maiorem certitudinē; nobilitas autem habitus secundùm se attenditur penes perfectionem, quam ipse simpliciter exigit, & non per ordinem ad obiectum. Eligite quam malueritis.

347 Secunda pars conclusionis, .s. quod logica, prout docens est, nullo modo sit practica, sic probatur: Si logica, prout docens est, esset practica, cùm sit probatum conclusione præterita, prout sic, esse speculatiuam, esset simul practica, & speculatiua; sed repugnat, quod vna scientia sit simul practica, & speculatiua, ergo repugnat, quod logica docens sit practica. Minor probatur; quia practicum, & speculatiuū sunt differentiæ essentialiter diuidētes habitum scientificum, vt optimè ex Aristot. & ex D. Tho. probat Io. de S. Th. quæst. 1. art. 4. 2. part. log. Sed duæ differentiæ essentiales immediatè diuidentes aliquod genus non

non possunt eidem rei secundùm eandem rationem conuenire, ergo repugnat, quod logica, prout docēs est, sit simul practica, & speculatiua.

Contra probationem huius conclusionis dices primò: Theologia est vna scientia, sed est simul practica, & speculatiua, vt D.Thom. probat par. p. quæst. 1. art. 4. ergo non repugnat, quod logica docens, ex eo, quod est vna scientia, sit simul practica, & speculatiua.

348 Resp. verum esse, Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam; attamen hoc habet eminēter, cum sit superioris ordinis, vtpotè cognitio quædam participatiua scientiæ diuinæ; at verò logicæ hoc conuenire nullatenus potest, cum sit inferioris ordinis.

Contra solutionem dices: logica ab Arist. vocatur scientia vniuersalis, ergo licet non sit superioris ordinis, vt Theologia, poterit tamen esse simul practica, & speculatiua, propter suam vniuersalitatem.

Resp. quod ideò Arist. vocauit logicam vniuersalem; quia suum obiectum potest dici de omnibus rebus, cum omnes possint esse subiectum alicuius entis rationis Logici, & ideò cum eius obiectum sit imperfectissimum omniū obiectorum aliarum scientiarū, quod Theologiæ attribuimus, ob maximam perfectionem sui obiecti, logicæ concedere nō debemus, & maximè cum ab eodem Arist. ibid. metaphysica etiam scientia vniuersalis dicitur, quæ licèt sit perfectior logica, non tamen ob suam vniuersalitatē est simul practica, & speculatiua.

349 Sed instabis, quia logica est vniuersalis, est simpliciter necessaria ad omnes scientias acquirendas tàm practicas, quàm speculatiuas; sed nō potest esse necessaria ad practicas, nisi sit practica; neque ad speculatiuas, nisi sit speculatiua; ergo quia est vniuersalis, est simul practica, & speculatiua, licèt aliàs suum obiectum sit alijs imperfectius.

Resp. Quod non ideò logica est simpliciter necessaria ad oēs alias scientias acquirendas, quia est vniuersalis, cùm metaphysica etiam sit vniuersalis, quæ tamen non est ita ad hoc necessaria: sed quia sola docet modum faciendi demonstrationem, per quam omnis scientia habetur: & quamuis sit necessaria ad practicas, & speculatiuas, non propter hoc ipsa debet esse practica, vel speculatiua, cum non sit necessaria ad illas, qua ratione practicæ, & speculatiuæ sunt, sed qua ratione scientiæ sunt.

350 Contra eandem probationē secundæ partis nostræ conclusionis, dices secundò; Licèt practicum, & speculatiuum sint differentiæ essentiales scientiæ, & si adæquatè sumātur; non possint eidem scientiæ conuenire; tamen si inadæquatè sumantur, benè possunt eidē habitui scientifico conuenire; ergo cum in logica inadæquatè illæ duæ rationes reperiantur, non repugnat, quod ipsa sit simul practica, & speculatiua.

Resp. Quod non minus implicat, quòd duæ differentiæ essentiales alicuius generis adæquatè reperiantur in eadem re secundùm eandem rationem, quàm inadæquatè: nam eodē modo repugnat, dari aliquod animal, quod sit rationale, & irrationale

nale adæquatè, quàm quod sit partim rationale, & partim irrationale, seù rationale, & irrationale inadæquatè; & ideò non minus repugnat, quod Logica sit simul practica, & speculatiua adæquatè, quàm inadæquatè. Videri potest de hac re pulchra cōfirmatio apud Complut. hìc num. 64.

351 Vltima conclusio Logica, prout vtens est, est practica. Hæc cōclusio maximè patet, ex eo, quod Logica vtens est ars, vt diximus quęstione præterita; sed nulla ars prout sic, est speculatiua, sed practica; ergo Logica prout vtens est, est practica. Minor patet; quia nulla actio artis est speculatio, sed omnes sunt praxis.

Contra hanc cōclusionem dices; Si Logica vtens esset practica, cùm Logica docens sit speculatiua, & realiter sint idem habitus, idem habitus esset simul practicus, & speculatiuus; sed idem habitus nō potest esse simul practicus, & speculatiuus; ergo Logica, prout vtens est, non potest esse practica.

352 Resp. distinguendo minorē repugnat, quòd idē habitus sit practicus, & speculatiuus simul; si est idem re, & ratione, concedo; si autē est vnus tātùm realiter, & multiplex formaliter, nego; Logica enim docēs, & vtens tantùm realiter est vnus habitus: nam formaliter sunt duo, quorum vnus .s. Logicæ docentis est simpliciter speculatiuus, alius verò .s. vtētis est simpliciter practicus.

Ex dictis primò colligitur; quod optima est definitio Logicæ artificialis in prima quæstione tradita: si Logica consideratur secundùm id, quod primariò importat .s. prout docens est, .s. quod sit scientia speculatiua modi sciendi latè sumpti.

Secundò colligitur, quod aliqui actus intellectus ex se sunt praxis, quia per aliquos actus intellectus aliqua ordinamus, ex cuius ordinatione resultat aliquod opus: cuius generis sunt omnes actus, quos producit intellectus ex inclinatione Logicæ vtentis: quod dictū est contra Scotum, & Scotistas; sed videte definitiones praxis ab eodem traditas, optimè reiectas à Io. Sanchez quæst. 15. procemial. vbi non solùm sentit id, quod nos dicimus, sed ex mente D. Tho. probat, & argumenta, quæ à modernis adducuntur ad contrarium probandum perdoctè soluit. Diffusè hanc tractarem quęstionē, vt multi recentiores faciunt, nisi viderem non spectare ad hunc locū, & esse ferè de nomine, vt notat etiā Arriaga disput. 1. Log. sect. 4. vbi his non obstantibus nostram tenet sententiam, & illam optimè probat.

353 Pro complemēto huius quęstionis est notandum, quod Aquarius in dilucidationib. in metaph. in prim. dilucid. 11. licèt concedat. Logicam docentem esse veram scientiam, negat tamen eam esse practicam, vel speculatiuam præcisè: ait enim, non esse practicam; quia non est de obiecto operabili: nam ipsa non operatur suum obiectum, sicut ars fabrilis. Deindè ait, nō esse speculatiuam: quia non est de obiecto non operabili, sicut Physica, & Metaphysica: cum eius obiectum sit ens rationis, quod non fit ab intellectu; sed consequitur ipsam rem obiectā intellectui. Vnde ens rationis

nis nec actu est in rerum natura, nec fit ab intellectu; & ideò non potest dici nec speculatiua præcisè, nec practica præcisè; sed dicitur neutra, sicut sensus communis non est nec visus, nec aliquis alius sẽsus exterior præcisè, sed alterius ordinis ab illis.

354 Ad quod dictum, quantum in hoc, quod contradicit nostræ doctrinæ à nobis traditæ, facilè est respondere, dicendo: quod licet ens rationis Logicum resultet in rebus, prout certo modo cognitis; hoc tamen non tollit, quin intellectus vnà cum habitu Logicæ nõ valeat naturam, & proprietates eius speculari, vt de facto facit, & hoc sufficit, vt Logica docens sit verè speculatiua; quia aliæ scientiæ nõ propter aliam rationem sunt speculatiuæ. Exemplum autem de sensu communi nõ est ad rem, cùm nulla paritas inter extrema ab ipso explicetur, neque ab aliquo ostendi potest, cũ nulla sit.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum Logica sit vna scientia.

355 HAEC quæstio proponitur, vt ostendatur, quonam modo obiecto adæquato Logicæ conueniat tertia cõditio necessaria obiecto Logicæ à nobis assignata quæst. 3. .s. quod sit id, per quod Logica ab alijs scientijs differat; & etiã vt ostendatur, quo modo obiectum adæquatum Logicæ sit vnum in esse scibilis. Pro quo

Notandum est primò, quod illud dicitur vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio extra se; v. g. tunc lignum dicitur vnum, quando nõ est in partes scissum, sed est continuum; attamen est diuisum ab alijs omnibus; vnde vnitas est indiuisio in se, & diuisio à quolibet alio extra se.

Secundò notãdum est, quod vnitas est triplex .s. numerica, specifica, & generica. Vnitas numerica est illa, secundùm quam quælibet res singularis est vna, v. g. Petrus dicitur esse vnus numero, seù habere vnitatem numericam; quia est quid singulare in se indiuisum, & ab alijs omninò diuisum. Vnitas specifica est illa, secundùm quam plura singularia habent vnicam definitionẽ proximam; v. g. Petrus, & Paulus dicuntur vnius esse naturæ, seù habere vnitatem specificam, quia vnicam participãt definitionem proximam. Vnitas generica est illa, secundùm quam plura singularia habentia diuersas definitiones proximas conueniunt, seù habent vnam definitionem superiorem, seù remotam, v. g. Petrus, & Bucephalus, qui licèt habeant diuersas definitiones proximas, seù differant specie; tamen quia ex æquo participant vnã definitionem superioris, .s. animalis, ideò sunt vnius naturæ genericæ, seù habent vnitatem genericam.

356 Ex quibus vnitatibus numerica est maior alijs; quia minus illis habet diuisionis, cùm nihil habeat: deinde specifica est maior generica; quia minus diuisionis illa habet.

Præsens quæstio non procedit de vnitate numerica, idest, an solum sit vna Logica numero, cum certũ sit, tot esse Logicas numero, quot sunt intellectus illam scientes, cum naturaliter saltem duo accidentia solo numero distincta in eadem parte subiecti esse non possint; & ideò cum subie-

subiectum Logicæ, & aliarũ scientiarum sit intellectus, consequens est, vt tot sit Logicæ numero, quot sunt intellectus illam scientes. Neque præsens quæstio quærit, an Logica sit eiusdem generis cùm aliquo alio habitu; quod inuestigabimus disputatione vltima; sed solùm quęrit, an Logicæ omnes sint eiusdem, vel diuersæ speciei, seù an habitus totalis Logicæ componatur ex aliquibus habitibus partialibus specie diuersis. Pro quo

357 Sciendum est primò, quod obiectum formale cuiuscunque scientiæ dupliciter potest cõsiderari, .s. in esse rei, & in esse scibilis; Tũc consideratur in esse rei, quando cõsideratur, prout est in se; tunc verò in esse scibilis, quando consideratur simul cum illa ratione, secundùm quam de illo scientia tractat, v. g. obiectum formale potentiæ visiuæ in esse rei est color secundùm se cõsideratus, in esse verò visibili est ipse color, prout illuminatur à luce. Obiectum formale in esse rei solet vocari ratio formalis *quæ*: id verò, per quod in esse scibilis constituitur, ratio formalis *sub qua*.

Quæ duę rationes in quocunque obiecto formali cuiuscũque scientiæ sunt necessariò assignandę, vt patet in hac propositione; terra est rotunda, quæ, vt ait D. Th 1. par. q 1. art. 2. pertinet ad Philosophum naturalem, & ad Astrologum; & ideò quamuis hæc propositio sit eadem in esse rei, est tamen diuersa in esse scibilis; cum ad diuersas sciẽtias spectet: & aliquando illa, quæ sunt diuersa in esse entis, sunt eadem in esse scibilis, vt patet in obiecto metaphysicæ, quod plura in esse rei diuersa; & solùm analogicè conuenientia continet; quæ tamen sunt eadem in esse scibilis, cùm eadem scientia de illis agat.

458 Sciendum est secundò, quod scientiæ sumunt suam vnitatem, & distinctionem specificam ab obiectis: quod ex Arist. 1. de anima, tex. 33. constat: vbi habet, quod *habitus, & potentiæ ab obiectis specificantur*, & ideò vt perfectè hanc quęstionem intelligamus, priùs scire debemus, à quo obiecto, & in qua consideratione scientia accipiat suam vnitatem specificam, an scilicet, ab obiecto materiali, vel formali, & si à formali, an in esse rei, vel in esse scibilis consideratum. Pro quo

Sit prima conclusio: Scientiæ nõ accipiunt suam vnitatem, & distinctionem specificam ab obiecto materiali, neque ab obiecto formali in esse rei; sed ab obiecto formali in esse scibilis. Prima pars huius conclusionis ex se est manifesta; quia cũ tale obiectum per se non consideretur à scientijs, ideò eius vnitas, & diuersitas non potest ad vnitatem, & diuersitatem illarum conducere. Deinde eadem conclusio quoad secundam partem, .s. quod scientiæ non accipiant suam vnitatem, & distinctionem specificam ab obiectis formalibus in esse rei consideratis, etiam est manifesta; quia tanta debet esse vnitas specificatiui, quanta specificati, cùm specificatum suam vnitatem à specificatiuo accipiat; sed sępè contingit, vt obiectum formale alicuius scientiæ non habeat vnitatem specificam, cùm tamen scientia, quæ circa illud versatur, illã

habeat; ergo scientiæ non possunt accipere suam vnitatem specificam ab obiectis formalibus in esse rei. Minor patet; quia metaphysica est vna scientia specie; sed eius obiectū formale in esse rei talem vnitatem non habet, vt per se est manifestum; ergo sæpè contingit, vt obiectū formale alicuius scientiæ non habeat vnitatem specificam; cum tamen scientia, quæ circa illud versatur, illam habeat.

359 Ex quibus vltima pars huius conclusionis, .s. quod scientiæ accipiant suam vnitatem specificam ab obiectis formalibus in esse scibilis consideratis, idest à ratione formali *qua*, simul cū ratione formali *sub qua*; euidenter deducitur; nam cum constet ex dictis, quod scientia specificetur ab obiecto, & quod non specificetur ab obiecto materiali, neque ab obiecto formali in esse rei, optimè sequitur, quod specificetur ab obiecto formali in esse scibilis.

Sed quæres, quid est hoc, p quod obiecta formalia scientiarum constituuntur in esse scibilis, seù quænā est illa ratio *sub qua*, per quam constituuntur obiecta scientiarum in esse scibilis.

Resp. quod ratio *sub qua*, obiecta scientiarum sunt principia, per quæ probātur passiones de talibus obiectis in scientijs; quæ si habebunt vnitatem specificam, scientia quoque ex illis suas conclusiones probans, erit vna vnitate specifica.

360 Sed quæres iterùm: quando talia principia sint eiusdem speciei in esse scibilis.

Resp. quod quando vel vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro intra eandem abstractionem à materia (quomodo obiecta scientiarum abstrahant à materia, disput. vltima dicemus.) Cuius ratio est; quia principia, seù media demonstrationis eatenus pertinent ad rationem formalem specificatiuam scientiæ, quatenus gerunt vicem luminis, per quod illuminatur, & cognoscitur conclusio; ergo tunc cōclusiones erunt diuersę in esse scibilis, quando principia, per quæ illuminantur, fuerint in ratione luminis diuersa, seù quando habebunt diuersam vim illuminandi; sed principia, quæ vèl vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro, non habent diuersam vim illuminandi, ergo tūc principia, per quæ proprietates demonstrantur de aliquo subiecto in aliqua scientia, erunt eiusdem speciei in esse scibilis, quando vel vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro intra eandem abstractionem à materia. Minor patet, quia tùnc secunda principia sortiuntur à primis virtutem inferendi, & illuminandi conclusiones, ergo quando vel vnū ex alio deriuatur, vel ambo ex alterutro omnia reducuntur ad vnam primam radicem luminis; ac proindè pertinent ad eandem rationem scibilis.

361 Secunda conclusio. Logica est vna sciētia vnitate specifica. Probatur: Illa scientia est vna vnitate specifica, cuius obiectum formale in esse scibilis est vnum vnitate specifica; sed obiectum formale Logicæ in esse scibilis est vnum vnitate specifica; ergo Logica est vna scientia vnitate specifica. Maior ex præterita cōclusione patet: Minor verò sic

sic probatur: Illud obiectum formale alicuius scientiæ est vnum vnitate specifica in esse scibilis, cuius ratio *sub qua*, est vna tali vnitate; sed ratio *sub qua*, obiecti Logicæ est vna vnitate specifica; ergo obiectũ formale Logicæ est vnum vnitate specifica in esse scibilis. Maior huius syllogismi etiam ex præterita conclusione est manifesta: minor verò pbatur: ratio formalis, *sub qua*, obiecti Logicæ sunt principia, ex quibus Logica suas conclusiones probat; sed talia principia habent vnitatem specificam, ergo ratio *sub qua*, obiecti Logicæ est vna vnitate specifica. Iterum maior huius syllogismi ex conclusione præterita constat, & minor sic probatur: tunc principia alicuius scientiæ habent vnitatem specificã, quando vel vnum ex alio deriuatur, vel ambo ex alterutro intra eandem abstractionem à materia; sed principia Logicæ ita se habent, ergo principia, ex quibus Logica suas conclusiones probat habent vnitatem specificam. Maior huius vltimi syllogismi etiam ex præterita conclusione est nota. Minor verò etiam est manifesta; cum à terminis propositiones essentialiter pendeant, & à propositionibus syllogismi, &c. ergo & principia illorum, cum principia illorum sit definitiones essentiales eorum.

362 Ex quibus licet inferre, quod Logica est vna simplex qualitas; nã cum habeat vnitatem specificã, debet esse omninò specificè indiuisibilis; neque potest esse composita ex pluribus habitibus partialibus, quia aliàs esset ens per accidens, & consequenter non poneretur in recta linea prędicamentali, & etiam quia illi habitus non possent specie differre; nam aliàs Logica non esset vna specificè: neque possent differre solo numero; quia plura accidentia solo numero distincta non possunt in eadem parte subiecti naturaliter simul reperiri, quod magis ex solutionibus argumentorũ patebit.

Primum argumentũ. Actus Logicæ specie distinguuntur; ergo & habitus ab illis producti. Probatur antecedens, quotiescunque obiecta duorum actuum specie distinguuntur, distinguuntur & actus, quorum sunt obiecta; sed obiecta actuum Logicæ specie distinguuntur; ergo & actus ipsius specie distinguuntur. Probatur min. plurimi actus Logicæ sunt demonstrationes probantes passiones de subiectis specie diuersis, vt demonstratio, per quam probatur, prædicabilitatem de multis specie diuersis conuenire generi, & de multis numero speciei; ergo obiecta actuum Logicę specie differunt.

363 Resp. quod obiecta actuum Logicæ specie differunt in esse rei; nõ autẽ in esse scibilis, vt diximus, & ideò actus Logicæ solo numero differunt, & vnũ habitũ specie generãt.

Contra solutionem dices: Si propter aliquam rationem obiecta actuum Logicæ essent eiusdẽ speciei in esse scibilis, esset, quia principia illorum sunt inter se connexa; sed hæc ratio est nulla, ergo obiecta actuum Logicæ etiam in esse scibilis non sunt idem specificè. Minor patet; quia aliàs scientia subalternans, & subalternata essent eiusdem speciei; cum principia vtriusque sint inter se connexa.

364 *Resp.* negando minorem: ad eius probationem dicimus, quod tunc principia scientiarum sunt idẽ in esse scibilis, quando vel vnum ex alio deducitur, vel ambo ex alterutro intra eandem abstractionem à materia. At licet principia subalternatæ, & subalternantis, vnum ex alio deriuetur; attamen quia hoc non est intra eandem abstractionẽ à materia, hinc est, quod illæ scientiæ specie differunt. Quod patet in mathematicis: musica, & perspectiua; nam numerus, & linea, prout à mathematicis considerantur, abstrahunt à materia sensibili, numerus verò sonorus, qui est obiectum musicæ, & linea visualis, quæ est obiectum perspectiuæ, tantùm abstrahunt à materia singulari.

Secundum argumentum. Potest quis habere scientiam duarum, vel trium conclusionum Logicæ, non autem omniũ: imò progressu temporis potest quis habere habitum, seù facilitatem circa decimam, vel vndecimam conclusionem illius, & amitti habitum primæ; ergo non est idem habitus Logicæ facilitās intellectum circa oẽs cõclusiones illius.

365 Hoc argumentum tangit quamdam difficultatem, quæ solet à DD. in lib. de generat. explicari, & à nobis disp. 6. sect. 4. q. vlt. explicabitur. Pro nũc verò sic ad argumẽtum responderi potest cõcedendo antecedens, & negando cõsequens: nam per primam demonstrationem generatur habitus Logicæ, per secũdam verò augetur quantùm ad intensionem, quod augmentum non fit per additionem alicuius realitatis; sed per eandem formam denuò applicatam ad distinctam materiam; sicut eadem anima rationalis extenditur ad informandam nouam partem materiæ sine additione nouæ entitatis ipsius animæ, & ideò ista additio, & augmentum fit per additionem extrinsecam, & non intrinsecã; per quam additionem redditur habitus magis perfectus, & intellectus magis facilitatur circa obiectũ illius secundi actus, non per alium nouũ habitum, sed per nouam applicationem præexistentis ad nouam materiam; quia de se ille habitus præexistens est facilitas circa omnia, quæ continetur sub obiecto adæquato totius Logicæ: quod verò proximè non inclinet ad talem, vel talem demonstrationem, non est ex defectu habitus, sed ex defectu subiecti, quatenus nondum habet species coordinatas. Quod patet exemplo fidei de nouo inclinantis in noua credibilia ab Ecclesia proposita. Aliam tutiorem solutionem huius argumẽti inuenies loco citato.

366 Neque ex hoc, quod possit amitti habitus Logicæ circa primã conclusionem, remanendo circa alias, sequitur, quod ipsa Logica nõ sit simplex qualitas, quia qualitas indiuisibilis, & simplex, quãdo virtualiter est multiplex in intentione, potest amitti, quãtùm ad aliquam perfectionem, seù applicationem erga aliqua ex illis, ad quæ se extendit, nulla amissione facta circa vnitatẽ, sicut anima desinit aliquas partes materiæ informare sine amissione alicuius entitatis propriæ.

Ex quibus omnibus inferre licet, quod Logica, prout docens est, est vera pars philosophiæ; nam cũ Arist.

1. me-

1. metaph. cap. 3. dicat, quod Philosophia est cognitio rerum, vt re sūt, idest per suas causas, & hoc Logicæ, prout docens est, conueniat, meritò pars illius dicitur. Quod magis constat ex illa communi diuisione Philosophiæ in naturalem, moralem, & rationalem, vbi nomine rationalis, Logica, prout docēs est, intelligitur; quæ diuisio licèt à quibusdam non approbetur apud Masium hic qu. 7. sect. 1. tamen optimè ipse ostendit, esse Aristotelis, & multorū Sanctorum Patrum; & Mastrius hoc idem faciens, quæstione procemiali, art. 1. dicit, quod hanc trimembrem diuisionem recipit D. Tho. initio Ethic.

367 Deinde eadē Logica, prout vtens est, est instrumētum omnium partium Philosophiæ; quod colligitur ex D. Thom. supra Boetium de Trinit. qu. 5. art. 1. ad 2. Nullum .n. est inconueniens, quod eadem res sit pars, & instrumentum alicuius, vt patet de manibus in homine; sed de hac re, & de tota hac disputat. dicta sint satis. Videatur Masius loco cit.

Qui vult videre pulchrè scientiam in varias species diuisam, legat nostrum Mersenniū in cap. 2. Genesis, vers. 2. quæst. 29. art. 1. vbi plures DD. de singulis scribentes refert.

DISPVTATIO SECVNDA,

In qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ à modernis exagitantur in Logica de ente rationis.

368 *Meritò in hoc loco DD. aliquas discutiunt quæstiones de Ente rationis; nam perfecta intelligentia alicuius gradus particularis maximè pendet ex cognitione gradus superioris illius; vnde quia Logica habet pro obiecto aliquod ens rationis, iure optimo Logici à superiori scientia, .s. à metaphysica in hoc loco mutuant aliquas quæstiones explicantes naturam entis rationis in communi; & ideò nos cum illis in hac disputatione libenter hoc idem facimus. Pro quo sit.*

QVÆSTIO I.

An dentur entia rationis.

369 Notādum est id, quod tetigimus quęstione tertia præteritæ disputationis, .s. quod illud dicitur ens rationis, quod totum suum esse habet à ratione, & quod tripliciter potest aliquid habere totum suum esse à ratione. Primò per veram, & realē actionem, vt verbum mentis, quod est verum ens reale, quia primariò, & per veram actionem, habet esse à causa reali.

Secundò per veram, & realē emanationem; & hoc dupliciter; vel ita, vt, quod emanat ab actibus intellectus, immediatè inhæreat ipsi intellectui, vel tātùm mediante illa cognitione media qua emanare dicitur. Primo modo in cōi sentētia emanāt ab intellectu media frequentatione actuum omnes habitus illius. Quæ sunt vera entia realia. Secundo verò

modo quędam accidentia, quæ sunt proprietates quarumdam cognitionum, medijs quibus ab intellectu emanant; v. g. subijcibilitas, prædicabilitas, & alia, de quibus per se Logica agit, nam cum intellectus, v. g. format hanc propositionem, Petrus est homo, resultat ab ipso, media tali cognitione in homine prout sic cognito, quædam relatio, quæ dicitur prædicabilitas, & in Petro alia .s. subijcibilitas, quæ inhærent in ipsis prout sic cognitis, seù, vt magis propriè loquar, inhærent intellectui non immediatè, sed media illa cognitione.

370 Hæc accidentia resultata, licet sint entia realia, prout ens reale opponitur enti ficto à rõne, tñ nomen entis rationis absolutè sumptũ ęquè dr̃ de ipsis, & de fictis; potior ratio hui⁹ rei sumitur ex volũtate DD. qui vtrique tale nomen applicarũt, & fortè non abs re hoc fecerunt: quia cum ens rationis, vt ex etymologia ipsius nominis cõstat, est ꝙ ex ratione rei cõuenit; vt notat Masius sect. 3. de rebus vniuersis, qu. 1. & ens rationis resultatũ ita habet esse à ratione, vt licet sit accidens, & omnibus rebus possit inhærere; nulli tamen, prout est à parte rei, vt faciunt omnia accidentia realia, sed tantum prout certo modo ab intellectu cognoscuntur, & ideò ad distinctionẽ accidentis realis non abs re appellatur ens, seù accidens rationis.

371 Tertiò ita vt habeat totum suum esse à ratione, seù ab intellectu non per veram, & realem efficientiam, aut emanationem; sed per efficientiam, per quam intellectus facit suum obiectum, quę cum à natura sua nõ terminetur ad communicandum aliquod esse reale, ideò non exigit actionem, aut emanationem realem: sed intellectus per talem efficientiam communicat rebus cognitis, quoddam esse fictum, si eas, aliter ac sunt, & esse possunt, cognoscit; quod solùm obiectiuè in ipso intellectu reperitur, quodq; ens rationis fictum dicitur, v. g. quãdò intellectus cognoscit aliquod animal semihominem, & semileonem, vnio medietatis hominis cum medietate Leonis à tali cognitione fingitur, & ideò illud animal dicitur ens rationis fictum, ratione vnionis suarum partium, quæ est omninò ficta, vtpotè impossibilis. Præsens ergo quæstio non de primo ente rationis, neque de secundo; cum sint vera entia realia, sed de tertio, & quarto procedit. Ad cui⁹ solutionẽ

372 Sit prima conclusio; Verè dantur entia rationis ficta. Probatur; Intellectus plura, quæ nõ sunt entia cognoscit; ergo cognoscit illa, ac si essent entia; sed nomine entis rationis ficti nihil aliud intelligitur, quam id, quod aliter ac est in se cognoscitur, seù quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, ergo verè dantur entia rationis ficta. Prima consequentia patet: quia cum obiectum intellectus sit ens, illa, quæ ab ipso cognoscuntur, quæ non sunt entia, ad modum entis cognoscere tenetur. Antecedens etiam cõstat, cum priuationes, & negationes sæpè cognoscat directè, quæ non sunt entia: v. g. cæcitas in oculo, quæ nihil est in ipso.

Dices contra conclusionem primò; Si aliquod daretur ens rationis fictum.

fictum, maximè priuationes; sed ista non sunt entia rationis ficta, ergo non dantur entia rationis ficta. Minor patet; quia cum Alexander ante operationem intellectus sit cæcus; necesse est, vt ante operationem intellectus habeat cæcitatem, quæ est priuatio; ergo cęcitas non habet suũ esse ab actione intellectus, & per cõsequens non est ens rationis fictum.

373 Resp. negando minorem; ad eius probationem distinguimus anteced. Alexander cęcus habet ante operationem intellectus cæcitatem in ratione priuationis concedo: in ratione entis nego; nam priuatio à parte rei non est ens; solùm autem per rationem fit ens, dum ad modũ entis consideratur.

Dices secundò; Si aliquod daretur ens rationis fictũ, maximè istud, .s. equus rationalis; sed istud non, ergo nullum: Probatur minor: Si propter aliquam rationem equus rationalis in intellectu existẽs obiectiuè esset ens rationis; ideò esset, quia esset fictum ab intellectu, sed non est fictum; ergo non est ens rationis. Probatur minor; Quia intellectus, dum considerat equum rationalem, verum equum à parte rei existẽtem, & veram rationalitatem, quæ in hominibus reperitur, & verã vnionem, quæ in alijs rebus cernitur, considerat; ergo equus rationalis existens obiectiuè in intellectu, nihil fictum continet.

374 Resp. negando minorem: ad eius probationem negatur etiam minor; ad cuius probationem dicimus, quod licet concedamus, quod dum intellectus equum rationalem considerat, non fingat neque equũ, neque rationalitatem, sed verum equum, & veram rationalitatẽ consideret: tamen negandum est, quod vnio illorum sit realis, nam quæuis vnio à parte rei existẽs est vnio duarum partium particularium, & nulla est vnio, nec esse potest, quæ vniat Leonem cum rationali. Vndè apertè constat, quod intellectus illam ad similitudinem aliarum fingit; & per consequens Leo rationalis est ens rationis fictum ratione suæ vnionis: nam sicut forma Leonis cum materia eiusdem dicuntur vnum substantiale constitui; quia ad hoc vniuntur vnione substantiali; ita equus cum rationalitate dicuntur vnũ ens fictũ cõstitui, quia vniuntur vnione ficta.

375 Dices tertiò; Si darentur entia rationis ficta, sequeretur aliquod ens reale subiectari in ente rationis, sed hoc est absurdum, ergo nõ dantur entia rationis ficta. Sequela patet; quia si Petrus, & Paulus eodem tempore fingunt idem ens rationis; v. g. Leonem rationalem; tunc illa entia rationis sunt realiter similia, ergo in illis subiectatur realis similitudo. Minor etiam est manifesta; quia fundamentum alicuius rei debet esse illa perfectius; sed quodlibet ens rationis est imperfectius quocũque ente reali, ergo absurdum est, quod aliquod ens reale sustentetur in ente rationis.

Resp. negãdo sequelam. Ad eius probationẽ dicimus; quod illa duo entia rationis habent tantùm similitudinem transcendentalem; non autem prædicamentalem sicut duæ relationes eiusdem speciei, habent tãtùm similitudinem transcendentalem, non autem prædicamentalem

(ne

(ne detur processus in infinitum) quia relatio est tàm debilis entitatis, vt nõ valeat relationem realem fundare: quia fundamentum debet esse perfectius eo, quod fundatur; & omnes relationes sunt ęquales in modo essendi relatiuo; & cum ens rationis fictum in modo essendi non solùm sit perfectius relatione reali, vt debebat esse ad illam fundandam; sed neque ęquè perfectum, vt sunt relationes reales inter se, quæ his non obstantibus vna aliam fundare non valet: sed imperfectius illa; nihil mirùm, si illam fundare non valet, & consequenter duo entia rationis eiusdem speciei habent tãtùm similitudinem transcendentalem, non autem prædicamentalem.

376 Secundò potest responderi, quod illa duo entia rationis sunt similia nullo intellectu cogitante de tali similitudine: attamen illa similitudo non est ens reale: sed ens rationis resultatum, quod inhæret talibus entibus rationis prout cognitis, seù, (vt propriùs loquar) cognitionibus à quibus resultant, & hoc non est inconueniens sicut non est inconueniens, cum formamus hanc propositionem: Leo rationalis est ens rationis, quod in Leone rationali resultet subijcibilitas, quæ est ens rationis resultatum, circa quod videri potest quæstio sequens.

Dices tãdẽ inter ens, & nihil nullũ potest dari mediũ; cũ cõtradictoriè opponantur; sed si darentur entia à rõne ficta, mediarẽt inter ens, & nihil, ergo nõ dantur entia rõnis ficta.

377 Respondetur ad maiorem quod ens reale, & nihil non opponuntur contradictoriè; quia inter ipsa mediat ens rationis: ens verò, prout dicit habere esse, siuè reale, siuè intentionale, & nihil verè contradictoriè opponuntur; & ideò ens rationis cum sub primo membro contineatur, non mediat inter illa.

Secunda conclusio verè dantur entia rationis resultata. Probatur. hæc propositio est vera, homo est species; sed prędicatum talis propositionis est ens rationis resultatum; ergo verè dantur entia rationis resultata. Minor quoad primã partẽ patet, quia illud prędicatum non reperitur à parte rei in homine, vt disputatione sequenti cõstabit; ergo est ens rationis. Quoad secundam verò, quęst. seq. manifestabitur.

377 Contra vtramque cõclusionem dices: Si darentur entia rationis, haberent aliquam causam efficientem; cum omnis creatura habeat causam efficiẽtem sui esse; sed ens rationis nullam potest habere causam efficientem, ergo non est. Probatur minor, quia si aliquam haberet, ab illa produceretur per realẽ productionem; sed omnis productio est ignobilior suo termino producibili, quia fluxus ad aliquem terminum est ignobilior ipso; ergo cũ nulla realis p̄ductio possit esse ignobilior ente rationis, ipsũ ens rõnis nullã causã efficientẽ habere potest.

379 Resp. quod ens rationis habet causam efficientem sui esse eo modo, quo explicauimus in principio huius quæstionis, & ideò neganda est minor: ad cuius probationem debemus maiorem intelligere, iuxta ibidem dicta; & minor debet distingui: omnis productio est ignobilior suo termino primariò, cõcedo; suo ter-

termino secundariò, nego; & ideò licèt ens rationis resultatum habeat esse ab actione intellectus, quia tamen est terminus secundarius illius, vtpotè causatum per resultātiam ab ipsa cognitione, ideò nō est necesse, vt productio illi⁹ sit ipso ignobilior.

QVAESTIO II.

Quid, & quotuplex sit ens rationis.

380 ENS rationis sic definiri debet: Ens rationis est illud, quod ab vna cognitione vel fingitur, vel resultat. Cuius definitionis bonitas sic ostenditur: Illa definitio est bona, quæ omnibus, & solis sub definito cōtentis competit; sed hęc est huiusmodi; ergo est bona. Probatur minor: omne ens rationis vel est fictum, vel resultatum ab intellectu; sed vtrique competit talis definitio; ergo talis definitio competit omni, & soli definito. Maior ex sequenti conclusione constabit: minor verò quæstione sequēti patebit. Ens rōnis per disiūctionē definiuimus, qa eius natura est valdè ignota, cū inter creata sit minimæ entitatis; quo mō definiendi vsus est Arist. cū naturā & aīam definiuit: pro quo vide Conimbr. in lib. de Aīa disp. 3. qu. 11.

381 Ens rationis optimè diuiditur in ens rationis fictum: & in ens rationis resultatum. Primum est illud, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, v. g. equus rationalis: vbi dy, tantùm, denotat, quod ens rationis à parte rei est omninò impossibile: nam cum concipimus rosam in hyeme, licèt talis rosa tunc non existat nisi in illa cognitione, tamen non est ens rationis, quia pro tunc à parte rei habet esse possibile: Secundum verò est illud, quod resultat in rebus ab aliqua certa cognitione, & in ipsis pro vt sic cognitis inhæret, seù potius in ipso intellectu media tali cognitione, v.g. prædicabilitas, vniuersalitas, & omnia entia rationis logicalia; nam quando intellectus cognoscit hominem, prout affirmat de Petro, à tali cognitionē resultat in homine, prout sic cognito, prædicabilitas, quæ in ipso prout sic cognito inhæret, seù potius in ipso intellectu media tali cognitione.

Quod autem talis diuisio sit bona probatur, ostendendo, quod non omne ens rationis est fictum à ratione, sed aliquod est resultatem in rebus ex tali, vel tali cognitione, & in ipsis prout sic cognitis inhæret, vt sunt omnia entia rationis logicalia. Quod ex professo docent grauissimi Thomistæ apud Sanchez, quæst. 23. Logicæ, & ex nostris P. Lalemand. disp. 2. partit. 2. & subtilissimus meus Magister P. Io. Perer in manuscript.

382 Quod probatur primò auctorit. D. Thomæ; vniuersale, ex D. Thom. opusc. 56 prout est ens rationis, est accidens, ergo ex D. Tho. vniuersalitas, & consequenter omnia entia rationis logicalia inhærent rebus tali, vel tali modo cognitis. Probatur consequentiam. Ideò vniuersalitas est relatio, quia ei suo modo essentia, & proprietates relationis conueniunt; ergo quia est accidens, essentia, & proprietates accidentis suo modo participabit; sed sic est, quòd esse in alio tanquam in subiecto est pręcipua proprietas accidentis, ergo hęc etiam suo modo vniuersalitati conueniet, & per consequens

sequens ipsa inhærebit rebus tali modo cognitis; & ideò non erit ens rationis fictum ab intellectu, sed resultatum; quia fictiones solùm habent esse obiectiuè in intellectu.

383 Deindè probatur ratione: Quādo intellectus format hanc propositionem, Petrus est homo, resultat in homine relatio prædicabilitatis, & in Petro relatio subijcibilitatis à tali cognitione, quæ in ipsis, prout sic cognitis inhęrent, antequā ab ipso intellectu cognoscātur tales relationes, quęquæ sūt entia rōnis; ergò tales relationes fiunt per resultantiā ab intellectu, & habent esse in rebus tali modo cognitis, antequā cognoscantur; & cōseqnēter nō omne ens rōnis est fictum a ratione. Probatur antecedens: Dum intellectus format talem propositionem, antequā relationes prędicabilitatis, & subijcibilitatis cognoscat illa propositio est formaliter propositio; sed propositio, quæ formaliter est propositio. constat ex subiecto, & prædicato, quæ formaliter sunt talia, ergo in ipsis terminis reperiuntur formaliter relationes prædicabilitatis, & subijcibilitatis, antequam tales relationes actu cognoscātur, cū nequeant esse talia, nisi formaliter tales relationes actu habeant. Maior patet; quia ad hoc, vt aliqua oratio sit formaliter propositio, solùm requiritur, quod in ipsa vnum de alio enunctientur; non autem quod relationes subijcibilitatis, & prędicabilitatis, quæ suis partibus inhærent, cognoscantur actu. Minor etiam constat; quia cum propositio sit essentialiter oratio enunciatiua, necessariò debet constare ex vna parte, quæ actu de alia affirmet, vel neget; & ex alia, de qua altera affirmet, vel neget; sed pars, quæ de alia affirmat, vel negat, prout sic est formaliter prædicatum; & pars, de qua alia affirmat, vel negat, est formaliter subiectum, ergo propositio formaliter talis necessariò constat ex subiecto, & prædicato formaliter talib⁹. Alias rationes vide apud nostrum Lalem. loc. cit. qui optimè soluit argumēta Sanchez contrarium sentientis.

384 Respondet Io. Sanchez in Logica quæst. 2. & 3. ꝙ illa propositio est tantùm fundamētaliter proximè propositio, & extrema illius tantum fundamentaliter proximè sunt vnum subiectum, & aliud prædicatum, nō autem formaliter; quia hoc tantum habent per subijcibilitatem, & prædicabilitatem, quas intentiones non habent, nisi per subsequente actus intellectus illas fingentes, & illis rebus tribuentes. Appellantur tamen absolutè subiectū, & prædicatū extrema alicuius propositionis pro vt sic ex cōmuni vsu loquendi Logicorum; nam cum tales res iam sint in proxima dispositione, vt illis tribuamus illa entia rationis optimè vocantur subiectum, & prædicatum; nam quod parū distat nihil distare censendum est.

385 Sed hæc solutio non soluit nostram rationem, quæ non procedit de nomine, sed de re; nam in illa probatur, quod eo ipso, quod intellectus format hanc propositionem, v. g. Petrus est homo; Statim sine hoc, quod intellectus aliquid fingat in extremis, ipsa extrema se actu mutuò respiciunt, vt superiùs, & inferius, & e contra, cum autem antece-

den-

denter ad talem cognitionem actu non sic se respiciebant, consequens est, vt illi respectus in talibus extremis sint resultati ab illa cognitione. Respectus isti, vnus solet vocari subijcibilitas, qui formaliter vnum ex illis extremis denominat subiectũ; & alius prędicabilitas, qui alterum extremum denominat prædicatum (si autem alijs nominibus prædicti respectus ab aliquibus nominarentur nil in re mutaretur, nec hoc nostræ doctrinæ aliquid obesset; quia in ea parũ de nominibus curamus) an autem prædicta extrema quando tantum sunt in potentia proxima ad prędictos respectus possint nominari his nominibus subiectũ, & prædicatum parum facit ad propositũ, neq; Logicus in hoc multum debet immorari; cũ ꝑ se nõ agat de significatione vocũ, sed alio inferiori artifici debet hoc negotiũ cõmittere.

386 Volo tamen proponere sequentem breuem impugnationem contra prędictam doctrinam, vt magis veritas nostræ pateat: prędicabilitas de pluribus est vera passio vniuersalitatis, vt ipse probat quęst. 29. & nos disput. sequ.; sed vera passio alicuius rei debet conuenire omni, soli, & semper, cui cõuenit talis res: ergo prędicabilitas de pluribus debet toto tempore conuenire alicui naturæ, quod ei conuenit vniuersalitas: sed ex doctrina prædicti Auctoris sequitur cõtrarium; cum per ipsum prædictæ secundæ intentiones habeant esse à diuersis omninò cognitionibus, & consequenter ipsæ secundæ intentiones sunt formaliter incompossibiles, at cum ista inter se maximè aduersentur, quæ cõsequenter ad doctrinam adductam cõtra nostram probationem ab eodem Auctore asseruntur, tenemur dicere, quod tota hæc doctrina est falsa, & consequenter, quòd entia rationis logicalia non habent suum esse ab illa cognitione, qua cognoscuntur, sed resultant ex certis cognitionibus suorum subiectorum; & ideò ab illamet cognitione, à qua natura habet vniuersalitatem, habet etiam prędicabilitatem de multis.

387 Tandem si entia rationis logicalia non haberent suum esse per resultantiam modo dicto: sed per fictionẽ intellectus naturaliter posset dari indiuiduum existens immediatè sub genere: sed hoc meritò impossibile ab omnibus censetur, cum inter genus, & indiuiduũ mediet species: ergo entia rationis logicalia habent esse per resultantiam à certis cognitionibus. Sequela patet, quia nihil impedit, vt experientia patet, vt concipiamus vniuersalitatem, vt indiuiduam: sed vniuersalitas est genus ad quinque vniuersalitates, vt disputat. sequenti, quæst. vltima probabimus, & tunc daretur indiuiduum existens naturaliter immediatè sub genere, ergo &c. Vltima pars minoris est manifesta; nam si ens rationis Logicum haberet totum suum esse ab illa cognitione, qua cognoscitur, tunc illa vniuersalitas existeret immediatè sub genere, quia taliter ab illa cognitione cognosceretur.

388 Præterea ex doctrina Masij in Logica sect. 3. de rebus vniuersis quęst. 3. (qui intendit conciliare Caietanum, & Soncinam, quorum primus vult, quod existentia omnium entium

entium rationis pendeat ab actione intellectus ad ipsum ens rationis terminata, & consequenter omnia entia rationis fingi à ratione. Vltimus verò 6. metaphysicæ quęst. 18. asserit, quod entia rationis logicalia existunt etiam si intellectus illa non cognoscat dummodò cognoscat proprium illorum subiectum.) Potest ad probationem responderi secundò, quod quando formamus hanc propositionem, v. g. Petrus est homo, etiam si relationes subijcibilitatis, & prędicabilitatis non cognoscamus, iam prędictæ relationes existũt inchoatiuè, & imperfecto modo, nõ autem perfectè, & completè, donec intellectus prædictas relationes cognoscat.

389 Sed contra est, quia prędictus Doctor supponit, quod entia rationis logicalia suscipiant magis, & minus, quod est falsum; nam licèt aliquæ relationes suscipiant magis, & minus, vt similitudo, &c. non tamen omnis, vt duplum, &c. de quorum numero sunt relationes logicales; nam sicut vnum duplum nõ est magis duplum alio, ita vnum prædicatum non est magis prędicatum alio, &c. preterea existentia illorum entium esset partim naturalis, & partim ficta, quod impossibile existimo; nã non videò quomodo possit fictio perficere ens naturale, & certè certissimum est, quod intellectus cognoscens quamlibet rem capacem cuiuscunque existentiæ nullam existentiam ei tribuit: sed solum cognoscẽdo rem omninò incapacem cuiuscumque existentiæ illam facit existentem obiectiuè in sua cognitione: nam aliàs quando cognosceret calorem in calefactione, qua media, ignis generatur, qui ab eodem Doctore ibidem dicitur existere tãtum per existentiam inchoatam, & imperfectam illũ perfectè, & completè existentem redderet, quod est ridiculum.

390 Primum argumentũ contra hanc nostrã doctrinã: tunc homo, v. g. est formaliter prædicatũ quãdo sic ab intellectu denominatur; sed intellectus non denominat hominẽ prædicatum, nisi pro vt cognoscit actu prædicabilitatem; ergo prædicabilitas non reperitur in homine, nisi pro vt ab intellectu cognoscitur, & per consequens prædicabilitas tantùm habet esse obiectiuè in intellectu.

Resp. ad maiorem iuxta dicenda in quæstione sequenti in solutione ad primum: quod homo non denominatur prædicatum ab intellectu, sed à prędicabilitate, quæ à certa cognitione resultat in ipso, quam denominationem intrinsecam habet homo, prout tali cognitione cognoscitur, antequam talis denominatio, vel forma, à qua prouenit, actu ab intellectu cognoscatur.

391 Secundum argumentum: Omne membrum cuiuscunque diuisionis debet participare naturam diuisi, ergo nullum ens rationis est accidens. Probatur consequ. Ens reale adæquatè diuiditur in substantiam, & accidens; ergo omne accidens est ens reale; sed nullum ens rationis est ens reale, ergo nullum ens rationis est accidens, & cõsequenter nullum ens rationis inhæret alicui.

Resp. negando consequ. absolutè intellectam. Ad cuius probationem dici-

dicimus, quod ens reale diuiditur in substātiam,& accidens reale; at pręter accidens reale dantur alia accidētia, quæ cum rebus nō inhæreant à parte rei, sed prout tali, vel tali cognitione cognoscuntur,& à ratione per resultātiam suum esse habeant, ideò accidentia, & entia rationis resultata dicuntur.

392 Contra solutionem dices: cui competūt proprietates alicuius subiecti, competit quoque esse illius; ergo cui conueniunt proprietates accidentis realis, est accidens reale; sed esse in aliquo, seù inhærere in aliquo est proprietas accidentis realis; ergo vel prędicta entia non inhærent in aliquo; vel non sunt entia rationis, sed realia accidentia.

Resp. concedendo primum enthimema,& distinguēdo maior subsequentis: Inhęrere in aliquo, prout est à parte rei, est proprietas accidētis realis, concedo; inhęrere in aliquo, prout sic, vel sic cognoscitur, nego: ens enim rationis Logicum non primò, sed secundò modo rebus inhæret, & ideò non est accidēs reale, sed rationis.

393 Contra: si ens rationis Logicum inhęret alicui, inhęreret intellectui; sed quod inhęret intellectui, inhæret rei à parte rei existenti; ergo vel ens rationis Logicum nulli inhæret, vel ei conueniunt proprietates accidentis rei. Probatur maior: Ens rationis Logicum fit ab intellectu; sed quod fit ab intellectu,& potest inhærere in aliquo, inhæret in ipso, cum sit agens actione immanenti; ergo vel ens rationis Logicū nulli inhęret, vel inhęret intellectui.

Resp. distinguendo maiorem: ens rationis inhęret intellectui, immediatè, nego: mediatè, concedo; ex quo non sequitur, quòd enti rationis conueniant proprietates accidētis rei; nam quodlibet accidens reale, quod intrinsecè denominat aliquam rem, ei prout existit à parte rei, inhæret; at verò entia rationis logicalia non solum non inhærent rebus, prout sunt à parte rei, quas intrinsecè denominant, sed solū prout certo modo ab intellectu cognoscuntur; sed etiam inhærent aliquando rebus, quæ actu non existunt; vt patet cū dico: Cicero fuit eloquēs, vbi durante hac cognitione in Cicerone prout sic cognito, inhæret relatio subijcibilitatis, quę in ipso à tali cognitione resultat, quamuis Cicero modò non existat à parte rei.

394 Contra solutionem instabis cum Lalem. hìc disp. 2. partit. 2. cōclus. 2. ens rationis nullo modo habet pro subiecto intellectum, ergo nulla solutio. Probatur antecedens; forma existens in aliquo subiecto ipsum denominat: sed entia rationis resultata non denominant intellectum, vt de se patet; ergo ens rationis resultatum nullo modo habet pro subiecto intellectum.

Resp. quod ens rationis resultatū non solum habet pro subiecto mediato intellectum: sed etiam ipsam substantiam animæ; nam omne accidens, vt existat naturaliter debet in aliqua substantia subiectari; & ens rationis resultatum, cum sit debilissimæ entitatis, non solum petit substantiam animæ, in qua subiectetur, sed etiam ipsum intellectum,& actū illius, medio quo resultat, cum sit propriętas istius. Ad probationem

verò

entium rationis pendeat ab actione intellectus ad ipsum ens rationis terminata, & consequenter omnia entia rationis fingi à ratione. Vltimus verò 6. metaphysicæ quęst. 18. asserit, quod entia rationis logicalia existunt etiam si intellectus illa non cognoscat dummodò cognoscat proprium illorum subiectum.) Potest ad probationem responderi secundò, quod quando formamus hanc propositionem, v. g. Petrus est homo, etiam si relationes subijcibilitatis, & pręդicabilitatis non cognoscamus, iam prędictæ relationes existũt inchoatiuè, & imperfecto modo, nõ autem perfectè, & completè, donec intellectus prædictas relationes cognoscat.

389 Sed contra est, quia prędictus Doctor supponit, quod entia rationis logicalia suscipiant magis, & minus, quod est falsum; nam licèt aliquæ relationes suscipiant magis, & minus, vt similitudo, &c. non tamen omnis, vt duplum, &c. de quorum numero sunt relationes logicales; nam sicut vnum duplum nõ est magis duplum alio, ita vnum prædicatum non est magis prędicatum alio, &c. preterea existentia illorum entium esset partim naturalis, & partim ficta, quod impossibile existimo; nã non video quomodo possit fictio perficere ens naturale, & certè certissimum est, quod intellectus cognoscens quamlibet rem capacem cuiuscunque existentiæ nullam existentiam ei tribuit: sed solum cognoscẽdo rem omninò incapacem cuiuscumque existentiæ illam facit existentem obiectiuè in sua cognitione: nam aliàs quando cognosceret calorem in calefactione, qua media, ignis generatur, qui ab eodem Doctore ibidem dicitur existere tãtum per existentiam inchoatam, & imperfectam illũ perfectè, & completè existentem redderet, quod est ridiculum.

390 Primum argumentũ contra hanc nostrã doctrinã: tunc homo, v. g. est formaliter prædicatũ quãdo sic ab intellectu denominatur; sed intellectus non denominat hominẽ prædicatum, nisi pro vt cognoscit actu prædicabilitatem; ergo prædicabilitas non reperitur in homine, nisi pro vt ab intellectu cognoscitur, & per consequens prædicabilitas tantùm habet esse obiectiuè in intellectu.

Resp. ad maiorem iuxta dicenda in quæstione sequenti in solutione ad primum: quod homo non denominatur prædicatum ab intellectu, sed à prędicabilitate, quæ à certa cognitione resultat in ipso, quam denominationem intrinsecam habet homo, prout tali cognitione cognoscitur, antequam talis denominatio, vel forma, à qua prouenit, actu ab intellectu cognoscatur.

391 Secundum argumentum: Omne membrum cuiuscunque diuisionis debet participare naturam diuisi, ergo nullum ens rationis est accidens. Probatur consequ. Ens reale adæquatè diuiditur in substantiam, & accidens; ergo omne accidens est ens reale; sed nullum ens rationis est ens reale, ergo nullum ens rationis est accidens, & cõsequenter nullum ens rationis inhæret alicui.

Resp. negando consequ. absolutè intellectam. Ad cuius probationem dici-

dicimus, quod ens reale diuiditur in substãtiam, & accidens reale, at prçter accidens reale dantur alia accidẽtia, quæ cum rebus nõ inhæreant à parte rei, sed prout tali, vel tali cognitione cognoscuntur, & à ratione per resultãtiam suum esse habeant, ideò accidentia, & entia rationis resultata dicuntur.

392 Contra solutionem dices: cui competũt proprietates alicuius subiecti, competit quoque esse illius; ergo cui conueniunt proprietates accidentis realis, est accidens reale; sed esse in aliquo, seù inhærere in aliquo est proprietas accidentis realis; ergo vel prędicta entia non inhærent in aliquo; vel non sunt entia rationis, sed realia accidentia.

Resp. concedendo primum enthimema, & distinguẽdo maior subsequentis: Inhęrere in aliquo, prout est à parte rei, est proprietas accidẽtis realis, concedo; inhęrere in aliquo, prout sic, vel sic cognoscitur, nego: ens enim rationis Logicum non primò, sed secundò modo rebus inhæret, & ideò non est accidẽs reale, sed rationis.

393 Contra: si ens rationis Logicum inhęret alicui, inhęreret intellectui; sed quod inhęret intellectui, inhæret rei à parte rei existenti; ergo vel ens rationis Logicum nulli inhæret, vel ei conueniunt proprietates accidentis rei. Probatur maior: Ens rationis Logicum fit ab intellectu; sed quod fit ab intellectu, & potest inhærere in aliquo, inhæret in ipso, cum fit agens actione immanenti; ergo vel ens rationis Logicũ nulli inhęret, vel inhęret intellectui.

Resp. distinguendo maiorem: ens rationis inhęret intellectui, immediatè, nego: mediatè, concedo; ex quo non sequitur, quòd enti rationis conueniant proprietates accidẽtis rei; nam quodlibet accidens reale, quod intrinsecè denominat aliquam rem, ei prout existit à parte rei, inhæret; at verò entia rationis logicalia non solum non inhærent rebus, prout sunt à parte rei, quas intrinsecè denominant, sed solũ prout certo modo ab intellectu cognoscuntur; sed etiam inhærent aliquando rebus, quæ actu non existunt; vt patet cũ dico: Cicero fuit eloquẽs, vbi durante hac cognitione in Cicerone prout sic cognito, inhæret relatio subijcibilitatis, quę in ipso à tali cognitione resultat, quamuis Cicero modò non existat à parte rei.

394 Contra solutionem instabis cum Lalem. hìc disp. 2. partit. 2. cõclus. 2. ens rationis nullo modo habet pro subiecto intellectum, ergo nulla solutio. Probatur antecedens; forma existens in aliquo subiecto ipsum denominat: sed entia rationis resultata non denominant intellectum, vt de se patet; ergo ens rationis resultatum nullo modo habet pro subiecto intellectum.

Resp. quod ens rationis resultatũ non solùm habet pro subiecto mediato intellectum: sed etiam ipsam substantiam animæ; nam omne accidens, vt existat naturaliter debet in aliqua substantia subiectari; & ens rationis resultatum, cum sit debilissimæ entitatis, non solum petit substantiam animæ, in qua subiectetur; sed etiam ipsum intellectum, & actũ illius, medio quo resultat, cum sit proprietas istius. Ad probationem verò

verò antecedẽtis dicimus, quod ens rationis resultatum nõ tribuit suam denominationem intellectui, aut substantiæ animæ; vel cognitioni, à qua resultat; sed rei repręsentatę per terminum talis cognitionis prout sic, quia nõ est accidens reale, quod solet tribuere denominationem rebus, quibus inhæret; accidentia verò rationis, licèt aliquo modo dicãtur inhærere rebus cognitis; tamen quia res cognita nihil est aliud, quã expressa imago, seù repręsentatio ipsius à potentia cognoscente producta: & ideò propriè in illis non inhęrent, sed immediatè cognitioni, à qua resultant, licèt illas intrinsecè prout sic cognitas denominent. Quod est præcipuum discrimen horum accidentium.

395 Vltimum argumentũ: Quod fit à cognitione est posterior ipsa; sed entia rationis logicalia fiunt à cognitione; ergo sunt posteriora illa, & per consequens non habent esse antecedenter ad propriam cognitionem.

Resp. negando vltimam consequentiam: nam ens rationis Logicum non fit à propria cognitione, sed resultat ex tali, vel tali cognitione sui subiecti.

Plura alia contra hanc doctrinam objiciuntur à Mastrio hìc; quia tamen ea optimè soluit Pontelongus in disput. Logic. disp. 14. cap. 1. vbi parùm à nostra sententia differt, omittuntur.

Deindè ens rationis fictum diuiditur in illud, quod fingitur sine fundamento in re, & in illud, quod fingitur cum fundamento in re. Primum est illud, quod sine aliqua occasione ad libitum ab intellectu fingitur, v. g. leo rationalis: quod ens rationis chimericũ vocatur; & quia cognitio eorum non est doctrinalis; nam possunt in infinitum ad libitum ab intellectu multiplicari; ideò parùm in ipsis immorabimur; solùm autẽ dicemus, quod talia entia rationis sũt magis entia rationis alijs, quia minus assimilãtur entibus realibus.

396 Secundum est illud, quod ab intellectu fingitur; quia in rebus reperit occasionem fingendi illud, v.g. cum intellectus cognoscit cæcitatẽ ad modum formæ positiuæ, tunc ens rationis cum fundamento in re fingit; nam cum intellectus nihil, quod non sit ens, prout sic cognoscere possit, cum obiectum cognitionis sit ens, & cæcitas vtpotè priuatio in se sit non ens, hinc est, quod dum intellectus cæcitatem directè cognoscere vult, necessitatur ad cognoscẽdam eam per modum entis, & consequenter aliter ac est in se; & ideò obiectum talis cognitionis ens rationis fictum cum fundamento in re dicitur, & ab aliquibus priuatio appellatur, sumpta denominatione ab eo, à quo intellectus occasionatur ad illud fingendum. Hoc idem facit, dum aliquam negationem cognoscit, propter eandem rationem.

Demum ens rationis fictum cum fundamento in re diuiditur à D.Th. quæst. 11. de veritate art. 1. in negationem, & relationem. Sub primo membro continentur priuatio, & negatio propriè dictæ, vt optimè Complut. explicant: Sub secundò membro omnes relationes rationis, quæ ab intellectu cum fundamento in re finguntur.

397 Re-

397 Relatio rationis ficta cum fundamento in re diuiditur in illas, quarum ratio fundandi est aliquod ens reale, & in illas, quarũ ratio fundãdi est aliqua denominatio extrinseca voluntatis imponentis significationem nominis. Sub primo genere continentur relationes, quas fingit intellectus Creatoris ad creaturas, & aliæ similes: sub secundo vero continentur relationes Grammaticæ, & Rhetoricæ. At quia nullum ex his entibus rationis ad Logicam spectat, dicta de illis sufficiant.

Sed queres, cur enumeratæ relationes non resultent ex cognitione intellectus, sicut relationes logical.

Resp. quod est dispar ratio de illis, & de istis; nam cùm omnis relatio à ratione fundandi proximè resultet, hinc est, quod illę solum à cognitione resultare possunt, quarum ratio fundandi erit cognitio, quod solùm Logicis competit; & ideò cum illæ non resultent à sua ratione fundandi (quia primæ essent reales, secundæ verò non possunt resultare; quia quod resultat, naturaliter resultat: à denominationibus verò extrinsecis voluntatis nomen imponentis; cum nõ sint immutabiles, nihil resultare naturaliter potest) neque ab intellectu, consequens est, vt ab ipso fingantur. Hæc doctrina est D. Thomæ quæst. 7. de potentia art. 11. vt ostendit Io. de S. Tho. hìc.

Species entis rationis resultati; dũ de relatione disp. 6. sect. 3. qu. 2. agemus, numerabuntur, vnà cũ alias relationes cathegoricas; nã cũ illę verè resultent ex certis cognitionibus, & nõ fingantur, cũ istis eãdẽ seriẽ constituunt; vt ibi ex professo dicemus.

QUÆSTIO III.

An denominationes extrinsecæ sint entia rationis.

398 Pro intelligentia huius quæstionis notare debemus, ꝙ omne accidens reale intrinsecè denominat subiectum, cui inhęret; & si est respectiuum, terminum, quem respicit, extrinsecè. Vndè denominatio proueniens ab aliqua forma existente in aliquo subiecto, illud denominans, dicitur denominatio intrinseca: & denominatio, quæ denominat aliquod, & prouenit ab aliqua forma, quæ in illo non inhæret, dicitur denominatio extrinseca, v.g. animal denominatur intrinsecè videns ab actu potentiæ visiuæ in ipso inhærente, & paries extrinsecè denominatur visus, denominatione proueniente ab actu visionis in animali existente, prout in se paries terminat talem visionem. Hoc notato.

Sit conclusio: Omnis denominatio extrinseca à quacunque forma reali proueniens est verum ens reale. Probatur primò, cognoscere, & cognosci: videre, & videri sunt relata, ergo eò ipso, quod ego video, & cognosco Petrum; Petrus est à me visus, & cognitus; sed Petrus est à me visus, & cognitus absque vlla fictione, præcisè ex eo, quod detur cognitio, & visio, quæ per se ipsas ad Petrum terminentur; ergo absque vlla fictione Petrus est cognitus, & visus, & consequenter denominationes, cogniti, & visi absque vlla fictione conueniunt Petro; ideòque denominationes extrinsecæ nõ sunt entia rationis.

399 Probatur secundò, quod est ante operationem intellectus, non

est ens rationis: sed denominationes extrinsecæ sunt ante omnẽ operationem intellectus, ergo denominationes extrinsecæ non sunt entia rationis. Maior ex dictis in præteritis quæstionibus patet, & magis ex dicendis in sequenti, patebit. Minor verò probatur, nullo intellectu cogitante, & etiam si non esset aliquis intellect⁹, Deus denominatur Creator; quia terminat habitudinem essentialis dependentiæ, quam habent creaturę ad ipsum, & per cõsequens denominatione proueniente à tali habitudine, quæ cum non inhæreat in ipso, sed in illis, est extrinseca; ergo denominationes extrinsecæ sunt ante opus intellectus.

400 Non mihi placet id, quod aliqui de his denominationibus docẽt, dicentes; quod sunt reales fundamẽtaliter; formaliter verò rationis; nam sicut oculus, v. g. per visionem dicitur formaliter videns, ita paries, v.g. per terminationem visionis dicitur formaliter visus; ergo sicut denominatio videntis est ens reale, non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter, ita denominatio visi, non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter est ens reale.

Nec tandem recipere possum dictum Io. de S. Tho. 2. part. Logic. quæst. 2. art. 1. .s. quod licèt denominatio extrinseca ratione formæ denominantis possit dici realis; tamen rõne vnionis, & applicationis ad rem denominatam est rationis; quia nihil reale in ea ponit.

401 Non, inquam, hoc recipere possum; quia non omnis vnio accidentis cum subiecto fit per inhæsionem in ipso, quia datur aliqua, quæ fit per adhæsionem, ex qua vnione resultant denominationes extrinsecæ, sicut ex priori intrinsecę; & licèt ex vi talis vnionis nihil à parte rei dicatur esse in termino; verè tamen aliquid dicitur esse ad terminum.

Quod tenet Eminentissimus de Lugo de Sacramentis disput. 1. sect. 3. dum dicit denominationes extrinsecæ à nobis concipiuntur etiam si nihil fingamus; nam quoties ego dico parietem videri à Petro nõ concipio, aut fingo in pariete aliquid intrinsecum, per quod sit visus, sed cõcipio visionem transeuntem ad parietem, & parietem terminantem actum visionis.

402 Primum argumentum: Denominatio est opus rationis, ergo nõ datur ante operationem intellectus, sed denominationes extrinsecę, nihil ponunt in rebus denominatis, præter ipsam denominationem, quam efficit intellectus, ergo sunt entia rationis.

Resp. distinguendo antecedens. Denominatio est opus rationis, si sumatur formaliter, & vt pertinet ad ordinem nominum, cõcedo; & hoc modo denominatio etiam intrinseca est opus rationis. In qua acceptione agit Grammaticus de denominationibus; si verò sumitur materialiter, & vt pertinet ad ordinem rerum, quo modo hìc sumitur, nego.

Secundum argumentum omnis denominatio realis est denominatio formalis; & denominatio formalis non est aliud, quam communicatio ipsiusmet formæ; sed nulla forma potest se communicare alicui, nisi illi cui inest; ergo non potest denominare aliquid nisi illud cui inest,

&

& conſequẽter omnis denominatio realis eſt intrīſeca, & ideò denominationes extrinſecæ sũt entia rationis.

403 Reſpondetur diſtinguendo ſecũdam partem maioris: denominatio formalis non eſt aliud, quam communicatio formæ ideſt reſpicientia, ſeù ordo formæ ad rem denominatam concedo; non eſt aliud, quàm communicatio formæ ideſt coniunctio ipſius intrinſeca cum re denominata, nego; nam talis cõiunctio ſolùm ad denominationem intrinſecam requiritur; & diſtinguenda eſt minor: nulla forma poteſt ſe cõmunicare intrinſecè niſi cui ineſt concedo; non poteſt communicare ſe extrinſecæ niſi cui ineſt nego; & eodem modo eſt diſtinguendũ primum conſequens, & vltimum omninò negandum.

Tertiũ argumentũ; eſſe cognitũ in pariete, v. g. nõ eſt aliquid intrinſecum ipſi; ergo neq; eſſe ſubiectũ alicuius enũciationis eſt aliquod intrinſecũ ipſi; antecedens patebit ex dicendis quæſtione ſequenti: conſequentia verò probatur: eſſe ſubiectum in pariete nihil eſt aliud, quam eſſe cognitũ prout de ipſo affirmat aliquod prædicatum, v.g. albus; ergo ſicut eſſe cognitum in pariete non eſt aliquid, ita eſſe taliter cognitum prout ſcilicet de ipſo affirmat albus, v.g nihil erit in ipſo.

404 Reſpondetur negando conſequentiam ad eius probationem negatur antecedẽs; nam licèt paries habeat eſſe ſubiectum efficiẽter ab illa cognitione qua cognoſcitur pro vt de ipſo affirmat albus; non tamen formaliter; quia hoc habet à ſubijcibilitate, quæ à tali cognitione in ipſo reſultat, & in ipſo pro vt ſic cognito inhæret modo explicato; quod patet, quia res, quæ extrinſecè denominatur ab aliqua forma tãtum, habet ab illa denominatione terminare habitudinem, quam dicit ſubiectum illius formæ media tali forma ad ipſam; at paries, licèt hoc ab illa cognitione præcisè pro vt cognitio eſt habeat; tamen à ſubijcibilitate in ipſo à tali cognitione reſultata habet reſpicere intrinſecè album, & nõ cognoſcentem, vel cognitionẽ.

Vltimum argumentum. Denominatio extrinſeca cogniti ſolũ habet eſſe obiectiuè in intellectu; ſed quod ſolùm habet eſſe obiectiuè in intellectu eſt ens rationis; ergo talis denominatio extrinſeca ſaltem eſt ens rationis. Probatur maior: tunc ſolùm res denominatur cognita, quando actu obijcitur intellectui; ergo denominatio cogniti reperitur ſolùm obiectiuè in intellectu.

405 Reſp. negando maiorem: Ad eius probationem, conceſſo antecedente, negatur conſequentia; quia cũ denominationes extrinſecè proueniant à formis exiſtentibus in aliquo ſubiecto diſtincto à denominato extrinſecè, neceſſe eſt, vt in illo inhęrentes reperiantur, & ideò, quãuis rebus adueniat denominatio cogniti, ſolùm prout actu cognoſcuntur; tamen talis denominatio verè in intellectu inhæret, à qua intrinſecè cognoſcens denominatur.

Ex dictis colligitur, quod denominatio extrinſeca, licèt res denominet realiter; tamen nihil reale eſt in rebus denominatis; ſed eſt in rebus, in quibus forma, à qua prouenit reperitur, intrinſecè illas denominans,

& est ad res denominatas, seù illis adhæret. Licèt si eas, aliter ac sunt, cognoscamus,.s. vt aliquid inhęrens in rebus denominatis, verè tunc facimus entia rationis, sicut quando alias res, aliter ac sunt, concipimus. Sed de hoc non procedit præsens quæstio, cum ex se sit manifestum.

QVÆSTIO IV.

An solus intellectus faciat entia rationis ficta.

406 Quia valdè diuersa est fabricatio entis rationis ficti à fabricatione derelicti, seù resultati, ideò in hac quæstione solùm de primo agimus, in sequenti verò de secundo. Mouetur hæc quæstio præcipuè ad ostendendam bonitatem definitionis entis rationis ficti, quæstione secũda adductæ: nam si semel est verum, quod solus intellectus facit entia rationis ficta, optimè definitur ens rationis fictum per hoc, quod sit illud, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu: è contra verò mala erit talis definitio, si semel aliqua alia potentia ab intellectu illa facere valeat. Ad cuius solutionem

Sit prima conclusio: Sensus externi nullo modo facere possunt entia rationis ficta. Probatur; Illa sola potentia potest facere entia rationis ficta, quæ in se ipsa ita potest præstare rei esse obiectiuum, vt extra illã, neque sit, neque existere possit; sed in nullo sẽsu externo potest aliquid ita obiectiuè existere ex vi alicuius actus sensitiui; ergo nullus sensus externus potest aliquod ens rationis fictum facere. Minor patet; quia obiectum sensuum externorum est aliqua qualitas à parte rei existens; & ideò dicitur; sensationem externam pendere non solùm ab obiecto existente, sed etiam in se præsente.

407 Primum argumentum: Plura solùm, experimur, habere esse obiectiuè in visione, ergo sicut illa, quæ tantum habent esse obiectiuè in intellectu, dicuntur entia rationis, seù entia à ratione ficta; ita ista debẽt dici entia à visu ficta. Probatur antecedens: vidimus cõcauitates in picturis, vnum, & idem obiectum multiplicatum, compresso oculo ex parte superiori, vel inferiori, &c. sed ista non existunt in obiectis visis, sed tantùm in visione; ergo plura solùm habent esse obiectiuè in visione.

Resp. negando antecedens: ad cuius probationem negamus minorem; nam ista verè extra visionẽ reperiuntur, nõ quidem secundum esse reale, & subiectiuũ in illis obiectis, sed secundum esse repræsentabile, & intentionale; quod variatur iuxta variationem specierum, vel iuxta immutationem ipsius organi; sicut paries, qui à parte rei est albus, posito ante oculos vitro viridi coloris, ob immutationem specierum, quę per tale medium deferuntur ad oculum, est viridis, non quidem realiter, sed secundum esse repræsentabile. Vnde autem proueniant illæ apparentiæ non est huius loci.

408 Secundum argumentum: quãdo videmus Solem minoris magnitudinis, ac est, visus fallitur, sed per omnem actum falsum fit ens rationis; quia eò ipso, quod actus est falsus, eius obiectum non est à parte rei; sed solum obiectiuè in illo actu, ergo visus facit entia rationis.

Resp.

Resp. negando maiorem: nam visus apprehendit illum, si nõ vt est, saltem vt à parte rei repræsentatur à specie; & si ibi aliquis error interuenit, erit intellectus, vt in pernicibus depictis, quæ reperiuntur in domibus aliquorum nobilium Perpinianensium; quæ à multis fuerunt existimatæ veræ. Vnde sensus non fallitur; sed tantùm occasionem errandi præbet intellectui, s. vt obiectum, aliter ac est in se, concipiat; nam vt bene notat Valentia in Comment. Theolog. tom. 1. quæst. 17. punct. 1. in sensu solùm est falsitas subiectiuè, non autem obiectiuè.

409 Vltimum argumentum: Per auditum in solitudine percipimus silentium; sed hoc non potest esse, nisi ab auditu percipiatur priuatio soni per modum formæ positiuæ; ergo auditus facit entia rationis; patet consequentia; quia quando intellectu percipimus aliquam priuationem per modum formæ positiuæ, tunc fit ens rationis ab intellectu; ergo quando auditu hoc idem facimus, fit ens rationis ab auditu.

Resp. distinguendo maiorem, per auditum percipimus silentium, propriè, nego; abusiuè, concedo: Nam nullus sensus percipere potest priuationem actu positiuo; sed tantùm percipiendo subiectum, nõ præcepta forma priuata.

Præcipua argumenta Arriagæ cõtrarium sentientis disp. 6. sect. 2. vide soluta apud Ouiedum controu. metaph. 12. punct. 6.

410 Secunda conclusio: Sensus interni non possunt facere entia rationis ficta. Probatur: Sensus internui tantũ percipiunt illa, quæ perceperunt sensus externi, sed sensus externi nõ possunt percipere entia rationis ficta, vt conclusione præterita diximus, ergo neque sensus interni possunt percipere entia rationis ficta, & per cõsequens neque ea facere, quia totũ esse illorum in perceptione eorumdem consistit.

Probatur secundò, ens rationis est omninò immateriale; sed obiectum sensuum externorum est materiale; ergo ens rationis sub obiecto sensuum internorũ nullo modo continetur. Probatur minor, sensus interni sunt potentiæ organicæ; ergo sunt materiales; sed inter obiectum, & potentiam debet versari proportio, quoad rationem formalem operandi; ergo obiectum sensuum internorum est materiale.

411 Dices contra: quando intellectus apprehendit montem aureũ, facit ens rationis fictum; sed phantasia potest illum apprehendere, ergo, dum illum apprehendit, facit ens rationis fictum.

Resp. negando consequentiam; ratio disparitatis est: quia intellect⁹ apprehendit montem, & aurum vt vnita; nam ob latitudinem sui obiecti finctionem componere, & attingere valet; quia fictiones quoque sub obiecto eiusdem continentur. At verò phantasia solum apprehendit accidentia extrinseca contigua, in qua apprehensione nihil fictum reperitur; nam licèt figura montis, & figura auri à parte rei nõ sint contigua, nõ implicat tamen contiguari; & hoc prouenit ob limitationem obiecti eiusdem; quòd solum sensibilia à sensibus externis comprehẽdit sub quibus nihil fictum continetur.

tur. Quod eleganter expressit D. Tho de veritate, vbi sic ait: *Nomen intellectus sumitur ex hoc, quod intima rei cognoscit, est enim intelligere, quasi intus legere; sensus enim, & imaginatio sola accidentia exteriora cognoscunt.*

412 Alia obiectio Arriagæ contrarium sustinentis videatur soluta apud eundem Ouiedum loco cit. ex cuius solutione, & ex antecedenti solutum manet argumentum nostri Lalemandet etiam contrarium sentientis. Per quod tandem patet ad opinionem Suarez de imaginatiua humana, quam amplectitur Comptonus hìc; quia intellectus humanus non habet virtutem eleuandi phantasiam extra suum obiectum adæquatum; nam per talem eleuationem non extrahitur phantasia à propria natura: sicut nō potest oculus vt vnitus sensui communi attingere operationem aliquam excedētem proprias vires .s. appræhensionem soni: & quamuis ob coniunctionem cum intellectu possit operari aliquos effectus, ad quos se sola pertingere non valet, non propter hoc sequitur, posse facere entia rationis; quia isti sunt effectus difficiliores intellectus; circa quod videte Complut. hìc disp. 2. quæst. 2. & argumenta Suarez videte soluta apud Amicum hic tract. 3. quæst. 3. dub. 3.

413 Vltima conclusio. Voluntas nō potest facere entia rationis ficta: hæc, & si sit contra aliquos Scotistas: est tamen Poncij hìc quęst. 7. & Merinerì hìc quæst. 4. Probatur; quia voluntas non format suum obiectū, sed extra se supponit formatum; ergo intra se nihil fingit, sed si in obiectum fictum fertur, ab alio supponit esse fictum. Antecedens patet; quia volūtas supponit obiectum propositum per cognitionem, cum nihil sit in voluntate, quod prius non fuerit in intellectu; ergo ipsa non format suum obiectum; sed in obiectum propositum fertur; & consequenter sicut intellectus Angelicus, quando cognoscit aliquod ens rationis obiectiuè existens in mea cognitione, nullum facit ens rationis, ita neque voluntas aliquod facere potest.

Confirmatur; quia dum voluntas, seu actus eius attingit aliquod obiectum, non trahit ipsum ad se, sed potiùs ipsa dicitur ferri in illud, vt docet D. Tho. 1. par. quæst. 16. art. 1. ergo obiectum volūtatis habet esse in intellectu, & non in voluntate, & si in se non habet aliquod esse, habet tantùm esse obiectiuè in intellectu, & ideò dicitur fingi ab intellectu, & non à voluntate.

414 Dices contra: Voluntas potest ferri in bonum apparens, item in obiectum vniuersale, & supra suū actum reflectere, & illū amare; potest etiam tēdere in obiectum; quia præceptum, ergo etiam poterit facere entia rationis.

Resp. quod voluntas fertur in bonum apparens ab intellectu propositum, qui fingit bonitatem, vbi non est: fertur etiam in vniuersale non à se, sed ab intellectu factum, & illi propositum. Non enim voluntas supra suum actuum reflectit, illum considerando, sed intellectus illum concipit, & voluntati proponit: fertur etiam in actum præceptum; quia præceptum, sed appræhensum prius per intellectum; *nihil enim volitum, quin præcognitum.*

Ex

Ex quibus manifesta manet solutio huius quęstionis; nam cum constet ex dictis in ipsa; quod neque sẽsus externi, neque interni, neque voluntas possunt facere entia rationis ficta; & ex prima, quod dantur, apertè constat, quòd à solo intellectu fieri possunt, cum à parte rei non dentur.

QVAESTIO V.

An à solo intellectu resultata entia rationis fiant.

415 SIT conclusio non solum ab aliquibus actib⁹ intellectus; sed etiam ab aliquibus omnium sẽsuum internorum, & externorum entia rationis resultant. Prima pars huius conclusionis satis patet ex dictis quæstione 2. Secunda verò etiã est manifesta: quia per aliquos actus sensuum tam internorum, quàm externorũ plures propositiones de rebus sensibilib⁹ formamus; vt quãdo per visum, v. g. cognoscimus, quod album non est nigrum; & per sensum communem differentiam inter sensibilia externa, & inter sensationes externas, vt presentes, & per phantasiam, seù imaginatiuam easdem differentias inter easdem res, vt absentes, &c. Ex quibus actibus non possunt non resultare in extremis prædicabilitatem, & subijcibilitatẽ, quæ sunt entia rationis resultata, sicut ex similibus actibus intellectus resultant in talibus extremis, quando tali modo ab intellectu cognoscuntur.

416 Nec facit cõtra hoc id, quod dicit Ortiz in Log. tract. 2. confer. 2. .s. quod quando phantasia format propositiones, tunc non resultant entia rationis, quia phantasia non valet intelligere ordinẽ inter obiecta cognita, quod requirebatur, vt entia rationis resultarent.

Non, inquam, hoc contra nostrã conclusionem facit; quia ad hoc, vt relationes prędicabilitatis, & subijcibilitatis resultent ab intellectu, non est necesse, quod ab ipso intellectu cognoscantur prædictæ relationes; sed sufficit, vt ipse formet aliquam propositionem, vt constat ex secunda quæstione, & defendit idem auctor; ergo pariter ad hoc, vt resultẽt ex phantasia, v. g. sufficit, vt phãtasia formet aliquã propositionẽ, quamuis ipsas relationes non cognoscat.

Sed dices: sensus externi, & interni nõ possunt facere entia rationis ficta, ex pręt quęs. ergo neq; resultata.

417 Resp. quod est dispar ratio de entibus rationis fictis, & de resultatis, nam ficta non possunt formari, nisi cognoscantur, cum esse illorum sit esse obiectiuè in aliqua cognitione, vt constat ex quæst. 2. & cum aliquis sensus non valeat attingere aliquod esse fictum, vt constat ex dictis quęst. pręter. nihil mirum, quod entia rationis ficta facere non valeant: at verò cum entia rationis resultata non fiant cognoscendo ipsa; sed solum cognoscendo subiectum, cui prout cognito à cognitione, à qua resultant, inhęrent, nullũ est inconueniens, quod à certis actibus potentiarum sensitiuarum resultent.

Deinde probatur id, quod in conclusione dicitur, .s. quod entia rationis resultata non resultant ab omnibus actibus prædictarũ potentiarũ: si ab oĩbus actibus prędictarũ potẽtiarũ resultarent entia rationis, quando intel-

intellectus format hanc propositionem, Petrus est homo: in Petro, & homine ex tali cognitione resultarent duæ relationes: vna ex eo quod cognoscerentur; & alia ex eo, quod taliter cognoscerentur; sed hoc est absurdum, cùm sit multiplicare entia sine necessitate; ergo ab omnib⁹ actibus prædictarum potentiarum non resultant entia rationis.

418 Probatur secundo: Si à quacunque visione, v. g. in rem visam resultaret aliqua relatio à denominatione extrinseca Creatoris, resultaret etiam in Deo aiqua relatio; sed hoc vltimum est falsum, ergo & primum, & consequenter non ab omnibus actibus prædictarum potētiarum resultant entia rationis. Sequela patet, quia sicut extrinsecè res denominatur visa à visione existente in vidente; ita Deus extrinsecè denominatur Creator ab habitudine essentialis dependentiæ, quam habent creaturæ ad ipsum; ergo si à visione in rem visam aliqua relatio resultaret, resultaret quoque à dicta habitudine in Deo alia. Minor verò probatur: relatio resultata inhæret subiecto, in quo resultat, seù quod refertur ad aliud per ipsam, sed repugnat, quod aliquid inhęreat Deo, ergo repugnat, quod à tali habitudine resultet talis relatio.

419 Dices contra: cū intellectus format hanc propositionem, Deus est summè bonus, statim in Deo resultat ex tali cognitione relatio subijcibilitatis, quæ in ipso inhæret, prout sic cognitio; vt ex dictis constat; ergo etiam, statim, ac Deus creauit, ab habitudine essentialis dependentiæ creaturarum ad ipsum, resultabit in ipso quędam relatio, per quā ipse Deus ad creaturas refertur, quæ in ipso inhęret media denominatione extrinseca à tali relatione prouenientē.

Resp. quod est dispar ratio de relatione subijcibilitatis, & de relatione Creatoris; nam cum in intellectu nostro in via nō reperiantur res, sed solum species rerum; hinc est; quod id, quod ex cognitione in rebus resultare dicitur, non in rebus, sed in speciebus illarum resultare, & inhęrere censetur: at verò relatio creaturæ ad Creatorem terminatur ad ipsum Deum, & nō ad speciem eius, & ideò si aliquid in Deo ex ipsa resultaret, in ipso, & nō in specie eiusdem inhęreret; cum autem relationes subijcibilitatis, & prædicabilitatis resultent in rebus prout cognitis certa cognitione, non in rebus, sed in speciebus illorum inhęrent; non enim implicat, quod in specie, per quam meus intellectus cognoscit Deum, aliquid inhæreat, cū sit quid à meo intellectu productum; benè tamen quod in ipso Deo aliquid inhæreat.

420 Contra hoc, quod diximus in conclusione .5. quòd ab aliquibus actibus sensuum resultent entia rationis dices: Si propter aliquam rationem ab aliquibus actibus sensuū resultarent entia rationis; maximè quia sensus per aliquos suos actus formare possunt propositiones; sed hoc est falsum, ergo ab aliquibus actibus sensuum non possunt resultare entia rationis. Minor patet, quia sensibus non competit iudiciū, seu compositio, & diuisio, à quo solùm formantur propositiones.

421 Resp.

421 Resp. negando minorem, ad cuius probationem dicimus: quod duplex est iudicium, seù compositio, & diuisio, vt diximus lib. 1. Summul. sect. 1. vnum appræhensiuum, & aliud iudicatiuum. Primum est ille actus, per quem propositiones formamus: Secundum verò est ille actus, per quem iudicamus ita esse in re, sicut per propositionem enunciatur. Secundus ex his actibus est proprius solius intellectus: Primus verò est communis intellectui cum sensibus; nam videns per visum iudicat de coloribus, cum hoc cæcus præstare non valeat, vt tenet commune proloquium; & audiens de sonis, &c. Entia autem rationis non ex iudicio iudicatiuo; sed ex iudicio compositiuo resultant.

Sed instabis: sensus non discurrunt, ergo neque iudicant.

Resp. distinguendo consequens. Sensus non iudicant iudicio iudicatiuo, concedo: iudicio appræhensiuo nego: Iudicium .n. appræhensiuum non sufficit ad discursum; sed requiritur iudicium indicatiuum; de quo plura, cum de anima ex professo agemus.

QVAESTIO VI.

An omnis intellectus possit entia rationis ficta facere.

422 VT hanc quęstionem perfectè intelligamus, vt certum supponere debemus, quod intellectus humanus in via plura entia rationis fingere potest; & ab ipso plura resultant, quod ex dictis in præteritis quæstionibus satis manet manifestum. Et quod intellectus diuinus perfectissimè cognoscit entia rationis ab humano ficta, vel resultata. Quod apertè deducitur, tum ex illo Sapientiæ 8. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra scit, antequam fiant.*

Tum etiam; quia si propter aliquam rationem Deus non cognosceret entia rationis ficta, ideo esset; quia hoc in ipso imperfectionē argueret; sed nullam arguit; quia dato, quod fingere entia rationis dicat imperfectionem, non tamen ipsa cognoscere, sicut facere peccata dicit imperfectionem, illa autem cognoscere perfectionem arguit.

423 Argumenta Vasquez cōtrarium sentiētis vide soluta apud Mastrium hìc disput. 3. quæst. 5. & apud Arriagam, & Ouiedum in metaph. Quo notato.

Sit prima conclusio: Deus nullo modo potest facere entia rationis ficta. Hæc conclusio est contra Arriagam, Ouiedum, & Lalemandet in Metaph. & contra Amicum in Log. tract. 3. quæst. 3. dub. 5.

Probatur primò, Deus cognoscit res, vt sunt, ergo non potest facere entia rationis ficta. Probatur consequentiam, tunc fit ens rationis fictum, quando aliquid diuerso modo, ac est, & esse potest, cognoscitur; sed Deus cognoscit res, vt sunt, ergo non potest facere aliquod ens rationis fictum. Maior patet ex dictis quęst. 2. Minor etiam est manifesta; quia cognoscere res, aliter ac sunt, magnam imperfectionem inducit in cognoscente, quę nullo modo est ponenda in Deo.

424 Ad hanc rationem respondet Albertinus tomo 1. suorum Corollariorū quęst. 1. Theol. in 1. Coroll.

ex primo principio Philosophico diffic. 2. circa tertiam assertionē; vbi tenet, quod non implicat Deum facere relationem rationis: quod cum ens rationis fictum (de quo ipse loquitur) alio modo cognosci non possit, non indicat imperfectionem si hoc modo cognoscatur à Deo, & quando Deus cognoscit ens rationis à nobis fictum cognoscit illum aliter ac est; quia non cognoscitur ab eo, vt est in se.

Certè hæc responsio nulla est; nā licèt verum sit, quod quando formamus aliquod ens rationis aliquā rem cognoscimus aliter ac est in se, & ideò repugnat Deo formatio entis rationis: tamen ens rationis à nostro intellectu formato sicuti est in se, cognoscibile est: Vnde, quia, omnia ab intellectu diuino sicuti sunt, cognoscuntur; ideò Deus nullum facit ens rationis, etiam si entia rationis à nostro intellectu facta, vel factibilia cognoscat pro vt sic.

425 Probatur secundò ex Machin. in pr. par. D. Thom. tom. 1. quæst. 14. art. 9. disput. 26. sect. 3. Si Deus posset facere entia rationis ficta, illa posset cognoscere absq; ordine ad intellectum humanum, sed hoc est absurdum, ergo id, ex quo hoc sequitur. Prob. min. Si Deus cognosceret entia rationis ficta absque ordine ad intellectum humanum, sequeretur ante quodcunque decretum liberum Dei dari existentiam entis rationis, non solum æternam, sed etiam omninò necessariā, & independentem à Diuina voluntate, imò antecedentem, quod est absurdum, cum nulla existentia entis creati, quantò magis vmbræ entis sit absolutè necessaria, æterna, & antecedens Diuinam voluntatem. Probatur sequela, quia quādo Deus ex vi scientiæ simplicis intelligentiæ antecedenter ad omne decretum liberum suæ voluntatis cognoscit essentia, seù possibilitatem entis rationis absque ordine ad intellectū humanum ex vi illius cognitionis simplicis intelligentiæ, præcisè illud ens rationis obijcitur immediatè intellectui Diuino, sed obijci immediatè est existere illius, ergo antecedenter ad omne decretum liberum Dei intelligitur habere existentiam tantæ necessitatis, sicut est scientia simplicis intelligentiæ. Vnde vlterius sequitur, illius existentiam non esse in libera potestatè Dei, nec pertinere ad scientiam visionis. Quæ quàm absurda sint, ex ipsis terminis patet.

426 Primum argumentum, quod est vnū ex fundamentis n. Lalemandet in Metaph. disp. 4. part. 1. Si propter aliquam rationem Deus non posset facere entia rationis ficta: ideò esset, quia hoc poneret imperfectionem in Deo; sed formatio entis rationis ficti non ponit aliquam imperfectionem in Deo, ergo Deus potest facere entia rationis ficta. Probatur min. quod est perfectio in intellectu Diuino, non ponit imperfectionem in illo; sed posse facere prædicta entia, est perfectio in intellectu Diuino; ergo nō ponit imperfectionem in ipso. Probatur minor: quod est perfectio in nostro intellectu, est quoque perfectio in intellectu Diuino; sed posse facere entia rationis ficta est perfectio in nostro intellectu, ergo erit quoque perfectio in intellectu Diuino. Probatur min.

min. Si esset imperfectio in nostro intellecte posse facere entia rationis ficta, potentiæ sensitiuæ, quæ non possunt talia entia rationis facere, erũt perfectiores nostro intellectu; sed hoc non; ergo neque illud.

427 Resp. quod id, quod est perfectio simpliciter in nostro intellectu, est etiam perfectio in intellectu Diuino; non autem id, quod secundùm quid est perfectio, simpliciter autem imperfectio: At formatio entis rationis: quia oritur ex limitatione nostri intellectus, eo quod nõ potest aliquas res, sicuti sunt, cognoscere, ob minimam, vel maximam entitatem earum; ideò aliter ac sunt, cõcessum est ei cognoscere, est perfectio tantũ secundùm quid nostri intellectus, quatenus per illam inter alia intellectus vincit imperfectionẽ sensus; simpliciter autem est imperfectio, cum ei hoc concessum sit ad supplendam suam naturalem imperfectionem.

Secundum argumentum: Deus cognoscit priuationes, & negationes, quæ non sunt entia, sed illas cognoscit ad modum entis, ergo Deus facit entia rationis ficta. Probatur min. nihil intelligitur sub ratione non entis, cum nihil sit per se intelligibile, nisi ens; sed priuationes, & negationes sunt non entia; ergo ab intellectu diuino per modum entis intelliguntur.

428 Resp. quod perfectus modus cognoscendi negationes, & priuationes non est illas attingere directè per modum entis; sed indirectè iudicio quodam diuisiuo, quomodo attingimus cęcitatem concipiendo, in tali organo non esse potẽtiam visiuam; nam sic cognoscuntur, sicuti sunt, & per modum non entis, & hoc modo cognoscuntur à Deo, in quo nullum interuenit ens rationis; quia non concipiuntur ad modum entis.

Tertium argumentum: Deus cognoscit entia rationis ficta à nobis; ergo Deus facit entia rationis ficta. Probatur consequ. Totum esse entis rationis ficti est esse obiectiuè in intellectu; ergo fieri entis rationis est cognosci; & consequẽter quando Deus illa cognoscit, facit. Prima consequentia patet; quia quando factum esse, est esse cognitum, necessario fieri erit ipsum cognosci.

429 Resp. quod Deus cognoscit entia rationis ficta cognitione speculatiua; quia præsupponit ipsa facta ab humano intellectu, non tamen cognitione practica. Ad probationem consequentiæ, dico, quod factum esse entis rationis non est esse cognitum quomodocunque, sed tãtùm esse cognitum cognitione practica; & ideò fieri ipsius solum erit cognosci cognitione practica.

Sed dices contra: non solum cognoscit Deᵘ entia rationis ficta actu à nostro intellectu, sed etiam possibilia; sed ista non potest Deus non cognoscere cognitione practica; ergo Deus cognoscit etiam entia rationis ficta cognitione practica.

Resp. quod ens rationis fictũ possibile intrinsecè claudit respectũ ad suam causam proximam efficientẽ; & ideò Deus illud, vt possibile in ordine ad suam causam efficientẽ proximam cognoscit; vnde non cognoscit illud cognitione practica; quia nõ dat illi aliquod actuale esse in se, cũ hoc pẽdeat à sua causa proxima, & à

& à Deo nō poteſt immediatè fieri, propter intrinſecam imperfectionē, quam claudit.

430 Vltimum argumentū: Deus eſt omnipotens; ſed non eſſet omnipotens, ſi non poſſet entia rationis ficta facere; ergo Deus poteſt entia rationis ficta facere.

Reſp. quod Deus, quia omnipotens, omnia, quæ non implicant cōtradictionem, facere poteſt; nam vt optimè Gratiadeus Aſculanus qu. 8. Deus eſt vniuerſalis cauſa eſſendi, & prima: ſub prima verò, & vniuerſali cauſa eſſendi cadūt omnia, quæ poſſunt participare eſſe, quæ autem eſſe participare nō poſſunt, ſub tali cauſa non cadunt; poſſunt autem participarſi eſſe, quæ contradictionem nō implicant; quæ verò contradictionē implicant eſſe habere non poſſunt; nam quæ implicant contradictionē, ſunt omninò impoſſibilia, omninò verò impoſſibilia dicuntur, quę nullo modo poni poſſunt in actu eſſendi, ſimiliter etiam, quæ cōtradictionem non implicant, ſunt ſimpliciter poſſibilia; ſimpliciter autem poſſibilia dicūtur, quæ poſſunt aliquo modo participare eſſe; ſi igitur ſub prima, & vniuerſali cauſa eſſendi cadāt omnia, & ſolùm illa, quæ poſſunt eſſendi actum participare, cōcluditur de neceſſitate, quod ſub Diuina potentia cadunt omnia, quæ contradictionem non implicant, & quod ab ipſa omnia, quæ contradictionē implicant, excluduntur. Facere autē encia rationi ficta Deum, implicat contradictionem, nam dicit, Deum eſſe perfectiſſimum, & non eſſe perfectiſſimum, quæ ſunt contradictoria, vt patet ex ſupradictis.

431 Vltima concluſio: Intellectus Angelicus naturaliter ſpectatus poteſt facere entia rationis ficta. Probatur: Intellectui Angelico naturaliter conſiderato non repugnat error, vt de ſe patet; quia multi valde errarunt, vt de fide certum eſt, ergo neque formatio entis rationis ficti.

Quod etiam probat Rotella hic diſp. 2. ſec. 9. ex illo Iſa. cap. 14. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meū, &c.*

Notate, quod notanter dixi in cōcluſione, naturaliter ſpectatus; quia ſi conſideretur, vt beatus, prout ſic, neque humanus talia entia rationis facere valet, quia per viſionem beatam attingunt res verè, vt ſunt in ſe, nec alitèr eas, prout ſit, cognoſcere poſſunt, cum prout ſic decipi nō valeant; nam viſio beata eſt perfectè iudicatiua. De quibus, cum ſint merè Theologica, dicta ſint ſatis. Reliqua ſuo loco, Deo dante. Qui plura vult, legat Amicum loco cit.

QVAESTIO VII.

Vtrum à certis actibus omniū intellectuum reſultent entia rationis.

432 Tota difficultas eſt de intellectu Diuino, & Angelico in hac quæſtione; nam de humano eſt res iam ſatis manifeſta ex dictis quæſt. 2. & ſequ. Vndè tantùm eſt notandum, quod intellectus Diuinus perfectiſſimè cognoſcit entia rationis reſultata, non ſolum, prout ſunt obiectiuè in intellectu humano, ſed etiam abſolutè, ſicut & relationes reales; nam iſta entia non habent eſſe per cognitionem, qua cognoſcuntur, vt faciunt entia rationis ficta. Quo notato.

Sit prima cōcluſio: Ab intellectu

Diuino non possunt aliqua entia rationis resultata resultare. Probatur: Entia rationis resultata inhærent in rebus, quæ per cognitiones, ex quibus resultant, cognoscuntur, prout sic, vt patet ex definitione entis rationis resultati supra abducta; sed repugnat, quod aliquid inhæreat in rebus ab intellectu Diuino cognitis prout sic; ergo ab intellectu Diuino non possunt aliqua entia rationis resultata resultare. Probatur minor: Intellectus Diuinus cognoscit omnia in sua essentia; sed repugnat, quod aliquid inhæreat essentiæ Diuinæ; ergo repugnat, quod aliquid inhæreat rebus ab intellectu Diuino cognitis prout sic. Totus hìc discursus patebit perfectè in p. p. Theol.

433 Confirmatur, sicut non repugnat, quod quando intellectus meus format hanc propositionem, Deus est summè bonus, ex tali cognitione in Deo, prout sic, cognito, resultet relatio subijcibilitatis, quæ in ipso prout sic cognito inhæreat; quia meus intellectus non cognoscit Deum in se, sed per speciem impressam repræsentantem ipsum Deũ productam à meo ipso intellectu: ita è contrà repugnabit, quòd ex aliqua cognitione Diuina in re cognita per ipsam aliquid resultet, quod in tali re prout sic cognita inhæreat, quia Deus nõ cognoscit res per species creatas, sed in Diuina essentia, in qua inhærere nihil potest.

Dices cũ n. Lalemād. in Metaph. disput. 4. partit. 1. contrarium sentiente: intellectus Diuinus potest comparare essentiam suam ad creaturam; sed ex hac comparatione resultat relatio rationis; ergo ex aliqua cognitione Diuina resultant entia rationis.

434 Resp. negando minorẽ: quia ens rationis resultatum inhæret rei, in qua resultat, vt benè docet idem Lalem. in Log. disp. 2 partit. 2. at in essentia Diuina neque secundum se considerata, neque prout à Deo cognoscitur, aliquid inhærere potest; quia Deus immediatè illam cognoscit, & nõ per aliquam speciẽ creatã.

Contra solutionem dices: Ens rationis resultatum est obiectiuè in intellectu; quia resultat semper per actum reflexum, v.g. per actum, quo formatur hæc propositio, Petrus est homo, reflectitur supra id, quod resultat ex tali cognitione in obiectis partialibus illius; ergo malè dicimus, quòd ens rationis resultatum inhæreat rebus, in quibus resultat.

Resp. quod hoc argumentum licèt sit grauissimi viri, videtur maximum paradoxum cõtinere .s. quòd intellectus semper tali modo reflectatur, & intelligens non aduertat talem reflectionem. Certè multas formaui propositiones; attamen nũquam aduerti, me per actum, per quem aliquam propositionem formaui, relationes prædicabilitatis, & subijcibilitatis, in extremis resultatas aliquo modo cognoscere. Vndè hoc dictum est simile alteri, quod audiui à quodam rustico interrogato, an vellet bibere, qui respondit, nõ; attamen rogatus multùm bibit, & iterum interrogatus, cur tantum bibisset, respondit; sitiebam valdè, & nesciebam. Et data, & non concessa hac doctrina, nihil facit ad intẽtum, cum cognitio Diuina non sit reflexiua.

435 Vl-

435 Vltima conclusio: Ab aliquibus actibus intellectus Angelici naturaliter spectati resultare possūt entia rationis. Probatur, quia intellectus Angelicus naturaliter spectatus iudicare tam iudicio iudicatiuo, quàm appræhensiuo, & discurrere potest; ergo ab aliquibus actibus intellectus Angelici naturaliter spectati resultare possunt entia rationis. Consequentia patet, quia ex actibus intellectus humani, quibus homo iudicat iudicio appræhēsiuo, & discurrit, resultant non pauca entia rationis; ergo pariter, ex actibus, quibus Angelus iudicat iudicio appræhensiuo, & discurrit, plura entia rationis resultabunt. Antecedens suo loco ostendetur.

Dices contra: Si ab aliqua cognitione Angelica resultarent entia rationis, maximè ab illa, qua naturaliter cognoscit, hominem esse risibilem; sed ab hac non; ergo à nulla. Probatur minor, quando Deus cognoscit, hominem esse risibilem, ab illa cognitione nullum resultat ens rationis; ergo neque quando Angelus hoc idem naturaliter cognoscit.

436 Resp. quod est dispar ratio de cognitione Diuini intellectus, per quam cognoscit, hominem esse risibilem, & de cognitione Angeli naturaliter spectati; quia cognitio Diuina est perfectè iudicatiua, & nullatenus appræhensiua: cognitio autem, per quam Angelus prædicta cognoscit, ex qua resultant entia rationis, est appræhensiua. Præterea Angelus res vel in se ipsas, vel in specie earum cognoscit, in quibus non repugnat, aliquid resultare. At Deus in essentia Diuina omnia cognoscit, in qua nihil inhærere potest. Per quod, & ex dictis quæstionibus tertiæ, & sextæ patet, quid dicendum sit ad id, quod P. Franciscus de Lugo in pri. part. D. Thom. lib. 1. disput. 33. cap. 2. perdoctè docet cōtra primam conclusionē huius quæstionis, contra vnicam tertiæ. & contra primam sextæ.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ens rationis cognoscatur per propriā speciem.

437 Notandum est, quod ad cognitionem nostri intellectus duæ requiruntur species obiectum cognitum repræsentantes: vna impressa, quæ est similitudo virtualis obiecti se tenens ex parte potentiæ, & illam constituens in actu primo ad intelligendum: altera est expressa, quæ dicitur conceptus, seù verbum, in quo intellectus cognoscit obiectum. De quibus ex professo, dum de anima agetur. Præsens quæstio de vtraque specie procedit. Pro quo.

Secundò notādum est, quod præsens quæstio non procedit de ente rationis resultato, sed tantùm de ficto; nam illud cum nihil fictum cōtineat, & verè existat, etiamsi ipsum non cognoscatur, sæpissimeq; à nobis cognoscitur, nullo cognito ente reali, v. g. cum dicimus, generitas est vniuersalitas, &c. Ideò intellectus in cognitione eorum ita se gerit, vt in cognitione relationum realium. In quo nulla potest esse difficultas, supposito hoc, quod diximus in præteritis quæstion. de eo. Quo notato.

438 Sit prima conclusio: Ens rationis fictum cū primò cognoscitur, cogno-

cognoſcitur per ſpeciẽ impreſſam entis realis, ad cuius ſimilitudinem formatur. Probatur: Ens rationis fictum, cum primò cognoſcitur, cognoſcitur per aliquam ſpeciem impreſſam; ſed non per propriam; ergo per ſpeciem impreſſam entis realis, ad cuius ſimilitudinem formatur. Maior patet, quia intellectus noſter cum ſit de ſe indeterminatus ad intelligendum aliquod obiectum, nõ poteſt aliquod intelligere, niſi determinatur ab illo per ſpeciem impreſſam aliquo modo ipſum repræſentantem. Minor verò probatur; quia ſpecies impreſſa propria alicuius obiecti repræſentans ipſum vt exiſtens ſupponit, obiectum repræſentatum exiſtere, antequam cognoſcatur; ſed non poteſt dari aliqua ſpecies impreſſa propria directè repræſentans aliquod ens rationis fictũ, per quam primò cognoſcatur, quæ ſupponat ipſum exiſtere; ergo ens rationis fictum, cum primò cognoſcitur, non cognoſcitur per ſpeciem impreſſam propriam. Maior patet; quia ſpecies impreſſa determinat potentiam ad cognitionem illius rei, quam repræſentat. Minor verò probatur: Ens rationis fictum nõ exiſtit, antequam primò cognoſcatur, ſed ſolum dum primò cognoſcitur, ab ipſa cognitione habet exiſtere; ergo non poteſt producere aliquam ſpeciem impreſſam ipſum directè repræſentantem, vt exiſtentem, per quam primò cognoſcatur. Hæc conſequentia patet; quia illa ſpecies ſupponit, obiectũ exiſtere, antequã primò cognoſcatur, quod non habet ens rationis fictum.

439 Quod autẽ ſit ſufficiens ſpecies impreſſa entis realis, ad cuius ſimilitudinem ens rationis formatur, ad primò ipſum cognoſcendũ. Probatur; quia per ſpeciem impreſſam alicuius rei poſſumus cognoſcere aliam rem, quæ eſt illi ſimilis; ſed ens rationis fictum formatur ad ſimilitudinem entis realis; ergo ſufficiens eſt ſpecies impreſſa entis realis, ad cuius ſimilitudinẽ formatur ens rationis fictũ ad ipſum primò cognoſcendum. Maior patet; quia in tantũ aliquid cognoſcitur, in quantũ illius ſimilitudo eſt in intellectu; cũ autẽ iſta ſimilitudo poſſit eſſe talis dupliciter; vel directè, ſi eſt propria ſimilitudo rei cognitæ; vel indirectè, ſi eſt ſimilitudo alteri⁹ rei ſibi ſimilis; cõſequẽs eſt vt cũ ens rõis ſit ad inſtar entis realis, vt poſſimus ipsũ cognoſcere per ſpeciẽ impreſsã entis realis, ad cuius ſimilitudinẽ formatur. Dixi cum ens rationis fictum directè cognoſcitur; nam ſi cognoſcitur indirectè, ideſt in propria cognitione, vt cum quis cognoſcit, ſe cognouiſſe aliquod tale ens; tùnc verè cognoſcit illud ens rationis per ſpeciem impreſſam repręſentantem ipſam cognitionem, & ipſum ens rationis ab ipſa cognitum, quæ ſpecies relicta fuit ab ipſa cognitione in memoria intellectiua. In quo nullus dubitare poteſt.

440 Primum argumentum magis conueniunt inter ſe homo, & Angelus, quàm ens reale, & rationis, ſed per ſpeciem impreſſam hominis non poſſumus Angelum cognoſcere; ergo neque per ſpeciem impreſſam entis realis poſſumus cognoſcere ens rationis.

Reſp. quod ad hoc, vt vnũ cognoſcatur

scatur per speciem impressam alterius, sufficit, vt inter se vel habeant aliquem ordinem, aut habitudinē: vel habeant inter se similitudinem, & tùnc illa species directè, seù primariò determinat intellectū ad cognitionem vnius, & indirectè, seù secundariò ad cognitionē alterius: At ens rationis fictum est essentialiter similitudo, licèt maximè imperfecta entis realis. Vndè relatio rationis ficta est apparens relatio realis, & hoc sufficit, vt vtraq; cognoscatur per eādem speciem impressam, realis primariò, & rationis secundariò: Homo autem, & Angelus, neque vnum ordinatur ad aliud, neq; est similitudo alterius.

441 Vltimum argumentum: Magis distant inter se ens reale, & rationis, quàm Deus, & creatura; cum Deus, & creatura cōtineantur intra obiectum specificatiuum nostri intellectus, nō autem ens rationis; sed nulla species impressa est dabilis, quæ simul deseruire possit ad cognoscendum Deum, & creaturam; ergo multò minùs dabitur vna species impressa, qua cognoscatur ens reale, & rationis.

Resp. ad minorem: quod Deus aliquo modo cognoscitur per speciem impressam creaturarum, quatenus istæ ad illum ordinantur; cum autē speciale sit enti rationis ficto, quod sit quædam apparentia entis realis; ideò potest quidditatiuè cognosci per speciem impressam entis realis.

442 Vltima conclusio: Ens rationis fictum non cognoscitur per speciem expressam entis realis, sed per propriam. Probatur; quia non implicat, quòd intellectus vnà cum specie impressa entis realis secundariò determinans intellectum, ad cognoscendum ens rationis fictum ad similitudinem illius entis realis, ad quod cognoscendum primariò determinet intellectum, producat speciem expressam entis rationis ficti: benè tamen est impossibile, quod intellectus cognoscat ens rationis fictum per speciem expressam entis realis; ergo ens rationis fictum non cognoscitur per speciem expressam entis realis, sed per propriam.

443 Prima pars anteced. patet, quia si hoc implicaret, maximè quia omnis species expressa propria alicuius obiecti est naturalis similitudo illius, & nulla specie expressa, cū sit ens reale, potest esse naturalis similitudo entis rationis; quia ens reale per se, & essentialiter non potest ordinari ad ens rationis, vt tùnc cōtingeret; sed propter hoc non implicat; ergo nullo modo hoc implicat. Minor huius probationis patet; quia non implicat id, quod est perfectius alio in genere entis, quod in alio genere ad illud ordinetur; sed species expressa entis rationis, licet in genere entis sit perfectior ente rationis, tamen in genere intelligibili est imperfectior illo, cum in tali genere perfectius sit obiectum, quā species illius; ergo non implicat, quod species expressa entis rationis ad illud ordinetur.

Præterea secūda pars antecedētis probationis nostræ cōclusionis etiā est manifesta; qa aliàs daretur æquiuocatio in mente; quia illa species repræsentaret plura, vt plura, quod est absurdum; & maximè, quia non posse-

possemus ens rationis cognoscere, nisi simul ens reale cognosceremus; quod est contra experientiam.

444 Nec valet dicere, quòd si ex specie expressa repræsentante secũdariò ens rationis, & primariò ens reale, sequitur æquiuocatio in mente, sequeretur etiam talis æquiuocatio ex specie impressa eodem modo se habente. Non, inquam, hoc valet; quia species impressa nõ est formalis similitudo obiecti, sicut expressa, sed tantùm virtualis, vt ex professo, cum de anima agemus, hoc ostendemus.

Ex dictis in hac disputatione apertè constat, quod entia rationis, de quibus Logica per se agit, sunt entia rationis resultata, quæ etiam secundæ intentiones communiter vocantur: cur autem sic vocentur, vt explicemus. Notare debemus, quod Dialectici sumunt nomen intentionis, prout idem est, ac quædam attẽtio; & ideò nomen intentionis tribuũt actibus intellectus, cuius proprium est attẽdere; & quia sæpè nomina ipsa actuum applicari solent obiectis eorum, ideò nomen intentionis sæpè vsurpant Dialectici pro obiectis actuum intellectus. Distinctionis tamen gratia actus ipsos appellant intentiones formales; obiecta verò intentiones obiectiuas.

445 Deinde vtramque intentionem diuidunt in primam, & secundam. Prima intentio formalis est actus intellectus, per quem cognoscuntur res secundũ illud esse, quod in re habent, & res sic cognita prima intentio obiectiua dicitur. Secunda intentio formalis est actus intellectus, per quem cognoscimus illud esse, quod aduenit rebus à certis cognitionibus. Et res per talem cognitionem cognita, secunda intẽtio obiectiua dicitur, v. g. cum cognosco hominem, vt rationalem: actus intellectus, per quem hoc facio, dicitur prima intẽtio formalis; homo verò prout sic cognitus dicitur prima intentio obiectiua. Præterea, cum cognosco prædicabilitatẽ, talis actus intellectus dicitur secunda intentio formalis, res verò per ipsam cognita, dicitur secunda intentio obiectiua.

446 Vnde constat, quod prima, & secunda intẽtio formalis est semper ens reale, vtpotè actus intellectus; secunda verò obiectiua semper est ens rationis. Prima autem obiectiua, licèt sæpè sit ens reale, aliquando tamen potest esse ens rationis: vt cũ aliquod ens rationis fictum cognoscimus, vel cum vnum ens rationis resultatum vt subiectũ alterius cognoscitur, vt cum de illis formamus propositiones, &c. Ex quo constat, quod rectè entia rationis, de quibus Logica per se agit, secundæ intentiones obiectiuè appellantur, cũ sint entia rationis resultata, quæ à logica cõsiderantur, vt adueniunt rebus, certo modo cognitis, & consequenter vt sunt secundæ intentiones; & dicta sint satis de tota hac secunda disputatione.

DISPVTATIO TERTIA,

In qua breuiter soluentur pręcipuæ quęstiones, quæ à modernis de vniuersali in communi in initio Logicæ exagitari solent.

447 *MEritò Doctores aliquas solent quæstiones in hoc loco de vniuersali in communi proponere, non secùs ac optimè ante categoriarum explicationem suscipiunt explicandum librum Porphyrij de quinque vniuersalibus; quia sicut hic est ianua ad illas; Ita hæc disputatio est introductio illius introductionis, & ideò sine timore labendi in aliquo periculo grato animo eam in hoc loco proponimus, in qua de natura vniuersali in tribus prioribus sectionibus agemus, in quarta verò eiusdē multiplicitatem inuestigabimus. Et ideo sit.*

SECTIO I.

De his, qui conueniunt naturæ in statu contractionis.

448 PRO intelligentia omnium, quæ in tota hac disputatione sunt dicenda notandū est primò, quod hæc vox, vniuersale, est quasi vnum versus alia, aut versus plura. Et quod in hac disputatione, non de vniuerso complexo, in causando, significando, vel repræsentando, agimus, quæ acceptiones vniuersi à Doctoribus hìc, præcipuè à Complutensibus explicantur, sed de vniuersali in essendo. Et sicut res tripliciter possunt dici vniuersalia .s. fundamentaliter remote, quòd vniuersum ab aliquibus physicum dicitur, & fundamentaliter proximè, seu metaphysicè, & tandē formaliter, seu logicè. Ita, vt habetur ex D. Th. 4. de ente, & essentia triplex status in natura distingui debet; scilicet status contractionis, quam habet propter realem contractionem ad indiuidua: & status secundum se, .s. quando natura considerątur secundùm sua prædicata essentialia, & tandem status abstractionis, quam habet natura ab intellectu.

449 Secundò notādum est, quòd cum vniuersum, vt constat ex Aristot. sit vnum, quod potest esse in multis, ideò ad hoc vt aliquid sit aliquo ex his tribus modis vniuersum aliquo modo debet esse vnū; & ideò in hoc loco quid, & quotuplex sit vnitas breuiter visum est explicare, licèt aliquid de hoc iam diximus disput. 1. quæst. vlt.

Est igitˉ vnitas, vt ex ibidē dictis cōstat carentia diuisionis, vnde tot erūt vnitates, quot sunt diuisiones, quia carentia specificatur, & cognoscitur per formam oppositā, & ideò sicut diuisio est duplex, .s. formalis, quæ causatur per principia formalia, seù per differentias essentiales; & materialis, quę causatur per principia materialia, seù per differentias indiuiduales, v. g. homo diuiditur, diuisione materiali non formali, in Petrū, & Paulum. Animal verò in Petrū, & Bucephalum non solum diuisione materiali, sed etiam formali; ita

vnitas

vnitas est duplex. Vna formalis, quæ est carentia diuisionis formalis: & alia materialis, quæ est carentia diuisionis materialis, ex quibus vnitas numerica est maior, quia nullam admittit diuisionem; vnitas autem formalis est minor, quia non excludit diuisionem numericam.

Deindè vnitas iterùm est duplex, vna positiua, & alia negatiua, prima est illa, quæ dicit carentiam diuisionis in entitate omninò indiuisa; secunda verò dicit negationem diuisionis in entitate, cui non repugnat diuidi, & ideò vnitas negatiua, & secundum quid, dicitur.

Præterea vnitas positiua est duplex, vna particularis, & alia cōmunis: prima est illa, per quam res singularis est omninò indiuisa: communis verò est illa, per quam aliqua res indiuisa manens in pluribus reperitur secundùm illam vnitatem.

Tandem vnitas positiuè communis diuiditur in numericam, specificam, & genericam. Tunc natura habet vnitatē numericam positiuè communem, quando manens eadē numero, & indiuisa reperitur in pluribus suppositis, v. g. natura Diuina, quæ indiuisa manens, & eadem numero identificatur cum tribus personis Diuinis realiter distinctis. Tūc verò natura habet vnitatem specificam, vel genericam positiuè communem, quando indiuisa manēs secundùm illud gradum specificum, vel genericum reperitur in pluribus realiter distinctis.

451 Demum optimè Thomistæ addunt quandam vnitatem, quam similitudinis vocant, quæ nihil aliud est quàm similitudo, per quā aliqua adsimilantur, quæ licet propriè non sit vnitas, quia tamen similitudo est veluti quædam identitas, ideò vnitas potest vocari; vndè in hac sectione inuestigabimus quænam vnitas ex explicatis, & quænam vniuersalitas ex dictis in statu contractionis conueniant naturæ. Pro quo sit.

QVÆSTIO I.

Vtrum à parte rei dentur naturæ vniuersæ.

452 HAEC quæstio excitatur propter Nominales, qui in duas classes diuisi duas parū probabiles opiniones sustinent. Prima classis est purè Nominalium asserētium, in rerum natura alia vniuersalia non reperiri pręter voces, quæ in significando vniuersalia dicuntur. Secunda classis est Conceptistarum asserentium, solos conceptus intellectus esse vniuersales, v. g. conceptus hominis, qui plura repręsentat, & ideò in rerum natura solum vniuersalia in repræsentando reperiri. Sed his non obstantibus, ne Hæretici in dialectica à D. Anselmo de Incarnatione cap. 2. appellemur.

Sit conclusio: à parte rei verè reperiuntur naturæ vniuersæ, & ideò præter vniuersalia in significando, & repræsentando datur vniuersum in essendo à parte rei. Prima pars conclusionis probatur. Res, de quibus Philosophia naturalis agit, reperiuntur à parte rei, sed res, de quibus Philosophia agit, sunt vniuersales: ergo à parte rei dātur res, seu naturæ vniuersæ. Maior patet, quia Philosophia naturalis est scientia realis: sed res, de quibus sciētia realis agit, sunt à parte rei; ergo res, de quibus philosophia naturalis agit, sunt à parte

 rei.

rei. Minor verò argumenti sic probatur: philosophia naturalis est vera scientia, vt ab omnibus conceditur, sed vera scientia solū tractat de vniuersalibus, quia vt habetur ex Aristotele 1. Post. & 5. & 11. scientia est de rebus vniuersalibus: ergo res, de quibus philosophia naturalis agit, sunt vniuersales.

453 Ex quo etiam secunda pars conclusionis manifesta manet; nam si res de quibus philosophia naturalis per se agit sunt à parte rei, & vniuersales, cum constet, quod prædicta scientia per se non agit de vocibus, & conceptus, manifestum manet, quòd prçter vniuersum id significando, & reprçsentando, datur etiā à parte rei vniuersum in essendo.

Deindè probatur secūda pars cōclusionis. Prædicationes in quibus genus de suis speciebus prædicat, & species de suis indiuiduis sunt veræ; sed non essent veræ si prçter vniuersum in significando, & in repræsentando non daretur vniuersum in essendo: ergo præter vniuersum in significando, & reprçsentando datur etiam vniuersum in essendo. Maior patet, quia istæ prædicationes: homo est animal, Petrus est homo sūt veræ, sed in prima genus de sua specie, & in secunda species de suo indiuiduo prædicat; ergo prædicationes in quibus genus de suis speciebus, & species de suis indiuiduis prçdicant sunt veræ; Minor verò etiam constat, quia si sola vox; animal, vel cōceptus eiusdem esset genus, tunc prima propositio redderet hūc sensum: Vox animalis est vox hominis; vel conceptus animalis est conceptus hominis; & ideò esset omninò falsa.

Primum argumentum: omne quod est, vel est creatum, vel increatum: Si increatum est singularissimum, s. Deus; si creatum, cum omne creatū sit terminus alicuius particularis actionis, non potest nō esse singularis, ergo omne quod est, singulare est, & consequenter à parte rei nō reperiuntur naturç vniuersæ.

454 Resp. negando secundam partem minoris: ad eius probationē dicimus, quòd licet verum sit, quod omne creatum sit terminus alicuius particularis actionis: quia tamen res dupliciter produci possunt; vel per se, vel ad productionem aliorum; ita dupliciter actionem, seu productionem terminare possunt, vel per se, vel ratione alterius; & ideò licèt verum sit, quod omne, quod per se terminat aliquam actionem sit singulare: non tamen omne, quod ratione alterius illam terminat: at naturæ vniuersæ nō producuntur, sed conproducuntur ad productionem singularium, & ideò non repugnat, quod sint vniuersales.

Secundum argumentum, si propter aliquam rationē essent admittendæ naturæ vniuersæ à parte rei, ideò esset, vt de rebus haberemus scientiam: sed hæc ratio est insufficiens; ergo à parte rei non dantur naturæ vniuersæ. Minor probatur, quia de singularibus possumus habere scientiam; ergo non est necesse poni à parte rei naturæ vniuersæ, vt de rebus possimus habere scientiā. Antecedens patet; quia licèt Deus sit singularissimus, de ipso tamen habemus scientiam: ergo de singularibus possumus habere scientiam.

Resp. negando minorem; ad eius pro-

probationem negamus maiorem, & ad eius probationem dicimus, quòd licèt de Deo habeamus scientiam, & ipse sit singularis; non tamen de alijs singularibus scientiam habere possumus; quia Deus cũ sit increatus, est prorsus incorruptibilis: Reliqua verò singularia, cum sint creata, non sunt prorsus incorruptibilia, cum saltem à suo Creatore corrumpi possint.

455 Tertium argumentum. Si daretur à parte rei vniuersum in essendo maximè secundæ substantiæ, quæ directè in recta linea prædicamenti substantiæ continentur; sed istæ non: ergo nullæ. Probatur minor: prędictæ secũdę substantiæ sũt voces; sed voces solum in significãdo sunt vniuersales; ergo secundæ substantiæ non sunt vniuersales in essendo. Maior patet ex Arist. cap. de Subst. vbi ait, quòd *Secundæ substantiæ significant quale quid*. ergo secundæ substantiæ sunt voces.

Resp. negando minorem: ad eius probationẽ negamus maiorem: ad cuius probationem dicimus, quòd Aristoteles in illo loco, re, pro nomine vtitur; nam sensus illius est. Nomina secundarum substantiarũ significant quale quid, vel dicimus, quod Aristoteles *significare* pro esse accepit.

QVÆSTIO II.

An naturæ vniuersæ sint à parte rei separatæ, vel inclusæ in singularibus.

459 QVia Heraclitus, & Cratillus nullam naturam vniuersã agnouerunt; sed omnia creata omninò singularia esse existimarunt, & quia singularia sunt corruptibilia, & in continuo fluxu omnẽ scientiam à mundo tulerunt. Heraclitus autem ad hoc venit delirium vt diceret (teste Arist. 4. Metaph. & D. Tho. ibidem) quod oportebat nil verbo dicere: quia veritas rei transibat, priusquã finiretur oratio; & ad exprimendum, quod volebat, solum digitum mouebat.

Quam Charybdin vt euitaret Plato, in hanc incidit Scyllam (vt ei imponit Arist.) vt poneret in singulis speciebus naturam communẽ existentem à singularibus separatam, quam ideam vocabat, & esse vniuersalem asserebat: sed vt, quid verum in hac re sit, expliceमus, relicta inuestigatione mẽtis Platonis, & Arist. & an ei hoc imponat; cũ de opinionibus Philosophorũ minùs sit curãdum, quàm de veritate rerum; ideò.

457 Sit prima conclusio. Opinio Platonis in eo sensu quo ab Aristotele traditur, & communiter à Doctoribus; s. quòd dentur naturæ vniuersæ à parte rei existẽtes extra singularia, est omninò falsa. Probatur primo, quod est de essentia alicuius non potest esse realiter distinctũ ab illo; sed naturæ vniuersæ sunt de essentia singularium: ergo nõ possunt ab ipsis esse realiter distinctæ; sed si naturæ vniuersæ essent à parte rei à singularibus separatæ, ab illis realiter distinguerẽtur; ergo naturæ vniuersæ, quæ à parte rei reperiuntur, non existunt extra singularia. Maior primi syllogismi patet; cum idem à se ipso realiter distingui nequeat. Maior quoque eiusdem argumenti est aperta, cum de illis verè prędicet. Minor verò statim subsumpta sic probatur, quod realiter ab alio est

ſeparatum, eſt ab ipſo realiter diſtinctum, nam vnum ex ſignis diſtinctionis realis inter duo eſt poſſibilis ſeparatio realis illorum; ergo, ſi naturæ vniuerſæ ſunt a parte rei ſeparatæ à ſingularibus, realiter ab illis diſtinguuntur.

458 Probatur ſecundò. Si naturæ vniuerſæ eſſent ſeparatæ à ſingularibus, vel eſſent diuiſibiles in plura cum multiplicatione; vel non: ſi nõ, ergo eſſent ſingulares; nihil aliud .n. intelligimus per naturam ſingularē, quam naturam ſic indiuiſibilem: ſi ſunt diuiſibiles, aut ſunt diuiſibiles in plures partes integrantes, & hoc non impedit quo minùs ſint ſingulares; nam Petrus eſt ſingularis, & eſt diuiſibilis in plures partes tales, v.g. in manus, pedes, &c. aut ita ſunt diuiſibiles, vt totaliter poſitiuè ſint in pluribus indiuiduis, & ſic non multiplicarentur in illis: ſed quælibet illarum eſſet eadem numero ſingularis natura in pluribus indiuiduis, & conſequenter non eſſet diuiſibilis, ſicut nec vnum corpus poſitum in duobus locis eſſet diuiſibile, aut anima informãs plures partes corporis eſt formaliter diuiſibilis: ergo, &c.

Alias probationes vide apud Io. Sanchez in Log. quæſt. 32. incommoda verò, quæ ex opinione Platonis hoc modo intellecta in noſtra fide ſequũtur, vide apud Arriagam diſp. 4. ſect. 2. Log. eaq; etiam inuenies apud Complut. diſp. 3. qu. 1.

459 Vltima concluſio. Expoſitio opinionis Platonis noſtri Lalemandet, quæ vt probabilis ab eodem adducitur diſp. 4. par. 3. Log. eſt omninò improbabilis. Scilicet, quod Plato potuit dicere, non repugnat dari ideas ſpecierum rerum, quæ in cõcauo Lunæ exiſtant, quæque in eſſendo ſint ſingularia, in repræſentando, & imitando vniuerſalia, ad cuius imitationem ab agentibus naturalibus fiant ſingularia talis ſpeciei; non ſecus ac Artifex ex imitatione ideæ, domus, quam in mente habet, plures domos facere poteſt, quæ ideæ eſſent incorruptibiles, & corruptis ſingularibus adhuc tales ideæ remanerent; ideoq; tales ideæ eſſent productæ, vt de illis haberetur ſcientia, & vt ad eorum imitationem agentia naturalia ſuos produceret effectus, ne caſu, & fortuitò agere dicerentur.

460 Probatur primò, vel illæ ideæ eſſent ſubſtantia, vel accidens, ſed neutrum dici poteſt; ergo repugnãt aſſignatæ ideæ. Minor probatur. In primis non poſſent eſſe accidentia, quia aliàs eſſent corruptibiles, & incorruptibiles, quod repugnat, nam eſſent incorruptibiles, vt ſupponitur, & eſſent corruptibiles: quia cũ inhererent alicui ſubiecto ſublunari corruptibili, ad corruptionẽ illius corrumperētur, cum ad corruptionem alicuius ſubiecti omnia accidẽtia illius corrumpantur, cum accidens de ſubiecto, in ſubiectum migrare non valeat: ergo illæ ideæ nõ eſſent accidentia. Deindè neque ſubſtantia; quia aliàs, vel eſſet materia, vel forma, vel compoſitum; ſed neutrum eſſe poſſent: ergo nõ poſſent eſſe ſubſtantia. Maior patet; quia omnis ſubſtãtia ſublunaris, vel materia, vel forma, vel compoſitum eſt, vt ex Ariſt. varijs in locis conſtat. Deindè probatur minor; in primis non poſſent eſſe materia, cũ materia

ſine

sine forma existere nequeat naturaliter in sententia oīum Peripateticorū ex quibus profitetur se esse pdictus auctor, quem impugnamus. Praeterea neq; forma, cū forma necessariò alicuius materiç sit forma; & aliquādo propriam materiam deberet informare; sed talis idęa numquā poterit hoc facere; ergo non poterit esse forma substantialis. Minor patet: quia si informaret materiā, esset corruptibilis, siquidem omnis forma sublunaris si non est entitatiuè spiritualis hoc ipso, quod materiam nformat, est corruptibilis; nam formæ, quæ non sunt entitatiuè spiriuales non possunt informare mateiam sublunarem, cùm illa sit radix :orruptionis talis formæ; neque aliā n loco sublunari, cū talis locus saltē aturaliter sit corruptibilis: quia ɔcus naturalis, & perpetuus alicui⁹ :i debet esse illi proportionatus. Ex uo etiam patet, quod talis idęa non osset esse compositum.

461 Probatur secundò; impossiile est, vt natura aliquid frustrà faat; sed, vt de rebus haberemus sciēım, frustrà fierent tales ideæ; ergo ım ad hoc præcipuè ponerentur les *ideæ*, vt de rebus scientiam haremus, vt ipse dicit, consequens ; vt frustrà fierent. Probatur mi- ɪr modò, quod de facto non dant tales idęæ, habemus scientiam de bus; ergo, vt de rebus scientiam beremus frustra essent tales ideæ; :c cōsequentia patet, quia frustra ınt per plura, quæ çquè benè posnt fieri per pauciora.

?robatur tandem. Si illæ ideæ porentur, ideò hoc esset, vt agentia :uralia ad eorū imitationem suos producerent effectus (vt ipse vult) sed ad hoc sunt omninò impossibiles; ergo impossibilis est explicatio opinionis Platonis Lalemādet. Probatur minor: in primis agentia naturalia sunt in suis operationibus ad vnum determinata: ergo non indigent idæis, à quibus determinentur. Deindè cum complurima agentia naturalia sint inanimata, quomodò possent percipere propriam idęam? vellem, vt ille hoc mihi explicasset. Tandem credo, quod sphęra ignis, vel tertia regio aeris, vbi essent tanquam in proprio loco, vt ab omnibus vtique degentibus inspicerentur non esset capax tam magno numero idæarum, maximè cum quælibet illarum, vt ab omnibus indiuiduis illius speciei percipere posset vbique degentibus, deberet esse vastæ magnitudinis.

462 Hęc opinio impugnaui exercitij gratia; vt doctissimus suus auctor nostræ sacræ Religionis Minimitanæ decor fecit illam inueniendo. Solùm autem notare volo, quod Peripateticum impugnaui doctrina peripatetica; nam plura, quod ibi adduco non cohærent cum his, quæ adducam in introductione ad apicē verorum Philosophorum, & hoc opto, vt notes, vt ne ad hominē me redarguas cū typis mandauero prædictam introductionem: dico enim tibi, quod in Logica ferè in omnibus peripateticos sequor, & suis vtor doctrinis; in introductione verò prędicta Electinus ero, & hoc dictū tibi sufficiat.

Primum argumētum contra primam conclusionem. Scientia est de rebus incorruptibilibus; sed est de-

vniuersalibus; ergo vniuersalia sunt incorruptibilia; sed si non existerent extra singularia non possent esse incorruptibilia; ergo existunt extra illa. Minor subsumpta patet: quia si essent in singularibus ad corruptionem illorum corrumperentur; nam vt docet Arist. cap. de substantia, (corruptis primis substantijs impossibile est aliquid illorũ remanere.

463 Respondetur distinguendo maiorem; scientiæ sunt de rebus incorruptibilibus secundùm existentiam nego: secundùm essentiam negatiuè, vel secundùm veritatẽ fundamentalem, seù secundùm identitatem negatiuam prædicati cum subiecto in propositionibus, concedo. Deindè distinguendum est primum consequens: vniuersalia sunt incorruptibilia secundùm essentiam negatiuè concedo; secundùm existentiam nego, & eodem modo distinguenda est minor statim subsumpta; ad eius probationem dicendum est, quod corruptis singularibus corrũpũtur etiam naturæ vniuersæ in illis inclusæ secundùm realem existentiam; nec verò secundùm essentiã, qa sic sunt negatiuè incorruptibilia.

464 Vltimum argumentum. Eo modo cognoscuntur res, quo sunt in se; sed per intellectum patibilem cognoscimus naturam separatã ab omni indiuiduo; ergo natura vniuersalis à parte rei existit separata ab indiuiduis.

Resp. negando maiorem; nã aliquando longè est diuersus modus essendi rerum à modo cognoscendi earum: nam lapis à parte rei est materialis, qui tamen percipitur ab intellectu modo immateriali, & sicut sensus in eodem lapide aliqua accidentia percipiunt non percepta substantia illius, & tamen ex hoc non sequitur dari talia accidentia à parte rei separata à substantia; ita neque ex antecedente argumenti sequitur consequens.

QVÆSTIO III.

An natura in statu contractionis aliquam vnitatem habeat, & quanam illa sit.

465 SVpposito ex præteritis quæstionibus, quod in singularibus reperiuntur naturæ vniuersæ, vt intelligamus quonam modo in hoc statu sunt, vniuersales, præsens excitatur quæstio; nam cum vniuersum sit vnũ in multis iuxta diuersas vnitates, quas habet natura in diuersis statibus diuerso modo est vniuersalis. Pro quo.

Sit prima conclusio. Natura in statu contractionis habet vnitatem formalem. Probatur primò; relatio similitudinis, vt ex Aristotele 5. Metaph. text. 2. habetur, fundatur in vnitate; sed inter Petrum, & Paulũ à parte rei datur relatio similitudinis; ergo in Petro, & Paulo à parte rei reperitur vnitas formalis, seù naturæ Petri, & Pauli in illis habẽt vnitatem formalem. Consequentia patet, quia talis relatio non potest fundari in vnitate numerica, cum in hac potius sint dissimiles; ergo fundatur in vnitate formali.

466 Probatur secundo: magis differunt Petrus, & Bucephalus à parte rei, quàm Petrus, & Paulus: ergo à parte rei in indiuiduis præter vnitatem numericã reperitur vnitas formalis: consequentia patet; quia Petrus præcisè ratione vnitatis numericæ

ricæ non magis differt à Bucephalo, quam à Paulo: ergo magis ab illo differt ratione vnitatis formalis.

Argumenta, quæ à Doctoribus adducuntur contra hanc conclusionem solùm probant, quod prædicta vnitas est realiter identificata cũ vnitate numerica, quod nos in sequenti quæstione explicabimus; nõ tamen, quod sicut Petrus est indiuisus materialiter, quod etiam formaliter indiuisus non sit, quod est id, quod nos in cõclusione dicimus; & ideò omittuntur.

467 Secunda conclusio. Vnitas formalis naturæ in statu contractionis non est negatiua. Probatur; Vnitas, quæ est identificata cum vnitate numerica non est negatiua; sed vnitas formalis naturæ in statu contractionis est identificata cum vnitate numerica: ergo non est negatiua. Probatur maior vnitas negatiua est carentia diuisionis in entitate cui nõ repugnat diuidi; sed hoc nõn potest conuenire illi vnitati, quæ est identificata cum vnitate numerica: ergo vnitas, quæ est identificata cum vnitate numerica non est negatiua. Minor patet; quia vnitas est identificata cum re, cuius est vnitas; ergo similiter subiectum vnitatis formalis erit identificatum cũ vnitate numerica, & cõsequẽter indiuisibile sicut ipsa.

Tertia conclusio. Vnitas formalis naturæ in statu contractionis non est communis multis positiuè; sed multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorũ. Probatur prima pars: differentia indiuidualis Petri identificatur cum natura eiusdem Petri, & vnitas numerica Petri cum vnitate formali naturæ eiusdem, sed differẽtia indiuidualis Petri non est cõmunis multis positiuè; neque eius vnitas: ergo neque natura humana Petri, & eius vnitas est communis multis. Maior quæstione sequenti ex professo probabitur. Minor ex se est manifesta, consequentia verò patet; quia ex duobus entibus realiter identificatis implicat aliquid realiter vni conuenire, quod non conueniat realiter alteri; quia aliàs idem cõueniret, & nõ conueniret eidẽ entitati.

468 Ex quo secunda pars eiusdẽ cõclusionis sic primò probatur. Implicat in creatis, quod ea, quæ sunt realiter idẽ vnum multiplicetur realiter non multiplicato alio; sed differentia indiuidualis, & vnitas numerica eiusdem in indiuiduis sunt idem realiter cum natura eiusdem, & cũ vnitate formali ipsius: ergo implicat, quod ad multiplicationem differentiarum indiuidualium, & vnitatũ numericarum non multiplicentur naturæ eorum, & vnitates formales earum; sed ad multiplicationem indiuiduorum multiplicantur differẽtiæ indiuiduales, & vnitates numericæ: ergo & naturæ, & vnitates formales, & consequẽter tot erunt naturæ, quod indiuidua, & tot vnitates formales, quot numericę à parte rei.

Probatur secundò eadem secũda pars conclusionis: vnitas formalis est passio naturæ, sed passiones naturæ multiplicantur ad multiplicationem indiuiduorum; ergo & vnitas formalis naturæ multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorũ. Maior patet: nam ideò natura est vna forma, seù habet vnitatem formalẽ, quia ei essentialiter competit esse forma. Minor verò etiam est manifesta;

festa; quia alia est risibilitas Petri, & & alia Pauli.

469 Vltima conclusio: natura in statu contractionis habet vnitatem cōformitatis, aut similitudinis. Probatur: illa habent talem vnitatem, de quibus eadem prædicata essentialia prædicantur: sed de omnibus naturis humanis, v.g. quorumcunque indiuiduorum illius naturæ prædicantur eadem prædicata essentialia: ergo natura à parte rei, seù in statu cōtractionis habet vnitatem cōformitatis, seù similitudinis.

Dices contra secundam conclusionem, quæ est præcipua ratio nostri Lalemandet contrarium sustinētis disput. 4. Log. partit. 4. illud est vnum à parte rei in Petro, & Paulo, in quo conueniunt vniuocè; sed in natura humana conueniunt vniuocè: ergo natura humana est vna in illis ante opus intellectus.

470 Resp. negando maiorē: nam à parte rei Petrus, & Paulus non habent aliquod, quod sit vniuocū formaliter; sed tantùm fundamentaliter remotè: quia omne formaliter vniuocum est formaliter vniuersale: natura autem in indiuiduis non est formaliter vniuersalis, vt quæst. vltima dicemus.

Contra solutionem instat. Petrus, & Paulus per id sunt homines, per quod conueniunt in natura specifica; sed per nos tantum conueniunt fundamentaliter: ergo sunt tantùm fundamentaliter homines.

Resp. negādo maiorem; nam Petrus, & Paulus non conueniunt à parte rei in aliquo; sed tantùm sunt vtriq; homines; quia habent naturas similes in prædicatis essentialibus.

471 Sed instat. Quæ participant eandem naturam formalem à parte rei sunt idem formaliter: sed Petrus, & Paulus à parte rei participant eādem naturam formalē; ergo à parte rei sunt idem formaliter.

Resp. negando minorem: nam licet naturæ humanæ Petri, & Pauli à parte rei non habeant aliquid, per quod formaliter distinguantur, non tamen sunt idem formaliter: quia ad hoc desiderabatur, quod talis natura in illis esset positiuè cōmunis, quod non habet, vt patet ex tertia conclusione.

QVAESTIO IV.

An vnitas formalis, & numerica, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, distinguantur, & quo modo.

472 Decisio huius quæstionis ex alia maxima maximè pendet, quæ inter Thomistas, & Scotistas in metaphysicis exagitatur; an scilicet detur aliqua distinctio media inter realem, & rationis; & ideò licet hoc sit negotium metaphysicum; tamen propter rationē assignatam Moderni illam ad hunc locum transtulerunt, vt Complutenses, Io. de S. Tho. Mastrius, Comptonus, & alij multi, nos autem propter eandē rationem, qua potuerimus facilitate hìc soluemus, latiùs alibi, vt illa soluta propositam radiciùs soluere possimus. Pro quo sit:

QVAESTIO V.

Vtrum detur distinctio formalis actualis ex natura rei media inter realem, & rationis.

473 Hoc nomen distinctio significat carentiam identitatis; an

an autē formalitas distinctionis importet aliquod positiuū, vel potius in sola negatione consistat, est difficultas inter Doctores; at verò cum hic fiat sermo de distinctione communissimè sumpta, nolumus in hoc laborare, quia distinctioni sic acceptæ non est aliqua ratio communis vniuoca.

Meritò omnes Doctores conueniunt in hoc, quod omnis distinctio, vel est per operationem intellectus, vel ex natura rei, nam sicut omne ens, vel est per suam naturam, vel per intellectum: ita omnis identitas, quæ est passio entis, erit quoque vel per intellectum, vel ex natura rei, & cum carentiæ non possint excedere numerum formarum positiuarum quas priuant, hinc fit, quod eo modo est diuidenda distinctio, quo modo ens, & vnitas, seu identitas; ergo cum ens primò diuidatur in illud, quod habet esse extra operationem intellectus, & in illud, quod solum per talem operationem esse habet: ita, & distinctio primò est diuidenda in distinctionem ex natura rei, & in distinctionem rationis.

474 Magna lis est inter Thomistas, & Scotistas quonam modo primum membrum istius diuisionis diuidi debeat: Scotistæ illud diuidunt in distinctionem ex natura rei realem, & in distinctionem ex natura rei formalē actualem, istam enim dicunt esse illam, quæ non inter res sicut prima: sed inter realitates eiusdem rei versatur, quam per abnegationem mediare censent inter distinctionem ex natura rei realem, & inter distinctionem rationis; & dicūt se maiorem ista, & minorem illa. Hoc autem modo explicant res, & realitates: dicunt enim, quod omnis res est aliquod ens: realitates verò dicunt non esse entia aliqua: sed aliqualitates, seu formalitates identificatas in aliquo ente. Hoc notato.

475 Sit conclusio. Malè diuidūt Scotistæ, & cū illis noster Aegidius Moncurtius in Typo omnium sciētiarum distinctionem ex natura rei in distinctionem ex natura rei realē, & in distinctionē ex natura rei formalem actualem; quia non datur distinctio formalis actualis ex natura rei: sed est figmentum Scotisticum, hanc distinctionem impugnabo sumendo partem Thomistarum pro quo vellem, vt notes id, quod dixi quæst. 2. ante primum argumentū.

476 Probatur primò: ea quæ distinguuntur actualiter à parte rei eo modo quo sunt à parte rei distinguūtur, sed nihil est à parte rei, quod pro vt sic non sit ens: ergo quæ à parte rei actualiter distinguuntur, non vt formalitas à formalitate; sed vt ens ab ente distinguuntur, & consequēter distinctio Scotistica est figmentum eorum. Maior patet; quia repugnat quod aliquis modus à parte rei distinguatur ab aliqua re, & nō distinguatur vt modus à re: quia distingui, vt talia supra hoc, quod est distingui, tātum dicit esse talia, ergo ea, quæ à parte rei distinguuntur, eo modo quo sunt à parte rei distinguuntur. Minor etiam constat: quia ens intrinsecè includitur in omni illo, quod à parte rei reperitur, cū per se de illo prædicet. Vltima cōsequentia ex toto argumento euidenter sequitur; quia cum distinctio Scotistica à parte rei inter ea, quæ à parte

parte rei sunt, ponatur, & implicet aliquod esse à parte rei, & pro vt sic non esse ens, & vt ens ab ente distingui à parte rei, vt probaui; implicabit quoq; distinctio Scotistica cum à parte rei,& non inter entia ponetur.

477 Sed ex doctrina Scotistarum ad hanc rationem fortè respōdebis, quod licèt aliquæ formalitates intrinsecè includant ens, & sint entia, non tamen sunt res, quod habere deberent,vt ex natura rei realiter distinguerentur; quia id solum est res, quod est capax propriæ existentiæ.

478 Sed contra est, quod ens, & res sunt synonima, & vnum ab alio in significatione non differt,vt benè probat Mastrius disp. 4. Metaphysicæ quæst. 2. ergo si formalitates sunt entia sunt etiam res. Deindè totū, & partes illius vnitæ distinguuntur realiter per Scotistas, & consequenter sunt duæ res; sed non sunt capaces propriarum existētiarum distinctarum; ergo malè dicunt, quod res solum sunt illa entia, quæ sunt capacia propriarum existentiarum.

479 Tandem si id solùm est res, quod est capax propriæ existentiæ, separatio, vel separabilitas duorum non solum est sufficiens signum distinctionis realis, sed etiam adæquatū, quod in nulla schola admittitur.

Vndè Mastrius dicit,quod res pro vt à formalitate distīguitur, est quod per veram efficientiam,& physicam causalitatem accipit esse, siue solitariè possit existere, siuè non.

Sed contra est; quia per Mastriū, & alios Scotistas totum physicum, & partes vnitæ illius sunt duæ res,cū realiter per ipsos distinguantur,& distinctio realis inter duas res versetur in Schola Scotistarum: sed totum, & partes vnitæ per duas veras, physicas efficientias non accipiunt esse, cum per eandem efficientiam materia, & forma vniantur,& compositū habeat esse; ergo vel nō sunt duę res, vel malè explicat rem Mastrius, pro vt distinguitur à formalitate. Probatur cōsequentia,duo quæ realiter differunt non possunt per eamdem numero efficientiam habere esse, nisi vnum primariò,& aliud secundariò illud habeat: ergo cum æquè primariò materia, & forma vniantur,ac compositum constituatur per eamdem numero efficientiam, consequens est, vt vel totum, & partes vnitæ sint duæ res,vel malè res,prout distinguitur à formalitate, à Mastrio explicatur.

480 Primum argumentum:plura realiter idētificantur in aliqua re, de quibus à parte rei actu verificantur contradictoriæ; sed contradictoriæ non possunt à parte rei actu verificari nisi de illis, quæ à parte rei sunt actu distincta: ergo à parte rei datur distinctio actualis formalis. Maior patet: quia animalitas,& rationalitas à parte rei identificantur in homine de quibus tamen à parte rei actu verificatur, quod vnum sit principium radicale, ratiocinandi scilicet rationalitas, non verò aliud scilicet animalitas. Minor etiam est manifesta, quia cōtradictio talem infert distinctionē,qualem ipsa est: ergo à parte rei actu non possunt verificari contradictoriæ nisi de illis, quæ actu à parte rei, seu ex natura rei sūnt distincta. Consequentia argumenti etiam est valdè nota, quia cum dentur aliqua, vt patet ex dictis in antecedenti

cedenti huius argumenti, quæ à parte rei sunt eadem res, & tamen à parte rei actu distinguuntur, nõ possunt non distinctione formali actuali ex natura rei distingui.

481 Resp. negando minorē; nam de eodem secundùm diuersas rationes possunt cõtradictoriè verificari, præsertim quando contradictio fit ratione alicuius reduplicationis, seu specialis modi concipiendi; quia sufficit distictio virtualis, ratione cuius aliqua non sunt idē omninò, & adæquatè. Ad probationem verò eiusdem minoris dicimus, quod contradictio actualis infert distinctionem actualem in extremis, inter quæ versatur, v.g. inter esse, & non esse, inter contraria, &c. sed non in subiecto, cui conuenit; sufficit enim, quod subiectum virtualiter sit diuersum, & sub diuersa ratione contradictoria admittat.

Secundùm argumentū: in homine, v.g. à parte rei actu reperitur formalitas animalis, & formalitas rationalis: sed istæ formalitates in homine à parte rei actu nõ distinguuntur, vt res à re; cum in eadem re identificentur; ergo distinguuntur à parte rei actu, vt formalitas à formalitate, & cõsequenter distinctione formali actuali ex natura rei.

482 Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam licèt verum sit, quod in homine actu à parte rei reperiantur formaliter animal, & rationale, non tamen vt duæ formalitates actu distinctæ: sed solum virtualiter; quia licèt sint à parte rei actu, & formaliter idem; non tamen adæquatè, seu ex omni parte; quia vnum non est de essentia alterius, & ideò nec de conceptu illius. Ex quo non sequitur, quod aliquo modo à parte rei actu distinguantur: sed solum, quod vnū non est de essentia alterius.

Vltimum argumentū: multa realiter identificantur, quæ varijs definitionibus definiuntur, v. g. animal, & rationale in homine; sed quæ varijs definitionibus essentialibus definiūtur, distinguuntur ante intellectum: ergo cum nõ distinguantur realiter, formaliter actu, à parte rei distinguuntur. Minor patet; quia cū definitio explicet essentiam rei, variç definitiones diuersas essentias à parte rei explicant; si res definitæ non sunt entia rationis.

483 Resp. cõcedendo maiorem, & negando minorem: nam cum definitio fiat per actum intellectus, diuersitas definitionum non arguit distinctionem rerum; sed diuersos cõceptus earumdem; & ideò licet in homine animal, & rationale varijs definiantur definitionibus, nõ propter hoc inter illa in ipso aliqua distinctione actuali ante opus intellectus reperitur; sed solum virtualis quatenus .s. identificantur realiter, & vnum non est de essentia alterius, & ideò diuerso concipiuntur conceptu, & ratione talium conceptuū diuersis definitionibus definiuntur.

Supposito ex dictis, quod distinctio ex natura rei, seu distinctio, quæ reperitur inter illa, quæ nullo intellectu cogitante vnum non est aliud malè à Scotisticis diuidatur in distinctionem ex natura rei realem, & distinctionem ex natura rei formalem actualem, videndum est modò breuiter quomodò diuidatur.

484 Di-

484 Diuiditur igitur distinctio ex natura rei in negatiuam, & positiuã; prima est illa, quæ versatur inter ens, & non ens, vt inter oculum, & cæcitatem, vel inter duo non entia, vt inter cæcitatem, & surditatem: secunda verò est illa, quæ inter duo entia realia versatur, quæ subdiuiditur in distinctionem realem positiuam rei à re, quæ est illa, quæ versatur inter duas res prout res à modo distinguitur, v.g. tali distinctione homo à leone distinguitur: & alia modalis, quæ est illa, quæ inter modũ, & rem versatur, vt inter naturam substantialẽ, & subsistentiam: vel inter duos modos, vt inter vnionẽ, & subsistentiã.

Circa distinctionẽ modalẽ est notandũ, quòd licèt modi valdè differãt à reb⁹ (sũpta re in peculiari quadã acceptione) sunt tñ verè entia; nã ens in sua generali ratione cõis est entitati, quod est res; & entitati, quod est modus; res enim est ens perfectũ, & completum; & modus est etiam ens, licèt imperfectũ, & incompletum, vnde res, & modus à parte rei afferunt duas entitates, alteram perfectam, alteram imperfectam; & sic quando destruitur modus, & manet res, tunc aliqua entitas desinit esse.

Præterea est notandũ, quòd modus duo habet. Primum est determinare, & modificare aliquam rem, illam afficiendo, ita vt sine tali re nõ possit consistere etiam de potentia Dei absoluta; Secundum est addere illi rei aliquid incompletum, & imperfectum in sua linea, vnde subsistentia est verè modus substantiæ, complens illam vt quid incompletũ in illo genere, & ideò licèt relatio, v.g. ita pendeat à suo subiecto, vt nullatenus sine illo valeat existere, in quo valdè assimilatur modis, tamen quia est quid perfectũ, & completum in suo genere, quod est contra rationem modi, nullatenus est modus, sed res debilissimæ entitatis.

Præterea distinctio realis rei à re diuiditur in essentialem, accidentalem, & includentis ab incluso. Prima est illa, quæ causatur per principia essẽtialia; qua distinctione distinguuntur res diuersi generis, vel speciei, vt homo, & planta. Secunda verò est illa, quæ causatur per principia accidentalia; qua distinctione distinguitur homo albus ab homine nigro. Tertia tandẽ est illa, quæ inter totũ, & partẽ versatur; qua distĩctione tot⁹ homo à brachio distĩguitur.

485 Distinctio rationis est illa: inter ea versatur, quæ cum à parte rei actu sunt idem, concipiuntur ab intellectu, vt actu plura; quæ diuiditur in distinctionem rationis ratiocinantis: & in distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima est illa, quæ versatur inter ea, quæ sunt à parte rei omninò idem; ab intellectu verò ratione alicuius comparationis à se factæ, vt duo concipiuntur, v.g. quando Petrus prædicat de se ipso in propositione identica, tunc intellectus ratione comparationis eiusdem ad se ipsum Petrum vt duplicatum cõcipit: Secunda verò est illa, quæ versatur inter ea, quæ à parte rei sunt omninò actualiter idem; licèt virtualiter sint diuersa, v.g. animal, & rationale in homine tali distinguuntur distinctione, vt infra dicemus.

486 Hic tamen non est prætereũdum, quod noster Lalemandet in Metaphys. disp. 3. part. 2. dicit, quod noster

noster Durelleus in sua Logicothęa delusus fuit, dum nititur Scotum cũ Thomistis cõcordare dicẽdo, quod per distinctionem formalem intelligit distinctionem rationis ratiocinatæ. At certè magis ipsum delusum esse puto, dum ibidem concordare intendit Scotistas cum Thomistis dicens, quòd Thomistæ dum dicunt omnem distinctionem esse realem, vel rationis, si postea diuidant realẽ, in realem quæ sit inter ea, quæ sunt ad inuicem separabilia, & inter ea, quæ sunt quidem realia, non tamen ad inuicem separabilia, tunc coincidit opinio Thomistarum cum opinione Scotistarum; illa enim realis distinctio, quæ est inter ea, quæ non possunt ad inuicem existere separata, alia non est, quam distinctio ex natura rei Scotistarum; nam dictum Durellęi etsi non certũ, imò nec verũ, vt benè probat Mastrius in Metaph. disput. 6. quæst. 11. est tamen valdè probabile, inter alia, quia à multis grauissimis viris defenditur, vt ab Herrera tom. 1. disp. 8. qu. 13. & disp. 14. qu. 1. Suario in Metaph. disp. 7. sect. 1. & lib. 4. de Trin. cap. 4. Salas prima secundæ, quæst. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 3. Hurtado disp. 6. sect. 3. §. 27. & ab alijs non paucis. Dictũ tamen Lalemandet omninò pugnat cum communi doctrina Scotistarũ; nã Scotistæ vno excepto distinctionem realem rei à re ponũt inter totum, & partes illius vnitas, quæ tamen in nulla sententia possunt ad inuicem separata existere, & inter relationem, & fundamentum omnes Scotistæ distinctionem realem admittunt, qui tamen negant vllo modo posse separata ad inuicem existere; quod etiam in multis alijs in doctrina illorum euenit.

487 Pro cõplemento huius quęstionis notandum est; quod primus, & vnicus Philosophus Bonauenturista, nomine Galitius in Summa totius dialecticæ lib. 1. tract. 2. cap. 5. ait, quod Scotus nõ auctor, sed promotor, & propugnator fuit distinctionis formalis ex natura rei; quia multo antea tali distinctione vsus fuit D. Bonauentura, & capite antecedenti dicit, quod illa distinguũtur ex natura rei realiter, quæ distinguũtur, vt res à re; & illa distinguuntur, vt res à re, quæ sunt inuicem discreta; ita vt faciunt numerum, v. g. materia, & forma quando vtraque de facto determinantur; nam cum sunt inuicem connexæ non distinguuntur, vt res à re, sed distinctione ex natura rei formali. Quod vltimum probat eo, quod illa solum distinguuntur, vt res à re, quæ faciunt numerum, sed illa sola faciunt numerum, quæ sunt inuicem per quantitatẽ discreta, quia numerus est species quantitatis discretæ, ergo &c.

488 Et dicit, quod non facit contra hoc, quod materia, & forma coniunctæ possint ad inuicem separari saltem per Dei potentiam, quia distinctio non respicit potentiam, sed actum; nam aliàs plures partes vnius continui essent distinctæ, vt res à re, quod est falsum: deindè dicit, quòd non valet dicere, quod materia, & forma vnitæ sunt plures entitates, quia hoc solum est verũ metaphysicè loquendo de illis; nam physicè sunt vna tantum entitas; multiplicitas enim entitatum metaphysicè nõ attenditur pęnes realem distinctionem,

nem, sed solū pęnes formalem. Ne mireris si iisdem omninò verbis nō reffero pręfatam doctrinam; quia in sensu non credo discrepare ab auctore illius, quod existimaui necessarium, cum in hac materia sint insitati termini Illius, vt ab omnibus facilè intelligatur.

Præterea cap. 4. citato dicit, quod illa distinguuntur ex natura rei formaliter actualiter, quę à parte rei nō sunt omninò idem, & non sunt inuicem discreta, nec faciunt numerū.

489 Video istum Bonauenturistā concordem cū Scotistis in assignandis distinctionibus ex natura rei, sed ab ipsis discordem in explicando auctorem distinctionis ex natura rei formalis, nec non in explicandis dictis distinctionibus: sed de his nihil à me circa verò distinctionem formalem ex natura rei prout ab ipso proponitur.

Dico, quòd iā ex supra dictis manet impugnata, cum ipse in summa totius philosophiæ Aristotelicæ p. 1. lib. 1. tract. 6. quæst. 5. ponat eam inter animal, & rationale in Petro, & certè mirum est id, quod homo iste, qui modestiam profitetur satis immodestè dicit loco primo citato, & cap. 3. s. quod non est suum propositum ea omnia, quæ prolixissimè de natura, varietate, & differētia distinctionum ab vtriusque Scholæ Thomicæ, & Scoticæ Doctoribus in medium afferri consueuerunt perpendere; cum præsertim ipsi quoquè alterutrius Scholæ Magistri, ac discipuli adeò inuicem diffideant, & adeò confusè loquantur, vt ipsimet vix sciant quid dicant, sed nō minor huius dicti propter ea, propter quæ nec miratus fui de alio dicto ipsius in introductione, lib. 1. sect. 5. credo enim quod fortè ipse vix sciat, quid dicat; cum ponat tantam distinctionem inter animalitatem, & rationalitatem Petri, ac inter materiam, & formam eiusdem, & inter ipsum, & suam albedinem, quod omninò impossibile iuxta communem, & verā doctrinam existimo, de qua re dicta pro nunc sint satis; nam de hoc latiùs alibi eo dante.

Resolutio quæstionis quartæ.

490 EX dictis in pręterita quęstione manifestè apparet, quomodò quarta quæstio huius primæ sectionis sit soluenda; nam cum incōfessum sit apud omnes, quod nulla distinctione reali à nobis assignata distinguantur, & sit probatum nō dari distinctionem mediam Scotisticam, necesse est, vt ratione distinguantur; quod vt euidens ex omni parte maneat.

Sit prima conclusio. Vnitas formalis, & numerica in indiuiduis si id, quod in eis negatiuum est, attendatur, realiter distinguuntur. Probatur, negatio quam importat vnitas numerica realiter negatiuè distinguitur à negatione, quam importat vnitas formalis in vnoquoque indiuiduo; nam diuisio materialis, & formalis specie distinguuntur: ergo & negatio diuisionis materialis specie distinguitur à negatione diuisionis formalis: sed quæ specie distinguūtur, distinguuntur numero, & quæ numero distinguuntur, realiter distinguuntur: ergo vnitas formalis, & materialis in indiuiduis, si id quod negatiuum est in ipsis attendatur, reali-

realiter negatiuè distinguuntur.

491 Secunda conclusio. Vnitas formalis, & numerica in indiuiduis, si id quod in eis positiuum est, attendatur, non distinguuntur realiter. Probatur: Eo modo istæ vnitates sic consideratæ inter se distinguuntur, quo modo distinguuntur illa, quorum sunt vnitates; sed sunt vnitates naturæ specificæ, & differentiæ indiuidualis, quæ in indiuiduis nulla distinctione reali actuali distinguuntur: ergo neque prædictæ vnitates sic consideratæ realiter distinguuntur. Maior patet; quia vnitates istæ nihil positiuum important nisi entitates illorum, quorum sunt vnitates, quas de materiali important. Minor verò probatur; quia si natura specifica realiter à differentia indiuiduali differret, species per se de indiuiduo nō prędicaret: sed per se de illo prędicat: ergo natura specifica non distinguitur realiter à differentia indiuiduali.

Ex hac conclusione apertè deducitur, quòd vnitas formalis, & materialis in vnoquoque indiuiduo, si id in eis positiuum est, attendatur, ratione distinguantur; nam cum non distinguantur realiter, & distinguantur, necessè est ratione distingui, cū sit probatum quæstione præterita, omnem distinctionem, vel realem, vel rationis esse; solum igitur restat difficultas qua distinctione rationis distinguantur: ad cuius solutionē sit.

492 Vltima cōclusio. Vnitas formalis, & numerica in vnoquoque indiuiduo, si id quod positiuum est, attendatur in eis, distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ. Probatur. Illa, quæ ab intellectu cum fundamento in re distinguuntur, distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur: Sed prædictæ vnitates sic consideratæ ab intellectu cū fundamento in re distinguuntur: ergo distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur. Probatur minor quò ad primam partem: prędictæ vnitates à parte rei sic consideratæ nō distinguuntur: sed intellectus concipit illas, vt distinctas: ergo distinguūtur ab intelectu. Deinde eadē minor quò ad secundam partē sic probatur. In illis intellectus reperit fundamentum distinctionis in quibus à parte rei reperit distinctionem virtualem: sed inter prædictas vnitates sic consideratas reperitur à parte rei distinctio virtualis: ergo distinguuntur ab intellectu cum fundamento in re. Probatur minor. In illis intellectus à parte rei reperit distinctionem virtualem, quæ sunt idem realiter, & vnum non est de essentia alterius: sed prædictæ vnitates modo dicto consideratæ, ita se habent: ergo inter prædictas vnitates modo dicto consideratas reperitur distinctio virtualis à parte rei.

493 Primum argumentum. Eo modo istæ vnitates quo ad positiua distinguuntur, quo modo partes totius Metaphysici inter se: sed istæ distinguuntur distinctione formali actuali ex natura rei, ergo & illę. Maior à nullo negatur. Minor verò probatur; quia partes cuiuscumque compositionis eo modo inter se debent distingui, quo modo est talis compositio: sed compositio metaphysica est ante intellectum: ergo & partes eius ante intellectum formaliter distinguuntur; maior patet, quia par-

tes compositionis physicæ realiter distinguũtur, quia sunt partes compositionis realis. Minor verò probatur; quia si ista compositio non esset ante intellectum, esset omninò rationis, & consequenter Deo non repugnaret: sed repugnat Deo: ergo est ante intellectum. Maior quò ad vltimam partem constat; quia sicut non repugnat ponere in Deo plures distinctiones rationis, vt inter attributa, & essẽtiam, & inter relationes, & essentiam; ita si compositio metaphysica esset rationis, non repugnaret Deo.

494 Resp. negando minorem; ad eius probationem iterum negatur minor; ad cuius probationem concedimus, quod prędicta compositio est rationis; negamus tamen quod non repugnet Deo; ratio est, quia est cum fundamento in re, quod fundamentum in Deo non repetitur; quia cum sit actus purus non habet aliquid minus determinatum, & actuabile; & aliquid magis determinatũ, & actuans; seu contrahens, quod requirebatur, vt tale fundamentum haberet.

Secundum argumẽtum. Eo modo distinguuntur vnitas formalis naturæ humanæ ab vnitate indiuiduali in Petro quo ad positiua, quo modo vnitas formalis animalis cum vnitate formali rationalis in eodẽ: sed istæ vnitates distinguuntur ante intellectum: ergo & illæ. Probatur minor; Illa quæ possunt ad inuicem separari, distinguuntur ante intellectum: sed prædictæ vnitates possunt ad inuicem separari: ergo distinguuntur ante intellectum. Probatur minor. Illa possunt separari, quæ possunt vnum sine alio reperiri: Sed prædictæ vnitates possunt vna sine alia reperiri: ergo possunt ad inuicem separari. Minor patet, quia prædictæ vnitates quò ad positiua considerata nihil aliud important, quam entitatem animalis, & rationalis: sed istæ entitates vna sine alia reperiri potest, immò in homine, & leone sic reperiuntur; ergo prædictæ vnitates quoad positiua, vna sine alia reperiri potest.

495 Resp. distinguendo minorẽ: prædictæ vnitates quò ad positiua distinguũtur ante intellectum in diuersis indiuiduis cõcedo, in eodem, nego; nam solum in diuersis suppositis reperiuntur separatæ; in eodem verò sunt prorsus inseparabiles.

Vltimum argumentum: quæ ante intellectum nõ distinguuntur, relationes realiter diuersas fundare nõ possunt: sed vnitas formalis, & numerica quò ad positiua fundant relationes realiter diuersas; ergo distinguũtur ante operationem intellectus. Probatur minor; quia relatio realis similitudinis in natura, quam Petrus dicit ad Paulum fundatur in vnitate formali, & nõ in vnitate numerica, è contra verò relatio dissimilitudinis, quam idem Petrus dicit ad Paulum ratione singularitatis fundatur in vnitate numerica, & non in vnitate formali: ergo prædictæ vnitates fundant relationes realiter diuersas.

Resp. distinguẽdo maiorem; quæ ante intellectum nõ distinguuntur, non possunt fundare relationes solo numero diuersas, concedo: relationes specie diuersas, nego; nam eadẽ quantitas bicubita est æqualis respectu

ctu alterius bicubitæ, & inæqualis respectu alterius tricubitæ; similitudo.n. specie à dissimilitudine differt.

QVÆSTIO V.

Quonam modo natura sit vniuersalis in statu contractionis.

496 CVm ex quæstione prima huius sectionis constet, quod à parte rei reperiuntur naturæ vniuersæ, & ex secunda, quod prædictæ naturæ sint contractæ in singularibus; ideò modò quærimus, quonam modo in tali statu sunt vniuersales; an .s. fundamentaliter remotè, proximè, vel formaliter. Proquo.

Sit prima cõclusio: natura in statu contractionis nõ est formaliter vniuersalis, seu Logicè. Probatur primo ex Arist. 2. poster. cap. vlt. vbi ait, quod *vniuersum est vnum præter multa, quod in omnibus illis est idem*: ergo vnitas vniuersalis formalis non debet esse multiplicata in inferioribus: sed vnitas naturæ in statu cõtractionis est multiplicata in inferioribus; ergo talis vnitas non est vniuersalis formalis, & consequenter natura in tali statu nõ erit vniuersa formaliter.

497 Probatur secundo cũ Complutensibus hic: hæc prędicatio homo est vniuersalis formaliter, est accidentalis; sed prædicatum illius nõ est entitatiuè substantia; quia etiam plura accidentia sunt vniuersalia; ergo formaliter est accidens; non realis ergo rationis; & cõsequenter homo non habet illud ex eo, quod est contractũ in hoc, vel illo indiuiduo: sed ab intellectu. Maior patet; quia si esset essentialis, prędicatum conueniret omni cõtento sub obiecto, & ideò esset verum dicere Petrus est formaliter vniuersalis, &c. per quod etiam patet prima consequentia .s. quod non sit accidens reale, quia nõ continetur in aliquo determinato prædicamento.

Contra hanc cõclusionem dices: multa prædicata realia prædicant de naturis quatenus vniuersalia sunt, vt quod sint obiecta scientiarum, definibilia, & immutabilia; ergo à parte rei sunt tales; sed naturæ non reperiantur à parte rei, nisi contractæ in inferioribus eorũ; ergo in statu contractionis sunt formalit̃ vniuersales.

498 Resp. distinguendo primum consequens; à parte rei naturæ sunt vniuersales fundamentaliter remotè, concedo; formaliter nego.

Contra solutionem dices. Obiectum præcedit potentiam secundũ id, quod formaliter est obiectum; siquidẽ pro vt sic specificat eam: sed obiectum intellectus est vniuersale; ergo præcedit illud etiam secũdum id, quod formaliter constituit illud in ratione vniuersalis; & consequẽter natura à parte rei non tantũ fundamentaliter; sed formaliter est vniuersalis.

Resp. quod obiectum intellectus etiam formaliter, vt obiectum est tantum est vniuersale fundamentaliter, non enim ab eadem forma cõstituitur in esse obiecti, & in esse vniuersalis; & sic potest esse aliquid formaliter obiectum, cum tamen solũ sit fundamentaliter vniuersale.

Dices tandem contra conclusionẽ: vniuersale, & particulare sunt correlatiua; sed à parte rei datur particulare formaliter tale: ergo & vniuersale formale, & cõsequenter natura in statu cõtractionis est formaliter

liter vniuersalis, cum solum in tali statu à parte rei reperiatur.

499 Resp. quod particulare dupliciter potest considerari; vel secũdum suam entitatem realem; vel vt formaliter subijcitur vniuersali formali; & ideò distinguenda est maior; vniuersale, & particulare sunt correlatiua sumpto particulari primo modo, nego; sumpto secundo modo, concedo, & sic sicut vniuersale formale non est à parte rei; ita neque particulare formale.

Secunda conclusio natura in statu contractionis nõ est vniuersalis fundamẽtaliter proximè, seu metaphysicè. Probatur primò: illud est vniuersale fundamentaliter proximè, quod vniuersalitatem in se recipere potest sine aliquo medio, seu quod nihil ei deest ad hoc, vt sit formaliter vniuersalis prҽter vniuersalitatem; sed hoc non habet natura in statu contractionis; ergo natura in statu contractionis non est vniuersalis fũdamentaliter proximè. Minor patet; quia in tali statu ei deest ad vniuersalitatem denudatio à differẽtijs indiuidualibus, cum quibus in tali statu est idẽtificata realiter, quod est maximum impedimentum naturæ, ne recipiat vniuersalitatem, vt ex se est manifestum.

500 Probatur tandem: vniuersum fundamentaliter proximè vocatur vniuersum metaphysicum, quia de illo agit metaphysica; sed metaphysica non agit de naturis pro vt sunt in singularibus contractis: ergo naturæ pro vt in singularibus contractæ, non sunt vniuersales fundamentaliter proximè.

Vltima conclusio. Natura in statu contractionis est vniuersalis fundamentaliter remotè, seu physicè: Probatur primò. Illud est vniuersum fundamentaliter remotè, quod potest in se recipere vniuersalitatem, sed habet aliquod impedimentum ad talem receptionem: at sic se habet natura in statu contractionis; ergo natura in tali statu est vniuersalis fundamentaliter remotè. Minor patet; quia ad hoc vt natura in statu cõtractionis recipiat in se vniuersalitatem, debet priùs denudari differẽtijs indiuidualibus, à quibus impeditur ad talem receptionem.

Probatur tandem. Vniuersum fundamẽtaliter remotè; ideò dicitur vniuersum physicum, quia est identificatum cum physica, seu reali existentia, quæ cum sit singularis, illam impedit ne immediatè vniuersalitatem recipiat: sed natura in statu cõtractionis hoc habet; ergo in tali statu est vniuersalis fundamẽtaliter remotè, seù fundamentum remotum vniuersalitatis, vel fundamentum vniuersalitatis impeditum ad receptionem illius.

Ex dictis in hac prima sectione colligitur, quòd vniuersum fundamentaliter remotè, seù physicum, sic potest definiri, seù describi; est *natura realiter contracta in inferioribus, habens vnitatem similitudinis in illis; seù natura vna vnitate similitudinis in multis.*

SECTIO II.

De his, quæ conueniunt naturæ secundùm se.

502 *Cùm natura secundùm se solum in intellectu illam à conditionibus indiuiduantibus denudante reperiatur, vt ex infra dicendis constabit; ideò cum priùs res contracta, quam abstracta reperiatur, meritò* de

de natura in statu contractionis in prima sectione egimus, & in hac secunda de eadem secundùm se sermonem instituimus, pro quo sit.

QVAESTIO I.

Vtrum natura secundùm se à parte rei cum aliqua indifferentia reperiatur.

503 NON desunt aliqui Doctores affirmantes, quòd natura secundùm se, idest, pro vt denudata est ab omni differentia indiuiduali cum solis suis prędicatibus essentialibus in aliquo priori à parte rei reperiatur cum indifferentia ad hoc, vt per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem contrahatur: sed his non obstantibus.

Sit conclusio. Natura secundum se, idest, sine aliqua differentia indiuiduali cum suis solis prædicatis essentialibus, neque in aliquo priori à parte rei reperitur cum indifferētia ad hoc, vt per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem contrahatur. Probatur primò. Admittendo pro nunc id, quod semper est negādū, vt ex supra dictis constat .s. quod detur distinctio formalis actualis ex natura rei, & inter naturam, & singularitatem versetur: in quo aduersarij suam fundant opinionem, vt melius illam impugnare possimus. Illa, quæ formaliter actualiter ex natura rei distinguuntur in sententia Scotistarum, quia aliàs realiter identificātur, neque diuinitùs separari possūt; ergo etiam admissa distinctione formali actuali ex natura rei inter naturam, & differentiam indiuidualem adhuc non potest reperiri natura à differētia indiuiduali separata, & indifferens ad illam, & ad alias; consequentia patet; quia si non possunt separari, neque vna sine alia reperiri potest, & esse indifferens, vt ad illā se coniugat.

504 Probatur secundò, id quod à parte rei sine alio reperitur quocūque modo hoc sit, debet saltem per vnum instans temporis ab eo separatum reperiri, cum instans temporis sit minimum mensuræ realis: sed natura etiam per vnum instans temporis non potest à parte rei reperiri sine singularitate, cū sit realiter idētificata cum illa, vt supra probatum est: ergo natura secundū se non potest à parte rei reperiri etiā in aliquo priori sine differentia indiuiduali. Maior patet; quia id quod solum per aliquod instans naturæ, seu rationis reperitur sine alio, à parte rei non reperitur sine illo: quia in eodem instanti quo fiunt, coniuncta fiunt: ergo id quod à parte rei sine alio reperitur, debet saltem ab eo separatum reperiri per vnum instans temporis, quod est prorsus indiuisibile.

Dices contra; natura secundum se est causa formalis inferiorum; ergo est prior inferioribus, & per consequēs in aliquo instāti reali sine ipsis reperitur: cōsequentia patet; quia omnis causa est prior suo effectu.

505 Resp. distinguendo primum consequens: natura est prior prioritate reali, seu temporis suis inferioribus, nego; prioritate rationis, seu naturæ, cōcedo: causa enim formalis solum petit esse priorem effectu prioritate causalitatis, seù naturæ, vt aliquando explicabimus, & deinde neganda est consequentia.

Dices prætera: licet natura secū-

dum se non reperiatur à parte rei, nisi cõiuncta cum singularitate, hoc tamen non tollit ab ea indifferentiã quam habet ex se: nam actus solum determinat indifferentiã potentiæ, nõ tamen tollit, quod ipsa potentia ex se sit indifferens, vt patet in materia prima, quæ quando recipit vnam formam, determinatur per illam, & tamen absolutè dicimus materiam esse indifferentem ad omnem formam: ergo natura à parte rei reperitur cũ indifferentia ad hoc, vt contrahatur per plures differentias indiuiduales.

506 Resp. quod natura ex se est indifferens, vt communiter pluribus cum sui multiplicatione, quod tollitur ab ea per singularitatem; nam eò ipso, quòd singularizata est, impartibilis est in plures, quarum quælibet sit ipsa; & ideò licet secundum se habeat talem indifferẽtiam; tamen illa numquam gaudet à parte rei, cum neque per vnum instans temporis non singularizata reperiatur à parte rei. Nec exemplum materiæ primæ est ad rem; cum materia nõ coniungatur per realem identificationem; sed per realem informationem cũ forma, & ideò successiuè potest informari pluribus formis.

Dices tandem: quod cõuenit naturæ secundum se, etiam pro vt cõtracta est illi competit; sed indifferẽtia ad plura conuenit naturæ secundum se: ergo talis indifferentia etiã ei conuenit pro vt contracta in indiuiduis.

Resp. distinguendò maiorẽ, quod competit naturæ secundum se, semper illi competit; si est potentiale, semper illi competit dum non est expletum per actũ incõpossibilem cum ipso, concedo: dum est expletum per tale actum, nego; quia expleta potentia per actum incompossibilem cum ipsa aufertur ipsa potẽtia. At indifferentia naturæ secundum se expletur per realem contractionem, cũ qua est omninò incompatibilis, vt ex supra dictis, & ex dicendis constabit, & consequenter prout sic in illa non reperitur.

QVAESTIO II.

Quænam vnitas, & quænam vniuersalitas naturæ secundum se conueniat.

507 QVia tunc natura secundùm se cõsideratur, quando solùm in ea id, quod ei essentialiter competit, attenditur: & constat quod singularitas est extra essentiam naturarum creatarũ: ideo manifestum est, quòd natura secundum se nõ habet vnitatem materialem, seu numericam; quia tamen natura sic considerata habet negationem diuisionis formalis, secundum se est vna vnitate formali: at verò cũ vnitas formalis sit multiplex, quærit prima pars præsentis quęstionis, quæ sit illa vnitas, quæ in natura secundũ se reperitur. Pro quo.

Sit prima conclusio. Vnitas formalis naturæ secundum se non est positiua, sed negatiuè communis. Probatur: Vnitas positiua est carentia diuisionis in entitate, cui non repugnat diuidi, sed vnitas formalis naturæ secundum se est carentia diuisionis in entitate, cui nõ repugnat diuidi; ergo vnitas formalis naturæ secundum se nõ est positiua, sed negatiuè cõmunis: Minor patet, quia entitati naturæ secundùm se non

repugnat multiplicari in pluribus, cum de facto à parte rei multiplicata reperiatur in indiuiduis; ergo vnitas formalis naturæ secundùm se est carentia diuisionis in entitate, cui nō repugnat diuidi, seù multiplicari.

508 Probatur secundò: Quod est vnum positiuè, est vnū simpliciter, & quod est vnum negatiuè, est vnū secundum quid; sed natura secundū se, non est vna simpliciter, sed tantū vna secundum quid; ergo natura secundum se non est vna positiuè; sed tantùm negatiuè; & consequenter vnitas eiusdem naturæ in tali statu non est positiua; sed negatiuè communis. Probatur minor. Si natura secundū se esset vna simpliciter hoc haberet à negatione diuisionis formalis, quam habet in tali statu, sed à prædicta negatione non potest fieri vna simpliciter; ergo natura secundum se, non est vna simpliciter. Probatur minor: negatio diuisionis, quā habet natura secundum se considerata non est vna simpliciter; ergo natura secundum se, non potest ab illa fieri vna simpliciter. Probatur antecedens: Prædicta negatio multiplicatur ad multiplicationem naturæ; ergo non est vna simpliciter, cū non sit immultiplicabilis; sed est vna secundū quid, cum sit multiplicabilis.

509 Ex quibus constat, quod vnitas formalis naturæ secundum se est negatiua, & non positiua, idest vnitas reddens naturam vnam secundum quid, & non simpliciter, quæ communis dicitur, quia ei non repugnat vt reddatur positiuè communis ab intellectu.

Dices contra: natura secundum se est vera entitas positiua; ergo habet veram vnitatem positiuam. Cōsequentia patet, quia vnitas est passio entis; ergo eo modo aliquid est vnum, quo modo est ens, sed natura secundum se est ens positiuum, ergo habet vnitatem positiuam.

Resp. negando consequentiam, ad eius probationem dicimus, quod vnitas reperitur in natura eo modo, quo ipsa natura reperitur, & ideo quia a parte rei habet statum singularem determinatè, à parte rei habet vnitatem positiuā, vt diximus quæstione tertia preteritæ sectionis: at vero quando natura secundum se cōsideratur, sine aliquo statu determinato reperitur; cum pro vt sic neque singularitas, neque vniuersalitas ei repugnet: ideo in tali statu nō habet vnitatem determinatam, seù positiuam: sed indeterminatam, seù negatiuam; nam ad hoc, vt aliquid sit vnū positiuè requiritur, vt sit determinatè vniuersale, vel singulare.

510 Secunda conclusio. Natura secundum se non est aliquo modo positiuè vniuersalis, sed tantùm est vniuersalis negatiuè. Probatur vniuersum essentialiter est vnum; ergo quo modo aliquid est vnum eo modo est vniuersum; sed natura secundum se non est vna positiuè, sed negatiuè, vt diximus conclusione preterita: ergo neque est vniuersalis positiuè, sed negatiuè.

Confirmatur: natura secūdùm se non est communis multis positiuè, sed negatiuè: ergo non est vniuersalis positiuè, sed negatiuè. Consequentia patet, quia essentialiter cōuenit vniuerso esse multis cōmune, & ideo quo modo aliquid erit commune multis, eo modo erit vniuersum.

Ex quibus constat, quod vniuersũ negatiuum est *natura, quæ non importat aliquid; per quod vniuersalitas ei repugnet, seu natura vna vnitate communi negatiuè.*

SECTIO III.

De his, quæ conueniunt naturæ in statu abstractionis.

511 *Postquam de natura in statu contractionis egimus sectione prima, & de eadem secundum se sectione secunda; solum restat vt ea, quæ eidem naturæ in statu abstractionis conueniunt, in hac tertia sectione explicemus, vt hac materia vndequaque maneat explicata: pro quo sit.*

QVAESTIO I.

Per quem intellectum, & per quem actum illius natura fiat vniuersalis fundamentaliter proximè.

512 SVpposito ex prima sectione, quòd natura à parte rei solũ fundamentaliter remotè sit vniuersalis: & ex sectione secunda, quòd natura secũdum se nullo modo positiuè est vniuersalis, restat solum, vt ab intellectu fiat, tùm fundamentaliter proximè; tũ formaliter vniuersalis: vnde præsens quæstio eò tendit, vt explicet modum, quo natura sit fundamẽtaliter proximè vniuersalis: pro quo.

Breuiter supponendum est ex tractatu de anima, quod cũ omnis nostra cognitio generetur à potentia, & obiecto, & obiectum non possit per suam entitatem esse in potentia, sed per suam speciem, & similitudinem: ideò à natura tributus est nobis duplex intellectus, vnus agens, & alius possibilis, seù passibilis; nam licèt ab obiectis externis mittantur ad sensus externos species, quibus prædicti sensus informati in cognitionem procedunt, & deindè ad sensus internos aliæ species transmittũtur, quia tamen prædictæ species nõ sũt proportionatæ intellectui; nam, cum ipse sit spiritualis, postulat species spirituales; ideo fuit necesse ponere in nobis aliquam potentiã spiritualem, quæ eliceret ex istis speciebus sensibilibus species spirituales, quas tribueret intellectui patibili: quæ potentia intellectus agens vocatur, quæ cum species faciat nõ potest intelligi; nam intellectio producitur à potentia, & specie. Quod facit intellectus agens illuminando species sensibiles cõseruatas in sensibus internis, vt medio tali lumine producat in intellectu possibili species spirituales rappresentãs directè tantum naturam sui obiecti; quę denudatio naturæ à conditionibus indiuiduantibus dicitur abstractio intellectus agentis.

513 Secundò supponendum est quod intellectus possibilis prędicta specie reformatus dupliciter rẽ per illam significatum cognoscere potest .s. per actum comparatiuum, & per actum absolutum. Actus autẽ comparatiuus est duplex; vnus cõpositus, qui ad secundam, vel tertiã operationem intellectus pertinet; qui est ille, per quem intellectus cognoscit vnum in ordine ad aliud, vel componendo, aut diuidẽdo, vel per illationem discurrẽdo: & alius simplex, qui ad primam operationem intellectus pertinet, qui est ille, per quem simpliciter cognoscitur vnũ vt ordinatum ad aliud, vt ad terminum ad quem.

Deinde

Deinde actus intellectus absolutus etiā est duplex, vnus negatiuus, qui est ille, per quem intellectus cognoscit aliquid omisso omni alio, ad quod poterat ordinari: & alius positiuus, qui est ille, per quem intellectus cognoscit aliquod separando ipsum ab alio, cū cognitione vtriusque termini.

514 Ex his duobus actibus absolutis oritur duplex abstractio, vna negatiua, & alia positiua. Negatiua est actus intellectus, per quem concipitur natura omissis cōditionibus indiuiduantibus, & circa illas negatiuè, se habendo: Positiua verò est ille, per quem cognoscimus naturā sine cōditionibus indiuiduantibus, non purè omittendo illas: sed cognoscendo id, quod relinquit, & id, quod assumit, & consequenter cognoscēdo distinctionem inter vnū, & aliud, de quibus latè in tractatu de Anima. Quo notato.

515 Sit prima conclusio. Natura per operationem intellectus agentis non est vniuersalis fundamentaliter proximè. Probatur, tunc natura est fundamētaliter proximè vniuersalis quādo metaphysicè est vniuersalis: sed per operationē intellectus agentis nō est metaphysicè vniuersalis: ergo natura per operationem intellectus agentis non est fundamētaliter proximè vniuersalis. Probatur maior: nihil deest vniuerso metaphysico ad hoc vt sit vniuersū formale, nisi secunda intentio vniuersalitatis; ergo tūc natura est fundamentaliter proximè vniuersalis quando metaphysicè est vniuersalis. Hæc consequentia patet; quia vniuersum fundamentaliter proximè est illud, cui nihil deest ad hoc, vt formaliter sit vniuersalis, nisi ipsa secunda intentio vniuersalitatis. Antecedens verò probatur; quia natura, quæ dicitur vniuersum metaphysicum habet vnitatem præcisionis, ad quam consequitur non repugnātia ad essendum in multis; ergo nihil deest vniuerso metaphysico ad hoc, vt sit formaliter vniuersale nisi secūda intentio vniuersalitatis; antecedens quo ad primam partem patet; quia cognoscitur vt vna, cum ex vi talis cognitionis reddatur vnum cognitum: ergo vniuersum metaphysicum habet vnitatem præcisionis.

516 Præterea eiusdem antecedētis secunda pars etiam est manifesta; quia repugnat naturæ, antequā præscindatur ab inferioribus esse indiuisam in illis, quam repugnantiā amittit per vnitatem præcisionis: ergo ad vnitatem præcisionis cōsequitur non repugnantia ad essendū in multis. Deindè probatur minor argumēti: natura tunc fit vniuersalis metaphysicè, quando consideratur vt habet omnia, quæ ei sunt necessaria ad hoc vt metaphysicus de illa agat: sed per operationē intellectus agentis nō habet omnia requisita ad hoc, vt de illa agat metaphysicus: ergo natura per operationem intellectus agentis nō est vniuersalis metaphysicè. Probatur minor: quia ad hoc, vt metaphysicus agat de naturis rerum, requiritur, vt illas agnoscat, sed non agnoscit illas per intellectum agentem: ergo natura per operationem intellectus agentis non habet omnia requisita ad hoc, vt metaphysicus de illa agat.

517 Notandum tamen est, quod licet

licet propter rationem dictam natura non sit vniuersalis fundamentaliter proximè, ab intellectu agente, tamen in specie producta ab intellectu agente virtualiter reperitur vniuersum metaphysicum causaliter; cum cognitio intellectus possibilis, per quem natura redditur vniuersalis metaphysicè, ab illa specie causetur. Per quod soluuntur argumēta, quæ contra hanc conclusionem fieri possunt.

Ex supradictis, & ex præterita cōconclusione aperte constat, quod natura redditur proximè vniuersalis ab intellectu possibili, nam cū hoc habeat ab intellectu, & non ab agente necesse est, vt à possibili. Vndè solum restat difficultas, per quem actum illius hoc habeat. Pro quo.

518 Sit secunda conclusio. Natura fit proximè vniuersalis, seù metaphysicè per actum absolutum intellectus possibilis. In hac conclusione solum est probandū, quod actus intellectus possibilis, per quem natura proximè redditur vniuersalis sit absolutus, nam reliquum, quod in hac cōclusione inuoluitur, manifestum apparet ex dictis, vt supra notaui. Quod sic probatur: actus intellectus agentis, per quem natura proximè redditur vniuersalis, nō potest esse comparatiuus: ergo erit absolutus; consequentia patet, quia omnis actus intellectus, vel est absolutus, vel comparatiuus: Antecedens verò probatur: cum natura concipitur actu comparatiuo, ex tali cognitione resultat in natura secunda intentio vniuersalitatis, vt quæstione sequenti dicemus: ergo actus intellectus, per quem natura fit fundamentaliter proximè vniuersalis non potest esse comparatiuus. Probatur cōsequētia; per actum intellectus, per quem natura fit proximè vniuersalis non acquirit secundam intentionem vniuersalitatis; sed per actum comparatiuum illam acquirit: ergo actus intellectus, per quem natura fit proximè vniuersalis, nō est comparatiuus. Probatur maior: per illū actum, per quem natura acquirit secūdam intentionem vniuersalitatis, fit actu vniuersalis: sed per actum, per quem fit actu vniuersalis, non fit fundamentaliter proximè vniuersalis, ergo per actum intellectus, per quem natura fit proximè vniuersalis, non acquirit secundam intentionem vniuersalitatis.

519 Vltima conclusio. Natura fit solùm metaphysicè vniuersalis, tàm per abstractionem positiuam, quàm per negatiuam. Probatur: natura abstracta quauis ex his abstractionibus non respicit multa, vt terminum ad quem, sed solum vt terminum à quo: ergo per quamuis ex illis solùm redditur vniuersalis metaphysicè. Probatur consequentia: natura per quāuis ex illis abstractionibus non fit formaliter, seù Logicè vniuersalis; cum ad hoc, vt infra dicemus requiratur actus, per quem natura respiciat inferiora, vt terminum ad quem: ergo cum per quamuis ex illis natura solùm respiciat inferiora, vt terminum à quo, consequēs est, vt per quāuis ex illis solùm reddatur vniuersalis metaphysicè.

Ex quibus infertur, quod natura in statu abstractionis acquirit vnitatem præcisionis, ad quam consequitur non repugnantia ad essendum in multis,

multis, per quam vnitatem natura redditur fundamentaliter proximè, seù metaphysicè vniuersalis. Vndè vniuersum metaphysicũ sic potest describi: est *natura abstracta ab inferioribus, vna vnitate præcisionis*.

520 Dices contra. Vnitas præcisionis est vnitas rationis, cum in re tali modo cognita ex tali cognitione resultet: ergo si vniuersum metaphysicum est natura abstracta ab inferioribus vnum vnitate præcisionis erit ens rationis: sed non potest esse ens rationis, cum metaphysica sit scientia realis: ergo vniuersum metaphysicum non est natura vna vnitate præcisionis.

Resp. verum esse, quòd vnitas præcisionis est rationis, & quòd vniuersum metaphysicum est ens rationis ratione talis vnitatis; at verò quia metaphysica talem vnitatem non considerat; sed naturam illam habẽtem; hinc est quod obiectum metaphysicè non est ens rationis, neque ipsa metaphysica scientia rationis: sed vera scientia realis; non .n. omnia, quæ in obiectis scientiarum reperiuntur, ab ipsis considerantur.

QVAESTIO VLTIMA,

Per quem actum intellectus natura fit formaliter vniuersalis, seù Logicè.

521 SVpposito ex præterita quæstione, quod adhoc, vt natura fiat fundamentaliter proximè vniuersalis non sufficit operatio intellectus agentis: sed ad hoc requiritur actus absolutus intellectus possibilis; manifestum manet, quòd operatio intellectus agentis non est sufficiens ad cõstituendam naturam formaliter, seù Logicè vniuersalem, cũ ad hoc vt natura sit formaliter vniuersalis præsupponatur esse vniuersalis fundamentaliter proximè; sicut ad operationem intellectus passibilis præsupponitur operatio intellectus agentis. Constat etiam, naturã non posse fieri formaliter vniuersalem per actum absolutũ intellectus possibilis, cum per talem actum tantùm fundamentaliter reddatur vniuersalis. Vndè præcipuus punctus huius quæstionis in hoc stat; per quẽ actũ comparatiuum natura fiat formaliter vniuersalis. Pro quo.

522 Sit prima conclusio. Natura fit formaliter vniuersalis, seù Logicè per actũ comparatiuum, seù vniuersalitas Logica resultat in natura ex cognitione comparatiua ex eo, .s. quòd ab intellectu per prædictam cognoscatur cognitionem. Probatur: Vniuersalitas formalis est ens rationis relatiuum resultatum; sed ens rationis resultatum relatiuum resultat ex actu intellectus comparatiuo; ergo vniuersalitas resultat in natura ex eò quòd ab intellectu actu comparatiuo cognoscitur. Maior quo ad primam partem .s. quòd vniuersalitas sit ens rationis resultatum patet; quia cum vniuersale per illam constitutũ sit obiectũ partiale Logicę, nõ potest nõ ipsa esse ens rationis logicũ; sed omne ens rõis logicũ est ens rationis resultatũ, vt probatũ est disputatione præterita; ergo vniuersalitas est ens rationis resultatum.

523 Secunda pars eiusdẽ maioris etiam est manifesta; quia cum vniuersale sit vnũ in multis consequtens est, vt vniuersalitas per quam natura fit formaliter vniuersalis, faciat referre naturam ad multa, & consequen-

quenter quod sit relatio. Minor verò probatur. Relatio rationis non potest resultare nisi ab actu intellectu cognoscente vtrumque extremum, scilicet, subiectum, & terminum ad quem ipse dicit habitudinē; nam ad hoc vt relatio resultet ab intellectu, debent ab ipso cognosci subiectum, & terminus ad quem; sed intellectus non potest prædicta extrema, vt talia cognoscere, nisi per actum comparatiuum; ergo ens rationis resultatum relatiuum resultat ab actu intellectus cōparatiuo; Minor patet; quia si intellectus alio actu à comparatiuo prædicta extrema, vt talia cognosceret, hoc faceret per abstractionē positiuam; sed per talem abstractionem hoc non facit; quia licet per ipsum natura, & inferiora illius cognoscantur, tamen inferiora non cognoscuntur, vt terminum ad quem naturæ: sed vt terminum à quo; ergo non potest intellectus prædicta extrema, vt talia cognoscere, nisi per actū comparatiuū.

524 Secunda conclusio. Actus intellectus, à quo resultat in natura per ipsum cognita vniuersalitas, ad primam operationē intellectus spectat, seù est actus comparatiuus simplex. Probatur. Relatio prædicati præsupponit in natura relationem prædicabilis: quia ideò natura est prædicatum, quia prædicabilis erat; sed relatio prædicabilitatis præsupponit in natura relationem vniuersalitatis, cum prima sit passio secundæ; ergo actus comparatiuus, à quo vniuersalitas in natura resultat, est absolutus: Probatur consequentia, actus intellectus, à quo in natura resultat relatio prædicati, est comparatiuus compositus, seù pertinēs ad secūdam operationem intellectus; sed talis relatio præsupponit in natura vniuersalitatem; ergo in natura non resultat vniuersalitas ex aliquo actu comparatiuo composito, sed ab actu comparatiuo simplici, seù spectante ad primam operationem intellectus.

Contra secundam conclusionem dices. Vniuersum, ex Aristotele, est vnum in multis; ergo vniuersalitas resultat in natura per actum comparatiuum compositum. Probatur cōsequentia: vniuersalitas resultat in natura per illum actum, per quē intellectus cognoscit naturam esse in multis; sed nō potest intellectus cognoscere naturam esse in multis, nisi intellectualiter exprimat cōiunctionem cum illis importatā per ly est, quod fit per actum comparatiuum compositum; ergo vniuersalitas resultat in natura per actum comparatiuum compositum.

525 Resp. quod natura vniuersalis non est actu in multis, sed est positiuè apta vt sit in illis; Nec contra hoc facit definitio Aristotelica adducta in argumento; quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: & ideò vniuersalitas nō debet resultare in natura ex actu intellectus tribuente actù naturam multis, sed ab actu cognoscente naturam in ordine ad multa, qui nō est comparatiuus compositus, sed simplex, vt de se patet.

Dices secundo contra eandē conclusionem; omnis comparatio pertinet vel ad secūdam, vel ad tertiam operationem intellectus; ergo nulla datur comparatio simplex, & consequenter

quenter natura non fit formaliter vniuersalis per actum comparatiuũ simplicem. Probatur consequentia; si daretur comparatio simplex, pertineret ad primam operationem intellectus, sed ad primam operationẽ intellectus nulla pertinet cõparatio, ergo nõ datur comparatio simplex.

526 Resp. negando totum argumentum, siquidem datur comparatio simplex ad primam operationẽ mẽtis spectans, quæ simplex comparatio nõ solùm est terminorum, sed etiam propositionum; vt patet cum intellectus ad prolationem alicuius propositionis dubiæ concipit prædicatum in ordine ad subiectum, & vlterius non progreditur, quia dubius est an debeat affirmare, vel negare; quæ conceptio vocatur actus intellectus comparatiuus simplex ad primam operationem eiusdem intellectus spectans; & etiam, per eandem comparationem attingit similitudinem duorum alborum per simplicẽ intuitum extremorum relatorum absque aliqua affirmatione.

Dices tandem contra vtramque conclusionem: vel intellectus per actum, per quem natura cõstituitur formaliter vniuersalis intelligit naturã esse in multis actu eam illis tribuẽdo, vel solùm intelligit eam esse aptam ad essendum in illis: si primũ; ergo natura fit formaliter vniuersalis per actum comparatiuum compositum; quod est contra vltimam conclusionem; si secundum; ergo natura fit formaliter vniuersalis, per actum absolutum intellectus, quod est contra primam conclusionẽ: Prima consequentia ex se patet, secunda verò probatur; Natura per abstractionem intellectus intelligitur apta ad essendũ in multis, sed abstractio est actus intellectus absolutus; ergo si intellectus per actum, per quem cõstituitur natura formaliter vniuersalem, solùm intelligit eam esse aptã ad essendum in multis, natura fieret formaliter vniuersalis, per actũ absolutum intellectus.

527 Resp. quod actus intellectus, per quem natura cognoscitur formaliter vniuersalis, nõ intelligit naturam esse in multis tribuendo eam illis actù, sed solum intelligit eã esse aptam ad essẽdum in multis, seù ponit aptitudinem positiuam in illa, quod solùm per actũ comparatiuũ simplicem fit; nam licet per abstractionem natura habeat aptitudinem negatiuam ad essendum in multis; tamen ista, cum sit sola non repugnantia ad essendum in multis solũ constituit naturam fundamentaliter proximè, seù metaphysicè vniuersalem, nõ autem Logicè; quia ad hoc desideratur aptitudo positiua, per quam natura dicit ordinem ad ea, ad ad quæ habet aptitudinem, quæ solùm in natura ex actu comparatiuo simplici resultat, vt probauimus.

SECTIO VLTIMA.

De essentia, & multiplicitate vniuersalis formalis.

528 *Addimus hanc vltimam sectionem tribus prioribus, vt hæc materia vndique clarè explicata maneat, vndè cum in præterita sectione explicuerimus, quo modo vniuersalitas conueniat naturæ, manifestũ manet quid sit vniuersale formale: est .n. vt ex ibidem dictis, colligitur:* Natura vna relata rationis ad plura, in quib⁹ à parte rei cum sui multiplicatione esse

esse potest. *Vndè vt vndique essentia prædicti vniuersalis manifesta maneat, aliquæ quæstiones sunt explicandæ. Pro quo sit.*

QVAESTIO I.

An terminus vniuersalitatis sint plura actu existentia.

529 Plura, quæ à natura vniuersali respiciuntur, per vniuersalitatem sunt inferiora eiusdem, & natura etiam, per vniuersalitatem apta constituitur, vt in illis indiuisa reperiatur. Vndè præsens quæstio quærit, an ea, quæ respiciuntur à natura per vniuersalitatem, ab ipsa respiciantur vt existentia actu, vel solum vt possibilia?

Hæc quæstio soluta manebit ex dicendis sectione secunda sequentis disputationis, vbi dicemus, quòd nō solùm natura, quæ vnicum tantùm habet indiuiduum, & non repugnat habere plura, v. g. natura Solis, sed etiam illa, cui plura indiuidua repugnant (si aliqua creata datur) v. g. natura Gabrielis in sententia Thomistarum, potest recipere specieitatem prædicabilem, cum autem specieitas prædicabilis essentialiter includat vniuersalitatem, cum ista sit genus illius, vt quæstione vltima huius sectionis dicemus, manifesta manet solutio huius quæstionis, & ideò breuiter ab ea nos expediem⁹. Pro quo

530 Sit conclusio. Plura, quæ à natura per vniuersalitatē respiciuntur, non est necesse, vt sint à parte rei, sed sufficit vt possint esse. Hæc conclusio est manifesta ex his, quæ docet D. Tho. 7. Metaph. lect. 13. vbi ait, *Ideò Philosophus dicit, quod vniuersum est natum inesse pluribus, & non quod pluribus inest; quia quædam vniuersalia sunt, quæ non continent sub se nisi vnum singulare sicut Sol vt Luna.* Hæc conclusio magis patebit ex solutione sequentis obiectionis.

Dices contra: quod non potest esse prædicatum plurium, nō potest esse prędicabile de pluribus, & quod non potest esse prædicabile de pluribus, non potest esse formaliter vniuersale; sed natura, quæ non existit in pluribus, non potest esse prædicatum plurium; ergo neque formaliter vniuersalis, & per cōsequens natura per vniuersalitatē respicit plura actu existentia: Maior quoad primā partem patet, quia quando impossibilis est actus alicuius potentiæ, est etiā impossibilis potentia talis actus; ergo cum prædicatum sit actus prædicabilitatis, vbi est impossibile esse prædicati, erit quoque impossibile esse prędicabilis. Deinde eadē maior quoad secundam partem etiam est manifesta, quia vbi repugnat passio alicuius subiecti, ibi repugnat & ipsū subiectum talis passionis; sed prædicabilitas de pluribus est passio vniuersalitatis, vt infra dicemus, ergo id quod non potest esse prædicabile de pluribus, non potest esse formaliter vniuersale. Minor argumenti etiam est manifesta, quia quod non est in pluribus, nō potest prædicari de pluribus: ergo natura, quæ non existit in pluribus, non potest esse prædicatum plurium.

531 Resp. negando minorem; ad eius probationem dicimus, quòd ad hoc vt aliquid prædicet de pluribus prædicatione primi, secundi, tertij, & quarti prędicabilis, nō est necesse,

vt

vt subiectum talis prædicationis existat, sed solum quod possit existere, & cõsequenter neque tale prædicatum; quia tales prædicationes sunt æternæ veritatis, & ideò verbum in illis absoluitur à tempore; id est connexio extremorum talium prædicationum non pendet ab existentia illorum, quæ tempore mensuratur; licet in prædicationibus quinti prædicabilis verbũ non absoluatur à tempore, vt diximus in introduct. lib. 1. sec. 8 n. 61.; & ideò ad actualẽ prædicationẽ quinti prędicabilis de pluribus requiritur actualis existentia accidentis in pluribus, de quibus prædicat.

QVÆSTIO II.

An esse in, vel prædicari de pluribus sit de essentia vniuersalis Logici.

532 NON loquimur de esse actuali in pluribus in hac quæstione, cum iam ex dictis cõstet, nõ esse de essentia vniuersi esse actu in pluribus; sed solùm competere naturæ per vniuersalitatem, positiuè fieri aptam, vt in pluribus indiuisam esse concipiatur; neque loquimur de actuali prædicatione eiusdẽ vniuersi de pluribus; quia vt constat ex quæstione vltima præteritæ sectionis; natura non fit formaliter vniuersalis per actũ comparatiuum compositum, quod esset necesse ad hoc, vt actualis prędicatio de pluribus essentialiter conueniret vniuerso. Vnde solum est quæstio in hoc an scilicet relatio, per quam natura fit formaliter vniuersalis essentialiter sit illa, per quam natura apta positiuè constituitur ad hoc, vt modo dicto sit in pluribus; vel illa, per quam de pluribus prędicabilis constituitur; ad cuius solutionem.

533 Sit conclusio. Esse *in*, pro vt dicit aptitudinem, modo explicato, est de essentia vniuersalis formalis: Esse verò *ad*, pro vt eodem modo dicit aptitudinem, est proprietas illius. Probatur prima pars; Illud est de essentia alicuius, quod prius intelligimus illi competere; sed prius intelligimus competere vniuerso formali aptitudinem positiuam ad hoc, vt indiuisum in pluribus esse concipiatur, quàm aptitudo ad prædicandũ de multis; ergo esse *in*, pro vt dicit aptitudinem, est de essentia vniuersalis formalis. Minor patet, quia hęc causalis est vera; quia natura habet positiuam aptitudinem ad essendũ in multis, potest prædicari de multis, & non è contrà; ergo prius conuenit vniuerso formali esse *in*, pro vt dicit aptitudinem, quàm esse *ad*; Antecedẽs patet, quia ideò natura prædicat actu de pluribus, quia actu est in pluribus; ergo ideò natura potest prædicari de pluribus, quia potest esse in pluribus.

534 Deinde probatur secunda pars. Illud censetur passio alicuius, quod omni inferiori illius, & solis illis, & semper illis competit, & non est prius, quod in illo intelligitur; sed sic se habet relatio prædicabilitatis respectu relationis vniuersalitatis; ergo est illius passio: Minor quoad primam partem ex se patet; quoad secundam verò ex probatione primæ partis eiusdem conclusionis est manifesta.

Sed quæres quid est in vniuerso esse *in*, & esse *ad*, plura actù?

Resp. quòd sunt accidentia illius non

non secus ac ratiocinari, & ridere sunt accidentia hominis; nam ratiocinari, & ridere sunt accidentia hominis; quia potest homo non ratiocinari, aut ridere: Cum autem illud dicatur accidens, quod potest adesse, & abesse sine corruptione subiecti, ergo cum hoc idem conueniat esse in pluribus actu, & dici de pluribus actu respectu vniuersalis, consequēs est vt . nt ipsius accidentia.

535 Quęres tandē an ex vi actualis prædicationis de inferioribus natum amittat vniuersalitatem?

Resp. quòd actualis prędicatio naturæ de inferioribus non tollit ab ea vniuersalitatē metaphysicam; licèt in ea vniuersalitatem Logicā nō relinquat. Prima pars huius responsionis probatur: dum natura prædicat de suis inferioribus, adhuc denudata à conditionibus indiuiduantibus, & vna vnitate præcisionis cognoscitur; ergo vt vniuersalis metaphysicè. Antecedens patet, quia cognoscitur distincto conceptu a cōceptu suorum inferiorū, de quibus prædicat, & cognoscitur vno conceptu; ergo cognoscitur denudata à conditionibus indiuiduantibus, & vna vnitate præcisionis. Consequētia verò constat ex dictis sect. pręcedenti quæst. 1.

536 Deinde secunda pars eiusdē responsionis probatur: tunc natura amittit vniuersalitatem Logicam, quando cessat ille conceptus, à quo in natura per illum cognita resultata erat; sed dum, natura præd cat de aliquo, ex suis inferioribus iam non est ille actus intellectus, à quo in prædicta natura vniuersalitas resultata fuit: ergò per actualem prædicationem natura amittit vniuersalitatem Logicam. Maior patet; quia tunc natura habet vniuersalitatem Logicam, quando cognoscitur actu comparatiuo simplici: ergo tunc amittit illam, quando talis actus cessat. Minor etiam constat, quia actus comparatiuus simplex realiter distīguitur ab actu, per quem natura tribuitur inferioribus: sed duo actus realiter distincti eiusdem potentiæ simul existere nō possunt, ergo quādo natura prędicat de aliquo ex suis inferioribus, iam non est ille actus, à quo in prædicta natura vniuersalitas resultata fuit.

Dices contra secundam partem responsionis vltimi quęsiti: Propriū est naturæ vniuersæ esse prædicabilē de multis; ergo ipsa actualis prædicatio non repugnat vniuerso, & consequenter per actualem prædicationem nō aufertur vniuersalitas à natura. Consequentia patet, quia quando alicui competit potentia ad aliquem actum, talis actus ei non repugnat.

537 Resp. negando consequentiam, ad cuius probationem distinguimus antecedens: quando aliqua potētia realis competit alicui subiecto reali, non repugnat tali subiecto actus talis potentię, concedo: quando aliqua potentia, quæ sit ens rationis resultatū competit alicui, & act⁹ talis potentiæ est etiam ens rationis; tunc repugnat, vt simul potentia, & actus reperiantur in tali subiecto, cū in tantum existunt, in quantum reperiūtur actus intellectus, à quibus resultant: cum autem illi actus sint incompossibiles, eò quod ad diuersas operationes mētis spectant; hinc est

est, quod etiam illa, quæ ab eis resultat sunt incompossibilia; vt contingit in præsenti.

Argumenta Conimbricen. quæst. 6. vniuersalium nu. 4. cōtrarium sustinentium, vide soluta apud Io. de S. Th. hic quæst. 5. art. 1.

QVAESTIO III.

De multiplicitate vniuersalium Logicorum.

538 POstquam essentiam vniuersalis explicauimus, ad eius multiplicitatem indagandam in hac quæstione venimus; quia verò diuisum in diuisione generis in species debet esse aliquid vniuocum, & naturæ, quæ denominatur vniuersalis hoc non conueniat, cum aliquando sit ens reale, aliquando verò ens rationis, aliquando substantia, aliquādo verò accidens; & enti reali, & rationis nihil sit vniuocè commune: ideò diuisum, quando vniuersum diuiditur est vniuersalitas Logica, vnde præsens quæstio quærit quomodo diuidēda sit vniuersalitas Logica. Pro quo.

Sit prima conclusio. Vniuersalitas Logica diuidenda est in illam, per quam natura est vna in multis essentialiter, quæ dicitur vniuersalitas essentialis: & in illam, per quam natura est vna in multis accidētaliter, quę dicitur vniuersalitas accidentalis. Probatur. Ad hoc vt aliqua diuisio sit bona debet tradi per immediata membra; vt diximus lib. 2. sec. 3. introductionis; sed hæc diuisio ita se habet: ergo est bona. Minor patet, quia omne, quod est ratio, per quam aliquid est vnū in multis immediatè est ratio essendi in illis, vel essentialiter, vel accidentaliter; ergo prædicta diuisio traditur p immediata mēbra.

539 Secunda conclusio. Vniuersalitas essentialis diuiditur in genereitatem, specieitatem, & differentialitatem. Probatur. Omne quod est ratio, per quam aliquid est vnum in multis essentialiter, vel est ratio essendi in illis, vt pars perfectibilis essentiæ eorum, *ecce genereitas*, vel vt pars perficiens essentiam illorum *en differentialitas*; vel vt tota essentia illorum *respice specieitatem*; & nullo alio modo; ergo vniuersalitas, per quam natura est vna in multis essentialiter, seù vniuersalitas essentialis diuiditur in genereitatem, differentialitatem, & specieitatem.

Sed dices cū Torrejon. disp. vnica de comp. predic. quæst. 1. species nō est tota essentia indiuiduorum, & verè se habet in indiuiduo per modum partis materialis respectu differētiæ indiuidualis, sicut genus in specie: ergo non benè distinguuntur à nobis genereitas, & specieitas. Antecedens patet, quia species contrahitur ad indiuidua per differentias indiuiduales, & differentia indiuidualis est gradus essentialis, & intrinsecus indiuidui.

540 Resp. quod licèt verum sit, quòd natura specifica contrahatur per differentiam indiuidualem; differētia tamen indiuidualis licèt spectet ad integritatem entitatis indiuidui: non tamen spectat ad eius essentiam: nam aliàs indiuidua inter se differrent essentialiter. Ratio huius rei adducitur à Mastrio hìc disp. 4. quæst. 5. quia essentia, & quidditas est illa, per quā respondetur ad quæstionem quid est, & hanc de indiuiduis motam respondetur per naturā speci-

specificam; si enim quæratur quid est Petrus? respondetur, est homo; at per differentiam indiuidualem respondetur solùm ad quæstionem quis est; nã si quæratur quis est ille, respondetur est Petrus: genus autẽ nõ sic se habet respectu specierum; si enim quæritur quid est homo, nõ sufficit dicere, est animal; sed addere debemus, rationale, vt adæquatè illius essentia explicetur.

541 Tertia conclusio. Vniuersalitas accidẽtalis diuiditur in proprieitatem, & accidentaleitatem. Probatur. Omne, quod est ratio, per quã aliquid est vnum in multis accidentaliter, vel est ratio essendi in illis, vt quid dimanans à principijs intrinsecis illorum; & hęc est proprieitas: vel est ratio essendi in illis, vt quid dimanãs à principijs extrinsecis illorum, & hæc est accidentaleitas, & nõ alio modo: ergo vniuersalitas, per quam natura est vna in multis accidentaliter, seu vniuersalitas accidentalis diuiditur in proprieitatem, & accidentaleitatem.

542 Vltima conclusio. Genereitas, speciеitas, differentialitas, proprieitas, & accidentaleitas sunt species infimæ vniuersalitatis. Probatur: Vniuersalitates distinguuntur specie per hoc, quod sint diuersæ rationes, per quas natura diuerso modo est vna in multis, sed istæ diuersæ rationes non sunt diuisibiles in alijs: ergo enumeratæ sunt species infimæ. Consequentia patet, quia illæ sunt species infimæ, quæ sub se alias non habent. Minor verò probatur; genereitas, v. g. per hoc ab alijs speciebus distinguitur, quia est ratio, per quam natura est vna in multis, vt pars perfectibilis essentiei illorum; sed hoc conuenit omnibus genereitatibus; ergo genereitas est species infima vniuersalitatis, cum non sit in alias diuisibilis. Et cum hoc argumentum fieri etiam possit de alijs speciebus enumeratis, manifestum est, quòd sunt species infimæ, & cõsequenter, quod non dantur nisi illæ quinque vniuersalitates specie diuersæ.

542 Primum argumentum contra primã conclusionem ex Conimbricensibus, qui quæst. 8. art. 3. Logicæ defendunt diuisionem vniuersalis in quinque species infimas assignatas esse immediatam: Si vniuersum primò esset diuidendum in vniuersum essentiale, & accidentale, sequeretur, quòd diuisio vniuersi à Porphyrio tradita in quinque vniuersalia esset mediata; sed hoc est falsum; ergo & id ex quo hoc sequitur. Probatur minor; si talis diuisio esset mediata, sequeretur, quod vna species constitueretur sub duobus generibus non subalternatim positis; sed hoc est absurdum, vt patet; ergo diuisio vniuersalis in quinque vniuersalia non est mediata. Probatur sequela: non potest assignari aliqua ratio cur vniuersum primò diuidatur in essentiale, & accidentale, & non in vniuersum in quale; & in vniuersũ in quid; ergo ab vno, vno modo, & ab alio, alio diuidi potest; sed si vniuersum vtroque modo diuideretur, daretur vna species constituta sub duobus generibus non subalternatim positis; ergo si diuisio vniuersi in quinque vniuersalia esset mediata, sequeretur, quòd vna species cõstitueretur sub duobus generibus

ribus nō subalternatim positis. Probatur minor; si vniuersum vtroque modo dicto diuideretur, differentia erit sub vniuersali in quale, & sub vniuersali essentiale; sed prędicta genera non possunt subalternari, cum non omne vniuersum essentiale sit in quale; nec omne vniuersum in quale sit essentiale; ergo si vniuersū vtroque modo diuideretur, daretur vna species constituta sub duobus generibus nō subalternatim positis.

544 Resp. negando minorem; ad eius probationem negatur sequela; ad cuius probationem negatur antecedens; vniuersum autem debet diuidi in vniuersum essentiale, & accidentale; propter rationem adductam in probatione primæ conclusionis; in vniuersum in quale, & in vniuersum in quid, diuidi nō potest, quia vt dixi in introductione loc. cit. diuisio debet tradi per membra opposita, idest per membra, quorum vnum non includatur in alio; at vniuersum in quale includitur in vniuersum in quid; vt patet in differentia, quę est vniuersum in quale quid, (vt suis vtar terminis) vt ex definitione Porphyrij colligitur.

Secundum argumentum contra secundam conclusionem ex nostro Lalemandet ex disput. 4. partit. 6. Logicæ, qui defendit, quòd tria tantùm sunt vniuersalia, .s. genus, differentia, & accidens: species non est vniuersum; ergo male, vt membrū talis diuisionis assignatur. Probatur antecedens. Vniuersum est quid incomplexum; sed species est quid complexum cum ex genere, & differentia constet; ergo species non est vniuersum.

545 Resp. negando antecedens; ad eius probationem negamus minorem: quia nos vniuersalitatē diuidimus in genereitatem, &c. cōstat enim speciei tatem non componi ex genereitate, & differentialitate. Et licèt ei demus, quòd quādo vniuersum diuiditur in genus, &c. quod diuisū sit natura, quæ ab vniuersalitate denominatur (quod esse falsum insinuauimus in principio huius quęst.) adhuc tñ falsū est, ꝙ species sit termin⁹ cōplexus, tū quia, vt ipse optimè in apparatu part. 4. ignis, & aqua sunt termini incomplexi re, & voce, cū tñ sint res, quæ ab specieitate aliquādo denominātur; tū etiam, quia hæc vox, homo, supponitur pro cōceptu incomplexo intellectus; ergo est terminus incomplexus. Hęc cōsequētia patet ex definitione termini complexi adducta lib. 1. introductionis, sect. 6. vbi etiam quid sit cōceptus complexus, & incomplexus explicauimus; quia ergo natura specifica per specieitatem tàm habet diuerso modo esse vna in pluribus, quàm generica per genereitatem, differentialis per differentialitatem iure optimo distinctum vniuersum ab illis censetur.

546 Sed dices cum eodem ibidē; definitio excluditur à numero vniuersalium, quia constat ex genere, & differentia: ergo quia species etiam ex genere, & differentia constat, reijcitur à numero vniuersalium.

Resp. quod definitio nō reijcitur à numero vniuersalium; quia quomodocumque constat ex genere, & differentia; sed quia explicitè ex illis componitur; & ideò est quid complexum, & notionem vniuersi reci-

pere non valet: at verò, quia natura specifica licet ex genere,& differentia componi dicatur,tamen solū implicitè, & non explicitè illa cōtinet, hinc est, quod est quid incomplexū, & in numero vniuersalium reponitur. Vndè hæc propositio species est composita ex genere,& differentia hunc reddit sensum, conceptus naturæ specificæ est partibilis in genericum,& differētialem;hæc verò; definitio est composita ex genere,& differentia, hunc reddit sensum,cōceptus definitionis est conceptus generis,& differentiæ,de quo videte sequētem disputationem, vbi compositio Logica explicatur.

547 Hìc tamen est notandū,quòd Mastrius in Logica disp. 4. quæst. 5. dicit, quòd definitio non excluditur à numero vniuersaliū; quia est quid complexum: sed quia nō habet vnū prędicandi modum .s. in quid,vel in quale;sed ob genus,& differentiam, quæ continet, duplici quasi modò prædicatur; nam prædicabilia possumus designare, tàm per terminos incomplexos, quàm per cōplexos; quia ita dicere possumus, quòd homo est discursiuus, vel risibilis, ac quòd est apt⁹ discurrere, vel ridere.

Attamen hoc dictum mihi videtur simile isti: Homo non differt à Leone, quia rationalis; sed quia risibilis;quod,quàm sit absurdum,ex se patet; nam homo per rationalitatē essentialiter, & cōsequenter simpliciter à Leone differt: per risibilitatē verò accidentaliter, & ideò tantùm secundum quid, iuxta dicenda disp. sequenti sect.4.sicut enim homo est risibilis, quia rationalis; non autem è contrà: ita definitio prædicat in quale quid;quia est quid complexū: non autem è contrà. Et licet nihil in quale quid prædicās possit induere notionem vniuersi; tamen nihil ita prædicat, nisi sit quid complexū, & quia complexum.

548 Nec valet dicere,quod differentia est quid incomplexum, & tamen in quale quid prædicat. Non inquam hoc valet; quia, & si prædicari in quid secūdum rem,& in quale secundum rem opponantur,cum prædicari in quid,sit prædicari essentialiter; & prædicari in quale,sit prędicari denominatiuè, at verò prædicari in quid secundum rem;& prędicari in quale secundum modum tantùm non opponuntur; sed compatiuntur in eodem prędicabili. Vndè licèt differentia essentialiter conueniat illis, de quibus, vt tertiū vniuersale prædicat: tamen quia adhuc prout sic adiacet generi suæ comparti: ideò de illis, in quid prædicat secundum rem; & in quale secundū modum tantùm; nam ad veritatem prædicationis non solùm facit conuenientia extremorum: sed etiam modus talis conuenientię;& ideò in ea non solum attenditur prædicta cōuenientia;sed etiam modus illius.

549 Ratio verò, per quam suum dictum confirmat, iam fuit soluta à Pontio in Logica disput. 3. quæst. 7. quatenus adducta fuit ab Auersa quæst. 8. sect. 16. vbi tenēt, quòd definitio non excluditur à numero vniuersalium;quia est quid complexum;sed quia non distinguitur à definito; & ad probandam primā partē huius dicti adducit eamdem rationē qua Mastrius vtebatur. Ad quam Pontius loco cit. respondet: quòd termini

termini compl exi, qui reijciuntur à numero vniuersaliũ nõ sunt illi, qui tantum sunt complexi voce, vt adducti in argumento, sed qui sunt cõplexi re, de quorum numero est definitio.

Instabis ex eodẽ Lalemandet ibidem. Species non est distincta à genere, & differentia, cum ex illis constet; ergo neque est vniuersum distinctum ab illis.

550 Resp. quod eo modo distinguitur species à genere, & differentia, quo modo genus, & differentia inter se; nam definitio, & definitum distinctione rationis ratiocinatæ distinguũtur, vt ex professo ꝓbauimus lib. 2. introd. sect. 3. Miror, quod prędictus Doct. hìc hoc proposuit argumentum, cum in eadem partit. n. 38. ad solutionem cuiusdã obiectionis dicat: concedo quod species est vnũ ex vniuersalibus, sed indistinctum à genere, & differentia; cum prædictũ argumentum cum sua prima instãtia contrarium probet.

551 Ex dictis colligitur, quod natura specifica à parte rei nõ est actu formaliter composita ex genere, & differentia: sed tantùm virtualiter, neque prout cognoscitur secũdum se, neque per comparationẽ ad sua inferiora, seu prout formaliter habet speciei tatem: sed tantum in illa resultat secunda intentio compositi Logici, seu ex genere, & differentia ab illa cognitione, qua cognoscitur in ordine ad genus, & differentiam, ex quibus componi dicitur, quod fit hoc modo videns intellectus hominem, v. g. physicè compositum ex materia prima, & forma substantiali in illas physicè resolui: considerat naturam humanam secundum se, & vidit id à se conceptum esse resolubile in duos conceptus, quorũ vnus valdè assimilatur materiæ primæ .s. conceptus generis: & alius valdè assimilatur formæ substantialis .s. conceptus differentiæ, & hinc comparat illam naturam specificam tamquam quoddam totum ad suum genus, & differentiam, tamquam ad suas partes, & statim ab illa comparatione resultat in ipsa natura specifica quædam secunda intentio, à qua intrinsecè actu formaliter denominatur Logicè composita ex genere, & differentia. Circa quod videri potest disputatio sequ. sect. 4. quæst. 4.

552 Tertium argumentum, quod est contra tertiam conclusionem, & est vnum ex fundamentis nostri Lalemandet loco cit. sustinentis relatã opinionem: omne, quod est extra essentiam rei est accidens: sed proprium est extra essentiam rei: ergo proprium est accidens, & per consequens non est distinctum vniuersum ab accidenti.

Resp. quod accidens multipliciter dicitur. Præcipuè, primò omne illud, quod reperitur in aliquo, & nõ est de essentia ipsius, accidens illius dicitur, quæ acceptio proprium, & accidens commune comprehendit, & hæc acceptio est nimis lata. Deindè propriè accidens accipitur pro illo, quod non est de essentia rei, nec à principijs formalibus illius dimanat, in qua acceptione non comprehendit proprium: sed illi opponitur.

553 Sed insurgit idem. Si propriũ, & accidens commune duo vniuersalia cõstitueret, hoc esset; quia propriũ conuenit omni, soli, & semper;

ergo proprium in primo, secundo, & tertio modo deberēt diuersa vniuersalia cōstitui cum diuerso modo conueniant suis subiectis: sed non constituunt, ergo neque proprium in quarto modo constituet aliquid vniuersum distinctum ab accidente communi.

Resp. quod est dispar ratio de proprio in prima, secunda, & tertia acceptione, & de proprio in quarta; quia licèt illa, vt talia dimanēt à substantia alicuius rei; cum omne accidens hoc habeat, non tamen à principijs formalibus illius: sed à materialibus; & ideò prout sic verè sunt accidentia, & non possunt aliam secūdam intentionem vniuersalitatis recipere præter accidentaleitatem: at vero proprium in quarto modo cū à principijs essētialibus rei, cuius est proprium dimanet, habet diuerso modo esse in suis inferioribus, ac accidens commune; & cōsequenter aliam secundam intentionē vniuersalitatis specie distinctam ab alijs recipere s. proprieitatem.

554 Aliæ rationes eiusdem nihil probāt, nam quamuis tàm proprietas, quàm accidens commune contineantur in prędicamentis accidentium nihil iuuat ad hoc, vt ad idem prędicabile spectent, quia sicut accidens prædicamentale in varia prędicamenta diuiditur, ita accidens prædicabile diuiditur in illud, quod prędicatur accidētaliter de suis inferioribus cum connexione necessaria cū essentia illorū: & in illud, quod prædicatur accidētaliter de suis inferioribus sine tali connexione.

Vltimum argumentum contra eandem conclusionem, quod conuincit Arriagam, vt diceret disput. 8. n. 29. quod proprium non est distinctum prædicabile ab accidenti: idē est modus prædicandi proprij, & accidentis: ergo nō sunt distincta prædicabilia. Consequentia patet, quia licèt res, quæ prædicat in proprio sit connexa cum subiecto, & in accidēti, non, hoc tamen per accidens se habet in prędicatione, in qua nō explicatur illa connexio, nec ratione illius vnum alio modo prædicatur, quam aliud.

555 Resp. quod valdè miror prędictū Doctorē tali argumento conuinci ad hoc asserendū, cum tamen teneat, quod genus, species, differētia, & proprium sint distincta prędicabilia, cum idem argumentum in illis fieri possit, vt intuenti patebit; & ideò negare debemus antecedens, quia ratione necessariæ, vel contingentis connexionis prædicati cum subiecto variantur essentialiter prædicabilia quo ad modum prædicandi, licèt in actuali prædicatione semper non exprimatur talis conditio, vel modus prædicādi, vt patet in genere, & specie; nam prędicabilitas est passio vniuersalitatis, vniuersalitas autem variatur essētialiter penès diuersum modum essendi vnum in inferioribus, quod tribuit naturæ, qui remotè, fundatur in modo essendi, quem talis natura habet à parte rei in illis, & consequenter prædicabilitates, seù prędicabilia variantur essētialiter ratione diuersę connexionis, quam cum suis inferioribus habent.

556 Si contra vltimam cōclusionem aliqua argumenta probantia plura esse vniuersalia, quā illa quinque enumerata, & consequenter præ-

prædictas species non esse infimas videre cupiatis benè soluta, consulite Complutenses disput. 4. Logicæ, & Io. de S. Tho. quæst. 6. art. 1. Logicæ, ea verò, quæ à Poncio disp. 3. quæst. 8. contra illam adducuntur disp. sequenti soluentur.

Sed quæres an sit admittendum aliud vniuersale præter quinq; enumerata, quod assumptiuum vocant?

Respondē, quod de facto non datur, quia licèt natura humana, v. g. de verbo diuino, & de Deo prædicatur diuerso modo, ac de indiuiduis naturæ humanæ: tamen respectu verbi, & Dei non est vniuersalis; tum quia in illis non multiplicatur; quod requirebatur, vt homo esset vniuersalis (respectu .n. verbi tantùm, vel respectu Dei tantùm non potest esse vniuersalis, cum terminus vniuersalitatis sint multa, & non vnum) natura autem vniuersalis à parte rei debet esse multiplicata in illis, quos respicit per vniuersalitatem: tum tandem, quia homo non dicit eodem modo de Deo, & de verbo; nam nō dicit immediatè de Deo, sicut de verbo; quia si homo immediatè, & primariò diceret de Deo; tunc hæc propositio Pater est homo, esset vera; quæ tamen est omninò falsa; nā quod primariò Deo conuenit, conuenit etiam personis. An autē homo vniuocè dicat de Deo, & de Christo difficultant Doctores, & inter alios egregiè de more Eminentissimus Io. de Lugo tract. de Incarnat. disput. 23. sect. 1. Ego verò dico, quod non; quia non prædicat eodē modo de illis, cum de Deo non prędicet essentialiter benè tamen de Christo. De quo plura in tractatu de Incarnatione Deo dante.

557 Si autem de possibili loquamur; casu scilicet quo, v. g. Pater assumeret naturam agni, & Spiritus Sanctus naturam columbæ: tunc dicimus, quod verè daretur prædictum vniuersale. Nec hoc facit, vel faceret contra bonitatem diuisionis vniuersalis à nobis adductam; quia Philosophi tenentur explicare vniuersalia naturaliter cognoscibilia, non autem illa, quæ tantùm supernatnraliter cognosci possunt, vt tale vniuersum. Et nota, quod in tali casu darētur quinque vniuersalia assumptiua, quæ eisdem nominibus nominarentur, qubus nominantur alia quinque explicata: vt benè probat Tellez in Sūma vniuer. philosophi. tomo pr. par pri. disput. 5. sect. pri. eum consulite.

Ex quibus omnibus deducitur, quod quinque sunt prædicabilia; nā passiones sunt termini cōuertibiles cum essentia, & prædicabilitas, pro vt hìc sumitur, est passio vniuersalitatis, & ideò tot erunt prædicabilia, quot vniuersalia. Et ideo patet, quid dicendum sit ad opinionem singularem Camerarij disput. 7. Logicæ asserentis dari duo tantùm vniuersalia, & quinque prædicabilia.

QVAESTIO VLTIMA.

An vniuersalitas sit genus ad quinque vniuersalitates.

558 EX vltima conclusione præteritæ quæstionis, solutio huius manifesta manet, nā si semel verum est, vt ibi probauimus, quod qninque vniuersalitates ibidem nominatæ sunt species infimæ vniuersalitatis, nō potest non vniuersalitas

esse genus illarum, licèt mediatum, vt colligitur ex prima conclusione eiusdem quæstionis, in qua diximus, quòd vniuersum primò, & immediatè diuiditur in vniuersum essentiale, & in vniuersum accidentale; sed his non obstantibus breuiter; eã in hoc loco proponemus maioris claritatis gratia.

559 Sit conclusio: Vniuersalitas est verum genus genereitatis, speciеitatis, differentialitatis, proprieitatis, & accidentaletatis. Probatur: Vniuersalitas vniuocè prædicat de his secũdis intentionibus, vt de pluribus specie differẽtibus in quid, ergo est verum genus illarum. Consequentia patet ex definitione generis à Porphyrio tradita, cap. de genere: Antecedens verò probatur quo ad primam partem, .s. quod vniuersalitas de his secundis intentionibus prædicet: de quocunque prædicat definitio debet, & definitum prædicare, vt lib. 2. introduct. sect. 2. dicimus; sed definitio vniuersalitatis prædicat de his secundis intentionibus: ergo, & ipsa vniuersalitas. Minor patet, quia hæc est vera prædicatio genereitas est relatio rationis, per quam natura positiuè apta constituitur ad hoc, vt indiuisa in pluribus esse cõcipiatur, sed prædicatum talis prædicationis est definitio vniuersalitatis, ergo definitio vniuersalitatis prędicat de his secundis intentionibus.

560 Deindè idẽ antecedens quo ad secundam partem etiam est manifestum, .s. quod prędicet vniuocè de illis: Nam nulla ex his secundis intentionibus participat rationem vniuersalitatis cum dependentia ab alia; siquidem vnaqueque earum est vera vniuersalitas, etiam si alię essent impossibiles, quod non contingit in analogis, vt infra constabit, ergo vniuersalitas vniuocè de his secundis intentionibus prædicat. Præterea idem antecedẽs quoad tertiam partem etiam est notum, .s. quod vniuersum, in quid, de illis prędicet: nã inquirenti quid est genereitas optime respondemus, est vniuersalitas; sicut inquirenti quid est homo benè respõdetur, est animal, quia animal, in quid, de illo prædicat, cum sit genus ipsius; ergo vniuersalitas, in quid, de his quinque vniuersalitatibus prædicat.

Demum vltima pars eiusdem antecedentis, .s. quod istæ quinque intentiones specie distinguãtur, & non tantùm accidẽtaliter manifesta manet ex præterita quæstione, siquidẽ, vt ibidẽ diximus vniuersalitates specie inter se distinguuntur eò, quod diuerso modo tribuant naturæ esse vnam in multis, cum autem hoc habeant prædictæ secũdæ intentiones, vt ibidem vidimus, non possunt non specie inter se distingui.

561 Primum argumentum. Nulla species directè prędicat de suo genere; sed si vniuersum esset genus ad quinque vniuersalia, tunc aliqua species directè de suo genere prædicaret; ergo vniuersum nõ est genus ad quinque vniuersalia. Probatur minor: si vniuersum esset genus ad quinque vniuersalia, tunc hæc prædicatio esset vera: vniuersum est genus ad quinque vniuersalia, sed in tali pdicatione species directè prædicat de suo genere, cum genus tũc esset species vniuersi; ergo si vniuersum

uersum esset genus ad quinque vniuersalia, aliqua species directè de suo genere prędicaret.

562 Ad hoc vt ad presentem argumētum respondeamus, debemus notare: quòd cum vnum ens rationis resultatū possit inhærere in alio, prout certo modo cognoscitur, v.g. cum ex cognitione, qua intellectus hominem, vt affirmantem de Petro cognoscit, resultauerit in homine, relatio prædicat, etsi postea intellectus talem relationem cognouerit per actum comparatiuum simplicē in ordine ad sua inferiora, resultabit in ipsa relatio vniuersalitatis, &c. nā cum tales relationes accidant rebus, pariter quoque vna alteri accidit, nisi vna intrinsecè includatur in alia, vt vniuersalitas in genereitate, quod contingit, quoties ab eodem numero actu intellectus resultant: & vna in alia non inhæret etiam prout cognita; sed vtraque in aliquo tertio certo modo cognito, siuè sit ens reale, siue rationis; hinc est, quòd quædam ex his intentionibus essentialiter, vel necessariò de alijs prædicant; & quædam accidentaliter, & denominatiuè tantum.

563 Ad cognoscendum, quando essentialiter, vel necessariò, & quando denominatiuè vna ex his secundis intentionibus de alia prędicat, sequens signum à Complutensibus disput.4. quæst.vlt. Logicæ traditur; Tunc vna secunda intentio essentialiter de alia prædicat, quando talis prędicatio est vera, siue in concreto, siue in abstracto fiat: v.g. quia hæ prædicationes sunt verè; genus est vniuersum, genereitas est vniuersalitas; de genereitate vniuersalitas essentialiter prædicat; tunc verò vna secunda intentio denominatiuè de alia prædicat quando talis prædicatio in concreto facta est vera, falsa tamen, si in abstracto fiat: v. g. quia hæc prædicatio est vera, vniuersum est genus: & hæc falsa vniuersalitas est genereitas; ideò de vniuersalitate accidētaliter, & denominatiuè prędicat genereitas. Hoc diligēter notato, ex quo pēdet solutio pluriū argumentorum, quæ passim apud Auctores inueniuntur contra hanc, & alias conclusiones, vt contra definitionem definitionis, & contra definitionem generis.

564 Resp. ad argumentum negādo minorem; ad eius probationem negatur minor, nam in tali prædicatione genus solùm denominatiuè de vniuerso prædicat, vt patet ex dictis in antecedenti notabili.

Secundum argumentum. Genus non includitur in differentijs ipsum contrahentibus, sed vniuersum includitur in differentijs horum quinque vniuersalium; ergo vniuersum non est genus illorum. Probatur minor: Prædictæ differentiæ sunt vniuersales cū omnis differentia sit vniuersalis: nam differentia est vnum ex quinque vniuersalibus; ergo vniuersum includitur in differentijs horum quinque vniuersalium.

Resp. negando minorem: ad eius probationem dicimus, quod prædictæ differentiæ sunt vniuersales denominatiuè, nō autem essentialiter; quod deberēt habere, vt vniuersum non esset genus ad illa quinque.

Vltimum argumentū. Nihil potest esse vniuocum substantiæ, & accidenti, ergo neque rationi, per quā

natura

natura est vna in multis essentialr̃, & rõni, per quã natura est vna in multis accidẽtaliter; ergo vniuersalitas non est genus ad quinq; vniuersalitates.

565 Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia accidens, & substantia, cum sint membra immediata entis, non habent aliquod prædicatum cõmune superius præter ens, quod, vt infra constabit nullatenus potest esse vniuocum, cum in vltimis differentijs suorum inferiorũ formaliter includatur; at verò rationi, per quam natura est vna in multis essentialiter, & accidentaliter præter ens rationis habeat supra se rationem, per quã natura est vna in multis, seù vniuersalitatem, quæ per essentialiter, & accidentaliter contrahitur ad varias species inter medias; quæ cum non includatur in prædictis differentijs, cum hæc prædicatio non sit vera: differentia constitutiua genereitatis essentialiter est vniuersalitas, &c. non est analoga, sed vniuoca: & hæc sufficiant de tota hac disputatione.

DISPVTATIO QVARTA,

In qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ à modernis exagitantur in Logica de vniuersalibus in particulari.

Explicata essentia vniuersalis, & speciebus eius enumeratis; restat solum, vt de illis sigillatim agamus, quod faciunt omnes ferè Doctores in hoc loco multas ad hoc excitando quæstiones; nos autem præcipuas tantùm proponemus in hac disputatione, quam claritatis gratia in quinque diuidam sectiones; & ideò sit.

SECTIO PRIMA.

De Genere.

CVM natura generica sit priùs natura, quam natura, quæ denominantur ab alijs vniuersalitatibus, vt optimè probat Masius disput. de genere, sect. 1. quæst. 1. optimo iure in hac prima sectione de genere sermonem facimus. Vndè sit.

QVÆSTIO I.

An genus definiri possit, & quomodo.

566 Circa primum quæsitũ sit prima conclusio: genus, & quodlibet concretum accidentale siuè sit rationis, siuè reale pro vt ex æquo importat aggregatum ex subiecto, & accidenti nullatenus vna definitione definiri potest. Probatur, quia quodlibet concretum accidentale pro vt ex æquo importat accidens, & subiectum est ens per accidens; sed entia per accidens nequeunt vna definitione definiri; ergo genus, & quodlibet concretum accidentale nequit definiri vnica definitione pro vt ex æquo dicit accidens, & subiectum. Maior probatur, quia vel tale aggregatum formaliter est ens rationis, vel ens reale: sed vtrumquè est ens per accidens: ergo aggregatum ex subiecto, & accidenti est ens per accidens. Minor huius primæ probationis quo ad secundã partem est

est manifesta; quia si tale aggregatũ esset ens per se, vel esset substantia, vel accidens, cum omne ens reale per se, vel sit substantia, vel accidens: sed non esset sola substantia cum accidens in tali aggregato habet partẽ sui: deindè nequè accidens, cum substantia etiam in illo habet partẽ sui: ergo solum est substantia, & accidens accidentali vnione vnita: & non essentiali, & per se: cum autem accidẽtaliter vnita sint entia per accidens; consequens est, vt aggregagatum ex subiecto, & accidenti reali sit ens per accidens. Eodem argumento probari potest eadem minor quo ad primam partem hoc modo. Si tale aggregatum esset ens per se, vel esset ens reale, vel rationes, cum omne ens, vel sit reale, vel rationis; sed non esset solum ens reale; cum ens rationis in illo haberẽt partẽ sui. Deindè neque solum ens rationis; cum ens reale in illo haberet sui partem: ergo solum esset ens reale, & rationis vnione rationis coniuncta, & consequenter per accidens: ergo aggregatum ex subiecto, & accidenti rationis est ens per accidens.

Minor verò argumenti præterquã quod est Arist. 7. metaph. & 8. vbi docet, quod licèt huiusmodi entia possint nominis definitione explicari; nõ tamen definiri definitione rei; sic probatur: vna definitio debet vnum genus, & vnicam differẽtiam continere, & explicare quidquid in definito essentialiter reperitur; sed ens per accidens essentialiter continet duo genera, & duas differenrias, cum duas essentias importet accidẽtaliter vnitas, ergo ens per accidens nõ potest vnica definitione definiri.

567 Dices contra, quæ vera, & physica vnione vniuntur, sunt entia per se; sed accidẽs reale vera, & physica vnione vnitur cũ subiecto: ergo per se vnitur cum illo, & per consequens concretum accidentale reale est ens per se, quocumque modo sumetur.

Resp. distinguẽdo maiorem, quæ vera, physica, & substantiali vnione vniuntur sunt entia per se, concedo; quæ vera, physica, & accidentali vnione vniuntur sunt entia per se, nego. Deindè eodem modo est distinguenda minor; accidens reale vera, physica, & substantiali vnione vnitur cum subiecto nego; nam ista vnio inter per se actum, & per se potentiam solum reperitur: accidens reale vera, physica, & accidentali vnione vnitur cum subiecto concedo; ex quo nõ sequitur consequentia argumenti, vt de se patet.

567 Secunda cõclusio. Licèt genus, & quodlibet concretum accidentale, quatenus consideratur, vt dicit accidens, & subiectum in recto nõ possit vnica definitione definiri, vt diximus; quia tamen tale concretum eamdẽ prorsus rem significat, ac suum abstractum, ideò non est prorsus indefinibile; sed definitur ratione rei significatæ definitione per additamentum. Prima pars secundæ partis huius conclusionis patet ex Aristotele cap. de substantia, vbi habet, quod nomen *albi*, nisi qualitatẽ nihil significat; & hoc etiam ex se est manifestum; quia hæc prędicatio est accidentalis: coruus est niger: ergo res significata per tale prædicatũ est accidens respectu subiecti; sed hoc est sola qualitas nigredinis, & non subie-

subiectum, vt de se patet; ergo sola nigredo est res significata per nomen nigrum; quod etiam benè probat Mastrius hic disput. 2. quæst. 6. art. 2.

Et tandem euidenter patet; quia concreta accidentalia sunt connotatiua, vt diximus lib. 1. introductionis sect. 6. sed connotatiua per se solam formam significant; subiectum verò propriè nō significant, sed cōnotant, vt benè aduertit Didacus à Iesu hìc disput. 6. quæst. 1.

568 Deindè vltima pars conclusionis est manifesta; quia cùm concreta accidentalia sint connotatiua, & connotatiua definiantur per additamentum, vt ex dictis introductione lib. 2. sect. 2. constat; consequens est, vt per additamētum definiri possint concreta accidentalia ratione rei significatæ.

Dices cōtra. Si genus aliquo modo esset definibile daretur genus generis: sed hoc est absurdum: ergo genus nullatenus est definibile: sequela patet; quia omnis definitio ex genere, & differentia cōstare debet, vt dixi in introductione loc. cit. Minor etiam constat, quia aliàs daretur processus in infinitum.

569 Resp. negando minorem: ad eius probationem dicimus, quòd est verū, quod omnis definitio ex genere, & differētia cōstare debet, at illud genus solum est tale accidentaliter, ac denominatiuè, non verò essentialiter; non enim est inconueniens, quòd id, quod est genus, essentialiter in se includat aliquid, quod possit denominari genus.

Ex quibus constat, quod quando concretū accidentale definitur, proprium definitum talis definitionis est accidens: quia proprium definitum alicuius definitionis est id, quod propriè per nomen definiti significatur; licet subiectū ex modo significandi connotetur in tali definitione; & consequenter definitum per se in definitione generis, & aliarum secundarum intentionum, si in concreto definiantur est secunda intentio: subiectum verò illarum solum definitur in tali definitione, vt extrinsecus terminus intrinsecæ habitudinis intentionis, & consequenter accidentaliter.

570 Sed dices: Illud est definitū formale cuiuscumque definitionis, cui competit id, quod in tali definitione explicatur; sed id, quod explicatur in definitione generis, & aliorum concretorum accidentalium competit proprijs subiectis illorū, & non formis accidentalibus: ergo subiectum, & non forma accidentalis est formale definitum in definitionibus illorum. Minor patet, quia esse naturam perfectibilem vniuersalem essentialem non secundæ intentioni genereitatis, sed proprio subiecto illius competit.

Resp. distinguendo maiorem: illud est formale definitum cuiuscunque definitionis, cui competit id, quod in tali definitione explicatur essentialiter, concedo: accidentaliter, nego: deindè eodem modo distinguenda est minor; siquidem naturæ genericæ accidentaliter conuenit prædicta definitio, vt quod: at verò genereitati essentialiter cōuenit, vt quo. Et non est mirandum, quod proprijs definitis istarum definitionum tales definitiones solum, vt quo, competant; cum sint valdè imper-

imperfectè, vt de se patet.

571 Ex dictis colligitur, quod in definitione accidentis in concreto necessariò ingreditur subiectũ propter essẽtialem habitudinem, quam ad ipsum dicit accidens; cum autem accidens non solum dicat habitudinem ad subiectum ex parte modi significandi, vt facit, si in concreto sumitur; sed etiam ex parte rei significatæ; nam quocumque modo accidẽs sumatur, semper habet essentialem dependentiam à subiecto, cum sit ens entis, seu subiecti; ideò subiectum non solum intrat in definitionẽ accidentis, si in concreto definiatur; sed etiam si in abstracto, vndè solũ est difficultas, quẽ locũ ei debeatur in definitione accidẽtis, si in cõcreto definiatur; & qui, si in abstracto: quo diligenter obseruato non solum has secundas intẽtiones, tàm in concreto, quàm in abstracto definire sciemus; sed etiam omnia accidentia vtroque modo sumpta. Vnde circa secundum quæsitum:

572 Sit tertia conclusio. Si genus, & quodlibet concretũ accidentale in concreto definiatur propriũ subiectum illorum debet poni, vt genus; è contrà verò si in abstracto definiatur: quia tunc debet poni loco differentiæ. Probatur. Ideò in definitione accidentis quocumque modo considerati debet poni subiectum illius, quia accidens quocumque modo sumptũ, dicit habitudinẽ essentialem ad suum subiectũ; ergo eo modo debet poni subiectum in definitionibus illorum, quo modo se habet habitudo illa in illis; sed accidens in concreto sumptum ita dicit habitudinem ad subiectũ, vt ipsa habitudo incipiat à subiecto, & terminetur ad accidens, quia album est, quod habet albedinem; è contrà verò res se habet, si accidens in abstracto sumetur; quia tunc habitudo accidentis ad subiectum incipit ab accidente, & terminatur ad subiectũ, quia albedo est, qua aliquid est album: ergo in definitione generis, & aliorum omnium accidentium, si in concreto definiantur, propriũ subiectum illorum debet poni, vt prima pars definitionis, & consequenter, vt genus; è contra verò, si in abstracto definiantur, quia tunc debet poni, vt secunda pars talis definitionis, & consequenter, vt differentia; quod totum potest confirmari ex Aristot. 7. Metaph lect. 4. vbi simum definit per hoc, quod sit nasus curuus, & simitas per hoc, quod sit curuitas nasi.

573 Dices contra. Subiectũ genereitatis non est vnum: ergo non potest poni, vt genus in definitione illius. Probatur antecedens: genereitas aliquando subiectatur in ente reali; aliquando verò in ente rationis; sed enti reali, & rationis non potest esse aliqua vnitas communis; ergo subiectum genereitatis non est vnum: consequentia etiam est manifesta; quia quod denominatur genus in definitione, debet esse vnum.

Resp. negando antecedẽs; ad eius probationem distinguo minorem: enti reali, & rationis non potest esse aliqua vnitas realis communis concedo; rationis nego. Subiectum .n. genereitatis est natura perfectibilis, quæ est vna vnitate præcisioni (quæ est rationis vt dixi) siquidẽ nunquam potest talis natura recipere genereitatem

tatem, nisi talem vnitatem prius habeat, vt supra explicauimus.

574 Dices tandem; genus debet esse intrinsecum rei definitæ; sed subiectum non est intrinsecum accidenti: ergo in definitione illius, vt genus ingredi nequit.

Resp. distinguendo maiorem: genus in definitione perfecta debet esse intrinsecum definito, concedo; in definitione imperfecta, nego; definitio enim, quæ datur per aliquod extrinsecum definito, imperfecta dicitur; qualis est definitio cõcreti accidentalis, quia non constat ex vero genere, sed ex proprio subiecto definiti loco illius; quod non est intrinsecum ipsi, sed est terminus intrinsecæ habitudinis illius.

Sed quæres, quid poni debeat, vt differentia in definitione accidentis in concreto, & quid vt genus in definitione eiusdem in abstracto?

575 Resp. quod sicut in prędictis definitionibus, quod in vna ponitur, vt genus, in alia ponitur vt differentia: ita res è contra se habet; nã quod in vna ponitur, vt differentia, in alia est genus, quod enim ponitur, vt differentia in definitione accidentis in concreto est verum genus talis accidentis; quod etiam ponitur, vt genus in definitione eiusdẽ in abstracto; & ratio est, quia in omni definitione id omne debet explicari, quod essentialiter conuenit definito; sed accidens vltra habitudinem ad proprium subiectũ essentialiter includit aliquos gradus sibi superiores; ergo prædicti gradus in talibus definitionibus per immediatum gradum explicari debent; qui gradus illum locum debent habere in talibus definitionibus, qui in illis vacat; cùm autem, vt ex supra dictis constet in definitionibus accidentis in concreto solum vacare secundum locum, cũ primum occupet proprium subiectum illius, & in definitionibus eiusdem in abstracto vacare primũ; consequẽs est, vt in definitionibus accidentis in concreto proprium genus definiti debeat habere locum differentiæ, & in definitionibus eiusdem in abstracto locum generis. Quæ omnia clarè constant in definitionibus simi, & simitatis Aristotelicis supra adductis.

576 Ex quibus deducitur, quod definitiones accidentis in concreto, & in abstracto in ratione definitionis se habent, vt syllogismus perfectus, & imperfectus in ratione syllogismi: ita vt definitio accidẽtis in concreto ita se habeat in ratione definitionis, sicut syllogismus imperfectus in ratione syllogismi, & definitio abstracti sicut syllogismus perfectus. Quod constat, quia sicut syllogismus imperfectus non explicat clarè illationem cõsequentis ex antecedenti, nisi reducatur ad syllogismum perfectum transponendo, vel conuertendo præmissas: ita neque definitio cõcreti clarè explicat essentiam definiti, nisi reducatur ad definitionem abstracti transponendo terminos; hoc est, quod subiectũ in definitione cõcreti, ꝙ habet locũ generis, ponatur vt differẽtia, & proprium genus definiti, quod in definitione concreti habet locum differẽtiæ, in proprio loco restituatur: ergo sic se habent definitiones accidentis in concreto, & in abstracto sumpti in ratione definitionis sicut syllogismus,

mus, &c. antecedēs quo ad primam partem patet ex dictis in introduct. lib. 3. sect. 6 quo ad secundam verò probatur: est contra rationem definitionis perfectæ, vt in recto constet ex rebus diuersorum prædicamentorum: sed definitio accidentis in concreto hoc habet, & hoc amittit si reducatur ad definitionem eiusdē in abstracto commutādo terminos illorū; ergo definitio accidentis in concreto non explicat clarè essentiam definiti, seù non est perfecta, donec ad definitionem abstracti reducatur, &c.

577 Dices contra. Licèt definitio accidentis in cōcreto tradita per subiectum sit imperfecta, tamen tale concretum perfecta definitione definiri potest, ponendo scilicet cōcretum superiùs loco generis: ergo definitio concreti accidentalis semper non est imperfecta.

Resp. ad antecedens, quod cū res definiantur pro vt significantur per nomina hinc est, quod cum concretum accidētale ex parte modi significandi importet subiectum, nō potest tale concretum rectè definiri, nisi in definitionem ipsius intret aliquo modo subiectum: & ideò definitiones concreti accidentalis per concretum superiùs, licèt non sint omnino male, hoc tamen non est ratione rei significatæ per tale concretum superius: sed quia ex parte modi significādi connotant tale subiectum, cuius ratio includitur essentialiter in subiecto concreti definiti; & ideò licèt prædictæ definitiones tolerari possint ob nostrā ignorantiam non tamen ita accedunt ad perfectas, vt illæ, quæ traduntur per propriū subiectū, vel per subiectum concreti superioris loco generis.

578 Vltima conclusio. Genus sic essentialiter definitur in concreto: genus est natura perfectibilis vniuersalis essentialis: in abstracto verò sic genereitas est vniuersalitas essentialis naturæ pfectibilis: hæc cōclusio euidēter ex dictis sequitur: nam cum natura perfectibilis per differētias specie diuersas sit proprium subiectum genereitatis, & vniuersalitas essentialis, proprium genus eius, vt disputatione præterita probauimus, & in definitione accidentis in concreto proprium eius subiectum vt genus ponatur; & propriū genus loco differentiæ: è contra verò in definitione eiusdē in abstracto consideratum; manifestè apparet, quod prædictæ definitiones sunt optimæ.

Dices cōtra genus cuiuscumque definitionis debet esse quid cōmune definito cum alijs, & differentia quid proprium soli definito: sed in definitione generis assignata res è contra se habet; ergo non est bona. Probatur minor: in primis in hoc, quod est esse naturam perfectibilē, genus cum nullo conuenit, cū hoc sit proprium illius, sed hoc ponitur vt genus in prædicta definitione, ergo in definitione generis genus nō est quid cōmune illi cum alijs. Deindè hoc, quod est esse vniuersum essentiale, non est proprium generi; cum alijs cōueniat, .s. speciei, & differentiæ: sed hoc ponitur, vt differentia in prædicta definitione: ergo in definitione generis differentia non est quid proprium definito.

579 Resp. quod maior est vera de definitione perfecta; non autem de imper-

imperfecta; definitio autem accidẽtis in concreto se habet, vt syllogismus imperfectus in ratione syllogismi, vt supra diximus, & ideò sicut aliquis syllogismus imperfectus; .s. concludens indirectè constat ex cõclusione, in qua prędicatum est quid inferius subiecto, & subiectum superiùs prędicato; cum tamen bonus syllogismus debeat continere conclusionem, cuius prædicatum sit superiùs subiecto; quia tamen talis syllogismus virtualiter hoc habet, cum sit reducibilis ad perfectum, nõ excluditur omnino à ratione boni syllogismi: ita similiter licèt definitio concreti accidentalis ita se habeat, vt id, quod habet locum generis, sit proprium definito, & illud, quod se habet, vt differentia, sit illi cum alijs commune, & in bona definitione id, quod se habet vt genus, debeat esse commune definito cũ alijs: & id, quod habet locum differentiæ, debeat esse proprium definito, quia tamen talis definitio virtualiter hoc habet, cum sit reducibilis ad definitionem abstracti per transpositionem partium, non reijcitur omninò à rõne bonæ definitionis.

580 Ex dictis colligitur, quod in definitione generis à Porphyrio tradita, s. genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, ly quod, refert naturam perfectibilem, quæ est proprium subiectũ genereitatis, & ideò talis definitio hunc facit sensum, genus est natura perfectibilis prædicabilis in quid de pluribus specie diuersis, quæ definitio est descriptiua, cum in ea loco differentiæ proprietas definiti, & nõ proprium genus ponatur; nam prædicari de multis, vt supra diximus, est proprietas vniuersalis, & consequẽter prædicari de multis specie diuersis in quid, est proprietas generis.

QVAESTIO II.

Quo modo natura generica de suis inferioribus sit prædicabilis.

581 CVm prædicabilitas de pluribus sit proprietas vniuersalitatis, & pdicabilitas in quid de pluribus specie diuersis sit pprietas generis; explicata essentia illius ad proprietatem eiusdem declarandam accedimus; & ideò pręsupposito, quod genus cõmuniter totum potentiale appelletur, & pars speciei, quam vnà cum differentia constituit, est difficultas, quonam modo natura generica recipiat intentionem predicabilitatis, & actum illius respectu propriorũ inferiorum, an .s. pro vt consideratur vt totum potentiale, vel vt pars illorum.

Supposito, vt certum, quòd in natura generica non resultat secunda intentio prædicabilitatis de multis prout consideratur, vt totum actuale; quia tunc natura generica consideratur, vt totum actuale quãdo in ordine ad sua superiora consideratur; sed à cognitione per quam natura generica cognoscitur in ordine ad sua superiora, non resultat in ipsa relatio prædicabilitatis, sed eius opposita .s. subiectibilitatis: ergo in natura generica non resultat secunda intentio prædicabilitatis de multis specie diuersis in quid, prout cõsideratur vt totum actuale. Maior patet, quia tunc natura generica cõsideratur vt totum actuale, quando consideratur vt species subalterna

con-

constans ex genere superiori, & propria differentia: sed natura generica tunc solum sic consideratur, quando consideratur in ordine ad sua superiora; vt de se patet; ergo tunc natura generica cõsideratur vt totum actuale, quando in ordine ad sua superiora consideratur. Minor etiam est manifesta; quia ab illa cognitione resultat in natura generica prædicabilitas prædicta, à qua resultat in ipsa vniuersalitas, & genereitas; sed nequè vniuersalitas, nequè genereitas resultat in natura generica à cognitione, qua cognoscitur in ordine ad sua superiora; ergo non resultat in natura generica prædicabilitas de pluribus à cognitione, qua cognoscitur in ordine ad sua superiora. Quo supposito.

582 Notandum est, quod genus dupliciter potest cõsiderari: primò vt quoddam totum potentiale: secundò vt pars metaphysica speciei quam constituit; tunc consideratur vt totum potentiale, quando consideratur pro vt nõ excludit alias perfectiones, quæ nõ sunt de conceptu illius, v.g. tunc corpus sumitur vt totum potentiale, quando apprehenditur, vt est quædam forma à qua profluit quantitas, sine præcisione vlterioris perfectionis, hoc est, siuè tribuat istam solam, siuè alias vlteriores, nam homo, v.g. ex hoc, quod habet formam, quæ est radix quantitatis, nequè actu dicit, perfectionem vitæ, nequè prohibetur habere illã, & hoc modo consideratum genus, v.g. corpus, dicitur totũ respectu hominis, quia continet quidquid est in homine, & quia solùm id, quod in homine reperitur, quod non est de conceptu eiusdem corporis ab eodem corpore sic consideratò in potentia contineatur; ideò non totum actuale, sed potẽtiale respectu illius dicitur. Vndè licèt res significata per genus quando consideratur sine præcisione vlterioris perfectionis sit pars perfectibilis speciei, ex modo tamen significandi habet esse quoddam totum potentiale respectu talis speciei.

583 Tunc verò genus consideratur, vt pars speciei, quando cõcipitur cum præcisione vlterioris perfectionis, excludendo .s. per intellectum quamlibet aliam perfectionem, quę non est de cõceptu illius, quo modo consideratum pars speciei esse dicitur; quia nullo modo, quidquid essẽtialiter in ipsa reperitur, cõtinet, quæ si consideratur, vt antecedit actualẽ compositionem, dicitur pars potentialis, si autem cõsideratur, vt actualiter vnà cum differentia speciẽ constituit, pars actualis vocatur. Vndè in hac quæstione inuestigamus à qua ex his considerationibus natura generica habeat prædicabilitatem de suis inferioribus: ad cuius solutionem.

584 Sit conclusio prima. In natura generica nequè ab illa consideratione, qua vt pars potentialis, nequè ab illa, qua vt pars actualis consideratur, resultat prædicabilitas de suis inferioribus. Probatur primò; ab illa cognitione resultat prædicabilitas de suis inferioribus in natura generica, à qua resultat in ipsa genereitas; sed genereitas resultat solùm in natura generica à cognitione, à qua cognoscitur abstracta à suis inferioribus abstractione vniuersali;

O ergo

ergo ab illa cognitione, à qua natura generica, vt pars potētialis, vel actualis cognoscitur, non resultat in ipsa relatio prædicabilitatis de suis inferioribus: consequentia patet, quia natura generica ab illa cognitione, à qua vt pars siuè actualis, siuè potētialis cognoscitur, non cognoscitur vt abstracta abstractione vniuersali, sed abstractione formali.

Deindè ꝑbatur minor. Oīs vniuersalitas resultat in natura ꝑ cognitionē, qua cognoscitur in ordine ad sua inferiora, sed nulla natura abstracta abstractione formali præcisè respicit inferiora, benè tamen quælibet natura abstracta abstractione vniuersali; ergo cum genereitas essentialiter includat vniuersalitatem, resultabit solùm in natura generica à cognitione, à qua cognoscitur abstracta à suis inferioribus abstractione vniuersali. Minor patet, quia abstracta abstractione formali præcisè tantum respiciunt concretum, seù suppositum à quo abstracta, & separata sunt; nam nō dicimus color alicuius albedinis est color; sed color alicuius colorati est color: nec animalitas alicuius humanitatis est animalitas; sed animalitas alicuius animalis est animalitas; ergo nulla natura abstracta abstractione formali præcisè respicit inferiora, benè tamen quælibet natura abstracta abstractione vniuersali; nam cùm aliqua natura abstracta respiciat inferiora, vt de se patet, & omnis natura abstrahatur, vel abstractione formali, vel vniuersali, & quæ abstrahitur formali hoc non habet; necesse est, vt hoc habeat, quæ vniuersali.

585 Probatur secundò. Nulla pars eo ipso, quòd est pars, potest continere omne, quod est in toto cuius est pars, cū omnis pars sit minor suo toto; sed quod prædicat de alio, debet continere quidquid est in illo; ergo natura generica quocumque modo, vt pars consideretur, à tali cognitione non potest recipere secundam intentionem prædicabilitatis. Minor patet ex forma prædicationis, quæ propriè loquendo nō importat vnionem; sed identitatem prædicati cū subiecto (vt perdoctè ostendit Valētia in Cōment. Theol. tom. 4. disput. 1. quęst. 2. punct. 3.) ad quam, quia idem non potest esse minor seipso, requiritur, vt prædicatum contineat quidquid subiectum.

Vltima conclusio: natura generica ab illa cognitione, à qua vt totum potentiale cognoscitur, habet relationē prædicabilitatis genericè. Hęc conclusio patet ex dictis, nā vt diximus in principio quęstionis, talis natura non potest recipere ab illa cognitione, à qua vt totum actuale cognoscitur, talem intentionem. Deindè ex præterita conclusione etiam cōstat, quòd natura generica, neque vt pars potentialis, neq; vt pars actualis prędictam relationem possit recipere; vndè manifestum manet, cum ex alia parte constet, quod prædicta natura illam aliquandò habeat; cum aliquandò habeat genereitatē, cuius est passio, prædictam naturam illam habere ab illa cognitione, à qua vt totum potentiale cognoscitur. Sed his non obstantibus.

586 Probatur breuiter cōclusio; omne quod formaliter prædicat de alio in potentia, debet cōtinere omne, quod continet tale subiectum; sed

ſed natura generica formaliter prædicat de ſuis inferioribus; ergo vt totum potentiale accipit prædicabilitatem de illis. Maior patet: quia omne, quod de alio prædicat, quidquid eſt in ſubiecto, de quo prędicat, continere debet, vt ſupra dixi; ſed quod prædicat identicè, debet actu continere quidquid eſt in ſubiecto; ergo, quod formaliter prædicat debet continere in potentia, quidquid cõtinet ſubiectũ, de quo taliter prædicat, quia per hoc prædictæ prædicationes maximè differunt.

Probatur ſecundò. Natura generica per prædicabilitatem genericã conſtituitur proximè potens ad prędicandum de ſuis inferioribus prædicatione ſuperioris de inferiori; ſed ad hoc requiritur, vt contineat inferius, & ab illo non contineatur; ergo cùm genus ſolum hoc habeat prout conſideratur, vt totum potentiale: cõſequens eſt, vt ab illa cognitione, à qua vt totũ potẽtiale cognoſcitur, habeat relationẽ prædicabilitatis genericè. Maior eſt per ſe manifeſta. Minor verò probatur: id quod prædicatur de aliquo, vt ſuperius de inferiori, debet eſſe cõmunius illo de quo prędicat; ſed quod cõtinetur ab alio eſt minus cõmune illo; & quod continet aliud, eſt magis commune illo; ergo ad hoc vt natura generica ſit proximè potens ad prędicandum de ſuis inferioribus prędicatione ſuperioris de inferiori, requiritur, vt contineat inferius, & ab illo non cõtineatur. Prima conſequentia ſatis eſt manifeſta ex ſupra dictis.

587 Contra primam concluſionem dices. Ideò v.g. repugnat quod materia prima prædicet in recto de homine, quia eſt vera pars illius: ſed natura generica nõ eſt vera pars ſpeciei, ſed ſolum per intellectum; ergo non repugnat ei de illa in recto prædicari vt pars; & cõſequẽter talis natura vt pars de ſpecie prædicat.

Reſp. quòd ideò materia prima numquam in recto de homine, v.g. prædicari poteſt; quia eſt eſſentialis illius pars; at licèt animal, v.g. aſſumatur ab intellectu, vt vera pars hominis, tamen ratio partis accidentaliter aduenit illi, vtpotè per rationẽ: & ideò nihil mirum, ſi id, quod ſic eſt pars, in recto de ſuo toto prædicatur; quia dum prædicat ſolùm eſt materialiter pars, & formaliter totũ potentiale; ideſt natura generica dũ prædicat de ſpecie, eſt id, quod poteſt concipi, vt pars illius; non tamen prædicat de illa ſic accepta; ideſt, cũ precìſione vlterioris perfectionis ab ea, quæ eſt de conceptu illius; ſed vt totum potentiale; ideſt, ſine precìſione vlterioris perfectionis ab ea, quæ eſt de conceptu illius.

588 Contra eamdem concluſionem dices ſecundò. Natura generica, vt pars actualis conſiderata non prædicat de ſuis inferioribus; quia ſic conſiderata nullo modo cõtinet quidquid in illis eſſentialiter reperitur; ſed conſiderata vt pars potentialis hoc non habet, cum prout ſic in potentia totum illud contineat; ergo natura generica conſiderata, vt pars potentialis à tali cognitione, habet prædicabilitatem de ſuis inferioribus.

Reſp. negando minorem; nam quocunque modo natura generica ſumatur vt pars, ſemper ſumitur cũ precìſione alterius compartis, & ita

O 2 prout

prout sic excludit illā, & consequenter non habet continentiam potentialem requisitam ad prædicationē.

Dices tandem contra vltimā conclusionem. Vel natura generica accipit prædicabilitatem de suis inferioribus prout est totum actuale, vel prout est pars actualis: ergo, non vt totum potentiale.

589 Resp. quòd natura generica prout recipit secundam intentionē prædicabilitatis de suis inferioribus, neque est totum actuale, neque pars actualis, sed actu est totum potentiale; nam prædicta natura non dicitur totum potentiale; quia habeat potentiam ad hoc, vt sit totū; sed quia in potentia, & non actu cōtinet id, quod est de essentia suorum inferiorū, & non de conceptu illius.

590 Ex dictis colligitur, quod genus cōtinet suas species in potentia, & etiam differentias illarum; cū hoc tamen discrimine, quod suas species continet, vt partes subiectiuas, de quibus in recto essentialiter est prædicabile, & ideò respectu illarum totum potentiale vocatur; siquidem totum potentiale est illud, quod ita continet suas partes, vt ex illis non componatur, sed tantum de illis sit prædicabile: differentias verò etiam in potentia; sed in genere causæ materialis continet eo sanè modo, quo materia prima formas substantiales; & ideò non dicitur totum respectu illarum: sed pars materialis per illas perfectibilis, & determinabilis.

QVAESTIO III.

Quanam sint inferiora generis, de quibus est prædicabile, vt tale.

591 POstquam in præterita quæstione explicauimus, qua ratione considerata natura generica prædicabilitatē de suis inferioribus habeat; modo in hac quæstione restat explicandum quænam sint talia inferiora; vt autem hoc clarè faciamus: Debemus notare, quod indiuidua dupliciter cōsiderari possunt, vno modo completè, & adæquatè, qua ratione sunt à parte rei immediatè aliquam speciem infimam participantia, & illa mediante genus: alio modo incompletè, & immediatè: prout scilicet ab intellectu considerantur sub gradu naturæ superioris non considerato gradu specifico, quem reuera participant, v.g. si à longè videamus aliquem se mouentem, ex tali motu cognoscimus esse aliquod indiuiduum animalis: tamen an sit leo, vel equus, non cognoscimus: tūc indiuiduum inadęquatè, & incompletè cognoscimus; quia non cognoscimus illud secundum totam essentiam suam, quam à parte rei habet; quod indiuiduum genericum solet vocari: quia formaliter, & immediatè participat naturam, quę concepta iuxta ordinem prædicamentalem est generica: quo notato.

592 Sit prima conclusio. Propria inferiora generis, de quibus vt genus, est prædicabile immediatè, sunt species quas in potentia, vt partes subiectiuæ continet: mediatè verò indiuidua illarum adęquatè concepta. Probatur. Illa sunt inferiora generis, vt genus est, de quibus est prædicabile, vt pars essentialis perfectibilis illorum: sed genus, vt genus, est immediatè prædicabilis de speciebus, quas in potentia, & vt partes subiectiuas continet, vt pars perfectibilis

bilis illarum, & illis mediantibus de indiuiduis illarum adæquatè cōceptis; ergo inferiora generis de quibus, vt genus, est immediatè prædicabilis sunt species quas in potentia, vt partes subiectiuas continet; mediatè verò indiuidua illarum adæquatè concepta. Minor patet, quia natura generica prædicat immediatè de prædictis speciebus, & mediatè de illis indiuiduis, quia illud prædicat immediatè de aliquo, quod cognoscitur illi conuenire nullo alio tertio cognito; & è contrà, illud mediatè prædicat de alio, quod non cognoscitur illi conuenire, nisi medio aliquo tertio.

593 Secunda conclusio. Indiuidua inadæquatè concepta non sunt propria inferiora naturæ genericæ vt talis; & consequenter per comparationem ad illa non acquirit genereitatem, & suam proprietatem: sed specieitatem, & suam proprietatem. Probatur. Illa natura est proprium subiectum genereitatis, quæ concipitur vt perfectibilis; & illa est proprium subiectum specieitatis, quæ consideratur vt perfecta; sed natura generica non comparatur ad indiuidua inadæquata vt perfectibilis; sed vt perfecta; ergo natura generica per comparationem ad illa non genereitatem, sed specieitatem acquirit. Probatur minor: tunc natura generica consideratur vt perfectibilis, quando explicitè solùm repræsentat partem determinabilem essētię suorum inferiorum; implicitè verò, & confusè totam essentiam illorum; tunc verò consideratur vt perfecta, quando explicitè repræsentat totam essentiam suorum inferiorū: sed quando natura generica comparatur ad indiuidua inadæquatè concepta in tali conceptu nō repræsentatur, vt pars determinabilis essentiæ illorum explicitè; sed vt tota essentia eorum, vt ex se est manifestum; ergo natura generica non comparatur ad indiuidua inadæquatè concepta vt pars perfectibilis, sed vt natura perfecta.

594 Ad hanc probationē respondet primò Comptonius disput. 30. Logicæ, sect. 6. vbi tenet, quòd genus prædicetur de indiuiduis inadęquatè conceptis, vt genus; & quod genus prædicatur, vt pars essentiæ respectu speciei, nō autem respectu indiuidui incompleti. Vnde ait; proprietas generis est, quod sit prædicabile incompletè *in quid;* non quod hoc modo necessario semper prædicetur; sed quod generi, & nulli alij hoc competat: essentialis autem cōceptus generis est, vt prædicetur, seù sit prædicabile de pluribus differentibus specie; nam hæc est definitio generis à Porphyrio tradita.

595 Sed contra est, quia si tradita doctrina esset vera inter prædicationem primi, & secundi prædicabilis nullum esset essentiale discrimen: sed hoc est absurdum; ergo & id, ex quo hoc sequitur. Sequela patet; quia iuxta traditam doctrinam hæc est prædicatio primi prædicabilis: hoc animal est animal; & hæc iuxta rei veritatem est secundi, hic homo est homo: sed nullum est essentiale discrimen inter tales prędicationes: ergo si talis doctrina esset vera, nullū esset essentiale discrimen inter prædicationem primi, & secundi prædicabilis. Minor patet, quia in illis

O 3 præ-

prædicatum eodem modo se habet respectu subiecti; cum in vtraque dicat totam essentiam subiecti, vt de se patet. Alia via potero impugnare hanc doctrinā; sed hæc impugnatio pro nunc sufficiens esse videtur.

Resp. secundò, eo ipso, quod genus prædicetur vt tota essentia indiuidui incompletè sumpti, prædicatur, vt quid incompletum, & aptum, vt cõstituat essentiam integram specificam. Prædicatur ergo hìc completè respectu indiuidui incompleti; & eo ipso, vt aptum incompletè prædicari de specie, & vt quid per alterā compartem complebile.

596 Sed contra est quia; si hæc doctrina esset vera vtiquè hæc prædicatio: hoc sensibile est sensibile esset tertij prædicabilis; sed non est tertij: sed secundi vt sectione quarta dicemus: ergo falsa est talis doctrina. Probatur sequela: sensibile, dū prædicat de hoc sensibili non minùs prædicat, vt aptum prædicare de homine, quàm animal dum prædicat de hoc animali; sed his non obstantibus sensibile prædicat prædicatione secundi, & non tertij prædicabilis de hoc sensibili: ergo & animal de hoc animali prædicat non prædicatione primi, sed secūdi prædicabilis. Maior ex se est manifesta seruata proportione. Minorem verò à nullo negatā vidi; & satis ex dicendis loco citato constabit.

Dices primò contra hanc conclusionem: si quis vidit vnum hominē, & vnum equum, & explicitè cognoscit ea esse animalia, attamen ignorat, quæ animalia; & tunc ab illis abstrahit rationem communē animalis, quam illis eodem modo conuenire videt; tunc talis ratio sic accepta est generica, cum abstrahatur à pluribus specie differentibus: ergo natura generica in ordine ad indiuidua inadæquatè concepta acquirit genereitatē: antecedens patet; quia ratio specifica ab indiuiduis eiusdē speciei abstrahitur.

597 Resp. quòd licèt illa indiuidua à parte rei specie differant: tamen quia à vidente talis differentia non percipitur in eius cõceptu solo numero differūt in genere animalis, qui cõceptus obiectiu⁹ in ordine ad illa vt sic cognita induit modū speciei, quia respicit illa, vt solo numero diuersa, quod est propriū speciei.

Sed instabis ex Comptonio ibidē; differentia numerica Bucephali habet prædicatum notabiliter diuersū à differētia numerica Petri, .s. quod Bucephalitas petit realiter identificari cum natura equi; Petreitas verò non cum natura equina: sed cum natura humana: ergo prædictæ differentiæ differunt specie, & consequenter natura generica in ordine ad illa est verum genus.

598 Resp. falsum esse, quòd prædictæ differētiæ præcisè sumptæ differant specie inter se cum istæ, & omnes aliæ differentiæ indiuiduales sint inter se primo diuersæ. Vndè falsum est, quod prædictæ differentiæ magis inter se differant, quàm Petreitas, & Pauleitas, & ideò præcisè sumpta quęlibet differentia indiuidualis non petit identificari magis cum vna natura, quàm cum alia, sed solùm petit identificari cum natura, quàm indiuiduat quæcumque illa sit; pro quo videri potest sectione 3. huius disputationis quæst. 3. Et nota,

nota, quòd in casu, de quo disputamus Petreitas non concipitur, vt est differentia indiuidualis Petri; sed vt est quædam differentia indiuidualis; nam ad illud requirebatur, vt in illo conceptu cointelligeretur natura humana, vt contracta per illam differentiam indiuidualem; & eodem modo est philosophandum de Bucephalitate, proportione seruata.

599 Dices tandem contra eamdē conclusionem: Si natura generica comparata ad indiuidua inadæquatè concepta non haberet genereitatē, sed specieitatem sequeretur, quod genus supremum haberet supra se aliquod genus; sed hoc est falsum: ergo & id, ex quo hoc sequitur. Sequela patet, quia omnis species prædicabilis est quoque subijcibilis.

Resp. cum Didaco de Iesu disp. 7. quæst. 1. negando sequelam, ad cuius probationem dicendum est; quod omnis species prædicabilis est etiam subijcibilis, seruato ordine prædicamentali; non autem si est prædicabilis non seruato ordine prædicamentali; quia ordo prædicamentalis respondet ordini naturæ rerū, qui postulat, vt gradus genericus descendat ad indiuiduationem per speciem; at verò intellectus hoc ordine nō seruato potest facere speciem prędicabilem, quæ non sit subijcibilis; quia potest intellectus cognoscere substantiam cum singularitate; quia nō est necesse, vt inter conceptum genericum, & singularem in mēte mediet conceptus specificus; per intellectum enim quilibet gradus superior est capax indiuiduationis, per quod patet ad ea, quæ à nostro Lalmandet hic contra hanc conclusionem adducuntur.

600 Vltima conclusio. Differentiæ illarum specierum quas in potētia, & vt partes subiectiuas continet natura generica non sunt propria illius inferiora, in ordine ad quæ aliquam vniuersalitatem acquirat; & ideò licèt natura generica comparata ad illas differētias ex vi talis comparationis veram prædicabilitatem acquirat; non tamen prædicabilitatem, quæ sit propria alicuius vniuersalis. Probatur prima pars; illa sunt propria inferiora naturæ genericæ, in ordine ad quæ aliquam vniuersalitatem acquirit, in quibus includitur; sed nullo modo prædicta natura includitur in talibus differētijs; quia differentia excludit genus, cum habeat semper rationē compartis respectu illius; ergo prædictæ differentiæ non sunt propria inferiora naturæ genericæ, in ordine ad quæ aliquam vniuersalitatem acquirat.

601 Deindè probatur secunda pars conclusionis: per illam comparationem natura acquirit veram prædicabilitatem de aliquibus, per quam ad illa comparatur, quæ aliquo modo continet; sed natura generica cōtinet in potentia prædictas differentias, vt supra diximus; ergo quando comparatur ad illas ex vi talis comparationis veram prædicabilitatem acquirit.

Tandē probatur vltima pars conclusionis: per illam comparationē natura acquirit prædicabilitatē, quæ est passio alicuius vniuersalis, per quam ad ea comparatur, in quibus includitur; sed natura generica non includitur in illis differentijs; ergo per comparationē ad illas nō acquirit

rit prædicabilitatẽ quæ ſit paſſio alicuius vniuerſalis. Maior patet, quia natura per p̃dicabilitatẽ, q̃ eſt paſſio alicui⁹ vniuerſalis cõſtituitur potẽs prædicari de plurib⁹ p̃dicatione formali; ſed ſic nõ cõſtituitur niſi cõparetur ad ea, in quib⁹ includitur: ergo per illam comparationẽ natura acquirit prædicabilitatem, quæ eſt paſſio alicuius vniuerſalis, per quàm ad ea comparatur in quibus includitur.

602 Sed quæres, Vtrum natura generica comparata ad indiuidua eiuſdem ſpeciei prædicabilitatem, quæ eſt paſſio genereitatis, acquirat ex vi talis comparationis?

Reſp. quòd non, quia tunc eodẽ modo ſe habet natura generica in ordine ad talem prędicabilitatem; ac quando comparatur ad vnam tantũ ſpeciem, & ſicut quando ad vnicam tantum ſpeciem comparatur ex vi talis comparationis non acquirit aliquam vniuerſalitatem; neq; aliquam prædicabilitatem, quæ ſit paſſio alicuius vniuerſalis; cum tantum natura acquirat aliquam vniuerſalitatem quando ad plura comparatur, vt potens eſſe vna in illis; ita & quando ad plura indiuidua eiuſdẽ ſpeciei comparatur. In qua doctrina ſolum reperitur difficultas in illo, .s. quod natura generica comparata ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei eodem modo ſe habeat in ordine ad illa, ac quãdo comparatur ad vnam tãtum ſpeciem; quod ſic probo: tota ratio, per quam natura generica comparata ad vnam tantum ſpeciem ex vi talis comparationis non acquirit generitatem, & prædicabilitatem, quæ eſt eius paſſio, eſt, quia talis ſpecies non eſt terminus talium relationum: ſed neque plura indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt terminus talium relationũ: ergo natura generica comparata ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei eodem modo ſe habet in ordine ad genereitatem, & prędicabilitatem, quæ eſt eius paſſio, ac quãdo comparatur ad vnam tantum ſpeciem.

Probatur minor: ideò vna ſpecies ſola nõ eſt terminus genereitatis; qa natura generica ad ſuum terminum cõparatur, vt pars materialis, & perfectibilis illius: ſed natura generica non poteſt comparari ad vnam ſpeciem, vt pars perfectibilis, & materialis illius, neque ad plura indiuidua einſdem ſpeciei: ergo ſicut vna ſpecies non eſt terminus relationis genereitatis, ita neque plura indiuidua eiuſdem ſpeciei. Probatur minor: natura generica cum ad vnam ſpeciem comparatur, non ſumitur cum maiori amplitudine, quàm differentia illius, neque vt ratio, per quam talis ſpecies cum alijs cõuenit: ergo quando natura generica comparatur ad vnam ſpeciem non comparatur ad illam, vt quid contrahibile; ſed eadem ratione comparatur ad plura indiuidua eiuſdẽ ſpeciei, ac comparatur cum vna ſpecie, vt ex ſe eſt manifeſtum: ergo ſicut vna ſpecies nõ eſt terminus genereitatis; ita neque plura indiuidua eiuſdem ſpeciei.

603 Dices contra. à comparatione compoſita naturæ genericæ ad vnam ſpeciem, vel ad plura indiuidua eiuſdẽ ſpeciei reſultat in ipſa relatio prædicati generici: ergo per comparationem ſimplicem eiuſdẽ naturæ ad eoſdem reſultabit in ipſa relatio prædicabilitatis genericæ.

Reſp. quod licèt verum ſit, quòd natura

natura generica prędicet de vna specie,& de indiuiduis illius prędicatione primi prędicabilis; non tamen in ordine ad illam, vel ad illa, prædicabilitatem primi vniuersalis acquirere valet; quia ad hoc, vt aliquid sit prędicatum genericum, sufficit, vt explicitè dicat partem essentiæ, quæ sit perfectibilis per plures differentias, quamuis ita actu non concipiatur; nam prædicatum, vt tale solùm in ordine ad subiectum, de quo prædicat, concipi debet, cum solùm ille sit terminus talis relationis: at verò verò vna species, vel plura indiuidua eiusdem speciei non sunt terminus genereitatis, vt dictum est; licèt verũ sit, quòd per comparationem simplicem naturæ genericæ ad vnã tantum speciem, vel ad plura indiuidua eiusdem speciei resultat in ipsa quædam relatio, rationis innominata, & non vniuersalitas.

604 Sed instabis, quotiescumque aliqua natura comparatur simplici comparatione ad inferiora acquirit vniuersalitatem: ergo natura generica comparata ad plura indiuidua eiusdem speciei acquirit aliquã vniuersalitatem ex vi talis comparationis; sed hæc non potest esse aliqua genereitas: ergo natura generica per comparationem ad plura indiuidua eiusdem speciei acquirit genereitatem.

Resp. quòd, cum natura generica sit intrinseca indiuiduis eiusdẽ speciei, de quibus loquimur, nõ potest in ordine ad illa aliam vniuersalitatẽ acquirere, quàm genereitatem, specieitatem, vel differentialitatem; cũ autem talia indiuidua adęquatè cõcepta nõ sint terminus illius, quatenus perfectibilis est, hinc est, quòd illa in ordine ad talia indiuidua genereitatem acquirere non valet, & neque quatenus perfecta, neq; quatenus perficiens; cum nullo ex his modis possit concipi respectu illorum; & ideò neque specieitatẽ, nec differentialitatem ex comparatione ad illa habere potest, & consequenter nullam vniuersalitatem.

605 Ex dictis in hac quæstione colligitur solutio alterius à Doctoribus valdè agitata, .s. an genus in vnica specie conseruari valeat; cuius sensus est ni fallor; an si daretur aliqua natura generica, quæ tantum vnam speciẽ haberet, vt de facto erit natura animalis post diem iudicij, an possit recipere genereitatem.

Ad quam iuxta dicta est respondendum; quod in illo casu si illa natura plures habuerit species in potẽtia, & ad illas compararetur comparatione simplici, verè acquireret genereitatem in ordine ad illas, iuxta dicta sect. vlt. quæst. 1. prçteritæ disput.; si autem ad illam solam comparata fuerit nullam vniuersalitatẽ acquireret, iuxta dicta in hac quæstione. Deindè si talis natura ita haberet vnicam tantum speciem, vt alias sub ipsa essent impossibiles, tũc non solum non posset acquirere aliquam vniuersalitatem in ordine ad illam, vt patet ex dictis; sed neque de illa prędicaret prędicatione alicuius prædicabilis. Quod patet; quia si aliqua, maximè primi, hac non, quia ad illam requiritur, vt prædicatum distinctione virtuali à parte rei à subiecto distinguatur, quod in tali casu non haberet natura generica, quia ideò modò hoc habet; quia in suo con-

conceptu non includit rationale; vtpotè quia magis ipso latè patet, & tunc non haberet, vt patet. Vndè tunc talis prędicatio esset identica.

QVAESTIO VLTIMA.
Quotuplex sit genus.

606 Explicata essentia generis, & eius proprietates, nec non & inferiora propria illius: restat solum, vt eius multiplicitatem inuestigemus, ad quod excitatur pręsens quæstio, quæ licèt ex dictis disput. præcedenti, sect. vlt. quæst. 1. ferè decisa maneat; nam vt ibidem diximus: genus est species infima vniuersalis, & consequenter non est essentialiter diuisibilis; quia tamen potest accidentaliter diuidi, & intelligentia talis diuisionis non parum facit ad explicationem naturæ generis, & ad intelligentiam prædicamentorum, ad quam tota hęc disputatio ordinatur, ideò breuiter ibi proponitur: pro quo.

Sit conclusio. Genus aliud est supremum, illud .s. quod supra se nullum aliud genus habet, v. g. substantia, & aliud intermedium, quod .s. supra se, & sub se aliud genus habet, v. g. viuens, quod supra se corpus, & substantiam, & sub se animal habet: & aliud infinitū, quod est illud, quod licèt supra se aliud genus habeat: nō tamen sub se, v. g. animal in communi sententia; quæ diuisio est subiecti per accidentia. Prima pars, cum ex ipsis terminis pateat, probatione non eget.

607 Secunda verò probatur. Diuisum huius diuisionis nihil est aliud quàm genereitas; quia idem est diuisum huius diuisionis, ac definitum in definitione generis; (*definitum verò in tali definitione, vt quęstione prima diximus, siuè in cōcreto, siuè in abstracto sumetur est genereitas*) sed accidit genereitati esse in natura, quæ supra se aliam naturam non habeat, quæ etiam genereitatem recipere possit, licèt sub se talem naturam habeat; & esse in natura, quæ supra se, & sub se aliam naturā habeat, quæ etiam genereitatem recipere possit, & esse in natura, quæ supra se habet, non tamen sub se aliam naturam, quæ etiam genereitatem recipere possit: ergo cum talis diuisio per hoc tradatur; consequens est vt sit subiecti per accidentia; nam vt in introductione diximus lib. 2. sect. 4. diuisio subiecti per accidētia est illa in qua subiectum diuiditur per accidentia, quæ ipsi accidunt. Minor patet, quia eadem ratione genereitas facit referre ad idem terminum naturam, siuè ipsa natura habeat supra se, vel sub se, siuè non, aliam naturā, quæ possit genereitatem recipere: ergo hoc accidit genereitati.

608 Dices contra. Ex hoc, quod genus habeat supra se aliud genus acquirit relationem subijcibilitatis; è contrà verò, ex hoc quod tale genus supra se illam non habeat: ergo prędicta genera essentialiter sunt diuersa; nam ab eodem genere eędem dimanant proprietates; & consequēter talis diuisio non est subiecti per accidentia, sed essentialis.

Resp. quod relatio subijcibilitatis nō oritur ex genereitate, sed illi opponitur; nam dum aliqua natura habet relationem genereitatis, prout sic illi repugnat relatio subijcibilitatis; subijcibilitas.n resultat in natura,

quæ

quæ genereitatem recipere valet; & non à genereitate, sed à cognitione, qua simpliciter in ordine ad aliam naturam sibi superiorem cognoscitur; quæ etiam est capax genereitatis; ratio cur in vna natura, & non in alia talis relatio resultat est, quia vna habet dictam naturam supra se, non verò aliam, quod accidit genereitati, non secùs ac albedini, quod suum subiectum possit rugire, ratiocinari; vel nihil horum facere.

SECTIO II.
De Specie.

609 *Postquàm in præterita sectione de Genere egimus, in hac de Differentia erimus acturi, vtpotè illius compars Speciei, quia cognitio totius ex cognitione partium pendet; tamen quia hæc disputatio ordinatur ad categorias, cum sit introductio illarum, & in recta linea non, Differentiæ, sed immediatè sub genere Species collocantur, hinc est, quod in hac disputatione meritò Doctores immediatè post tractatum de Genere, hunc subdunt; & nos cum illis hoc idem facimus: pro quo sit.*

QVÆSTIO I.
Quid sit Species.

610 VAriæ acceptiones speciei à Porphyrio adducuntur, quæ a nostro Lalemandet hìc cum multis alijs explicantur; illis omissis, quæ apud citatũ videri possunt, hoc vnum certum est, quod hoc nomen, Species, apud Logicos est æquiuocum, & ideò eius significatum non vna, sed plures definitiones definiri tenemur, cum non vnam, sed plures essentias importet, importat igitur hoc nomen, Species logica æquiuocè. Speciem subijcibilem, & prædicabilem, vt autem à Specie subijcibili incipiamus, vtpotè correlatiuum generi.

Notandum est quòd, cum subijcibile, quodāmodo vniuersali opponitur, ideò sicut vniuersale, vt diximus, est natura vna relata rationis ad plura sibi inferiora, ita subijcibile est natura vna relata rationis ad vnum, vel ad plura sibi superiora, ex quo patet quo modo species subijcibilis sit definienda: definitur autem sic. Species subijcibilis est natura vna relata rationis ad aliquod, vel ad aliqua genera sibi essentialiter superiora: cuius definitionis bonitas patet ex se, & ex dictis quæstione prima præteritæ sectionis.

611 Ex qua definitione colligitur, quod naturæ, quæ genereitatem recipere possunt per comparationem ad propria inferiora, si comparantur ad sibi essentialiter superiora vniuoca, si illa habent non aliquam genereitatem recipere possunt, sed relationẽ specieitatis subijcibilis acquirunt, & consequenter genus intermedium, & infimum impropriè talia vocantur, sed propriè Species subijcibiles sunt dicendæ prout considerantur tali consideratione secundùm quàm genera intermedia, & infima vocari solent; tamen quæstione præterita sic vocauimus illa, quia loquendum est cum multis.

Ex quib⁹ colligitur, ꝙ species subijcibilis alia est subalterna, & alia infima. Prima est illa, quæ aliã, vel alias species sub se habet, v.g. viuens, animal: secunda verò est illa, quæ sub se nullam aliam speciem habet, v. g. homo &c. Deindè colligitur, quod

species

ſpecies ſubijcibilis quatenus talis nō eſt vniuerſalis; nam cum ſubijcibilitas opponatur vniuerſalitati, nō poſſunt eidem naturę conuenire reſpectu eiuſdem termini: & cum intellectus non poſſit vna comparatione, ad terminos ſpecie diuerſos in ratione termini vnum comparare cōſequens eſt, vt ſpecies prout ſubijcibilis vniuerſalitatē habere nō valeat.

612 Tandē colligitur, quod nulla vniuerſalitas poteſt eſſe paſſio ſubijcibilitatis ſpeciei; quia paſſiones eadem actione cauſantur ab agente; & vbi ſubiectum exiſtit, & paſſiones quoquè illius reperiuntur, etiam in entibus rationibus, vt patet in vniuerſalitate, & pdicabilitate de multis; cum autem in natura prædictæ relationes ab eadem actione non dimanent, & ſint incompoſſibiles in eodem ſubiecto; conſequens eſt, vt prædictæ relationes vna non ſit pars alterius.

Species prædicabilis, quæ eſt ſecundum vniuerſale; ſic debet definiri in concreto: ſpecies eſt natura perfecta vniuerſalis eſſentialis; in abſtracto verò ſic: ſpecieitas eſt vniuerſalitas eſſentialis naturæ perfectæ.

Sed quæres an omnis ſpecies prędicabilis ſit etiam ſubijcibilis?

Reſp. quòd ſeruato ordine naturali, cui correſpondet ordo prædicamentalis nulla eſt ſpecies prædicabilis, quæ etiam nō ſit ſubijcibilis, quia ſecundùm prædicti ordines indiuidua nō continentur ſub genere, niſi media ſpecie; ſi autem talis ordo nō ſeruatur, vt contingit quando intellectus inadæquatè concipit indiuidua, v. g. cognita differentia indiuiduali, & ſola natura vniuoca omninò ſuprema illorum; vt ſi in aliquibus animalibus rationem ſubſtātiæ, & immediatè differētias indiuiduales talium animaliū cognoſcat; tunc ſi talis natura ad illa compararetur, vt ex tali comparatione reſultaret in tali natura ſpecieitatem prędicabilē, quæ natura nullatenus ſpecieitatē ſubijcibilem acquirere valet; cum ſupra ſe prędicatum aliquod vniuocum non habeat, in ordine ad quod talem relationem acquirere poſſit. Hoc .n. contingit; quia tunc indiuidua non concipiuntur ſecundū ordinem eis connaturaliter debitum.

613 Contra definitionem ſpeciei prędicabilis dices. Hæc definitio cōuenit alijs à definito: ergo non eſt bona. Probatur antecedens: conuenit pūcto, & alijs entibus incompletis; ſed iſta non ſunt ſpecies: ergo talis definitio cōuenit alijs à definito.

Reſp. negando antecedens: ad cuius probationem negatur minor; nam licèt prędictæ ſint phyſicè incompletæ, poſſunt tamen eodem modo ad ſua inferiora comparari, vt accidentia completa; cum autem ex comparatione naturæ ad inferiora acquirat vniuerſalitatem, hinc eſt, quòd ea, quæ eodem modo comparari poſſunt ad inferiora, eamdem vniuerſalitatem habere poſſint.

Dices contra cum Complutenſibus hìc diſput. 6 quęſt. 1. ſicut entia incompleta non ponuntur in recta linea prædicamentali, ita neque ſimpliciter ſunt vniuerſalia, genera, vel ſpecies; ſed tantum ſecundum quid.

614 Reſp. quòd ſicut differentia, quamuis non ponatur in recta linea prædicamentali, tamen eſt ſimpliciter vniuerſalis, vt ipſi cum omnibus tenent;

tenent; ita quamuis entia incompleta directè non ponantur in prędicamentis: possunt tamen esse simpliciter vniuersalia. Hæc doctrina est Murciæ hìc quęst. 3. quam amplectitur Mastrius hìc disput. 6. quæst. 2. art. 1. citans pro ea Blanc. disput. 3. sect. 16. vbi etiam eam confirmat exemplo adducto à Murcia .s. quòd sicut manus est per se alba, quamuis sit pars corporis; quia habet albedinem completam; ita anima Leonis, v. g. in ordine ad hanc, vel illam animam leoninam considerata, est vera species; quia habet integrã speciei tatem, quamuis sit pars Leonis. Vndè rectè dicit Mastrius, quòd prędicta anima dicitur species incompleta fundamentaliter tantum; nam formaliter est completa.

Miror, quod Amicus hìc tract. 6. q. 1. dub. 5. postquã doctrinã Murciæ adducit, concludit hanc esse quęstionem de nomine; Miror, inquam, nõ tantum ex dicto, quãtum ex fundamento illius, quo motus est ad hoc dicendum, quia Doctores, qui de aliqua scientia scribunt, existimo nõ debere præcipuè explicare quid de rebus illius scientiæ senserunt Doctores, qui de illa scripserũt; sed quid in rei veritate sit tenendum; nã aliàs non sunt explicatores illius scientię; sed inuestigatores mentis Doctorũ, qui de illã scripserũt, quod existimo proprium esse miserrimo ingenio. Miror etiam, quod prædictus Doct. contrarium huius Murcianæ doctrinæ ibidem sustineat, cum tract. 5. quæst. 1. dubit. 6. cum Arcisio quęs. vnica in cap. de Genere ad 17. concedat animam esse genus ad vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

QVÆSTIO II.

Vtrum natura, cui repugnant plura indiuidua, possit recipere notionem specieitatis prædicabilis.

615 CVm sit certum, quod natura, quæ vnicum tantum habet indiuiduum, & ei non repugnãt plura, notionem specieitatis acquirere valeat; si ad plura possibilia cõparetur cũ multa, in ordine ad quæ natura acquirit vniuersalitatem, non est necesse, quòd actu existant; sed sufficit, vt possint existere, vt patet, cùm ex definitione vniuersi adducta disputatione præterita, tum etiam ex ibìdem dictis. Vndè solùm est dubium de ill s naturis, quæ ita vnicum habent indiuiduum, vt eis repugnet plura habere: tales existimãtur esse à Thomistis naturas Angelorum; quam sententiam ex professo impugnabo tomo 1. Introductionis ad apicẽ verorũ Philosoph. & ex dicendis sectione sequenti facilè colligi potest impugnatio illius; cum ex ibidem dicendis fundamentum illorum in tali sententia facilè corruat, & ideò data, & non concessa prædicta sententia, iuxta principia Thomistarũ de indiuiduatione, eam soluare conabimur: pro quo.

616 Notandum est, quod si natura Gabrielis adæquatè eo .s. modò quò Raphael illam concipit, à nobis concipiatur; idest prout est in se; cũ in se sit idem realiter cum sua differentia indiuiduali, nequaquam eam à tali differentia præscindere possumus; & ideò tota quæstio est in hoc: an natura Gabrielis, v. g. à nobis inadæquatè cum fundamento in re concipi possit sine differentia indiuiduali,

duali, & si sic concipi possit, an sic concepta possit notionem speciei-tatis prædicabilis recipere, & quomodo: quod claritatis gratia per tres sequentes conclusiones explicabimus. Pro quo.

Sit prima conclusio. Natura Gabrielis, v. g. supposito, quòd sit prorsus immultiplicabilis, adhuc à nobis cum fundamento in re, inadęquatè tamen concipi potest sine differentia indiuiduali. Probatur: Possumus concipere naturam Gabrielis, & sic de facto multoties eam concipimus ad modũ rei corporeæ: sed res corporea concipitur à nobis præcisa à differentia indiuiduali cum fundamento in re: ergo naturam Gabrielis possumus concipere pręcisã à sua singularitate cum fundamẽto in re.

617 Sed ad hanc probationem dices, quod consequentia illius non est bona; nam licèt Gabrielem concipere possumus admodum rei corporeæ, non tamen ei possumus tribuere proprietates rei corporeæ, & consequenter, neque illam à differentia indiuiduali præscindere, cum hoc sit proprium naturæ corporeæ.

At contra est; quia falsũ est, quod sit proprium solius naturę corporeę præscindi à differentia indiuiduali; quia etiam hoc naturæ Angelicæ competit, si inadæquatè concipiatur; quod sic probatur: ideò differẽtia indiuidualis potest pręscindi à natura rei corporeæ cum fundamento in re, quia non est de illius essentia: sed neque differẽtia indiuidualis Gabrielis est de illius essentia: ergo natura Gabrielis, si ad modum rei corporeæ concipitur, cum fundamento in re sine differentia indiuiduali cõcipi potest.

618 Sed instabis. Differentia indiuidualis Gabrielis est carentia materiæ, seu irreceptibilitas in materia: sed ista carentia est ei essentialis, cũ per illam ab anima rationali distinguatur: ergo non potest ab illa præscindi. Consequentia patet; quia nihil potest abstrahi ab eo, quod est ei essentiale: quia sic non abstraheretur; sed destrueretur.

Resp. quòd carentia materiæ, & irreceptibilitas non est ipsa indiuiduatio Gabrielis, sed est radix illius; quia indiuiduatio Gabrielis non dicit solum principium incommunicabilitatis, sed etiam designationem, & determinationem certam indiuidui, quæ etiam in Angelis dicit ordinẽ ad extrinseca prędicata .s. ad subsistentiam, & accidentia; & ideò non pertinet purè ad essentiam illorum; & sicut materia dupliciter potest cõsiderari .s. vt constituit ipsam naturam; & prout est radicale principiũ indiuiduationis, & multiplicationis numericæ; & quãdo natura in communi consideratur, materia solùm consideratur, vt cõstituens; non autem, vt est radix indiuiduationis: ita similiter in Angelo carentia materiæ, & irreceptibilitas in ea dupliciter potest considerari: primò secũdùm quod pertinet ad constitutionem formæ simplicis, & purè spiritualis: secundò secundùm modum indiuiduationis, quatenus talem naturam spiritualem reddit incommunicabilem, & immultiplicabilem; & ideò quando in Gabriele, v.g. inadęquatè concepto abstrahimus naturã specificam à modo indiuiduandi, nõ præscindimus in tali natura id, quod essentiale quantum ad constitutione

quid-

quidditatis: sed id, quod in illa natura pertinet ad modum indiuiduationis, qui radicaliter originatur in ipsa natura specifica: non tamen formaliter in ea consistit, cum dependeat in sui designatione à prædicatis extrinsecis.

619 Item vrgebis. Si à Gabriele, v.g. potest præscindi natura specifica à modo indiuiduandi, sequeretur posse eodem modo Petrum concipi, cum Gabriel non minùs intrinsecè sit singularis, quàm Petrus: sed sequela est falsa: ergo, & id ex quo sequitur.

Resp. quod est dispar ratio de Petro, & de Gabriele; nam Petrum nō solum radicaliter, sed etiam formaliter explicat ipsam indiuiduationē; & ideò non potest concipi sine differētia indiuiduali, etiam inadęquatè, nisi destructo conceptu Petri, & accipiendo conceptum naturæ: in cōceptu autē naturæ Gabrielis inadæquatè conceptæ non explicatur formaliter ipsa indiuiduatio, licèt radicem eius includatur.

Miror, quod Mastrius hìc tā parcus sit, vt recuset concedere pręcisionem naturæ Gabrielis per conceptum inadæquatum conceptæ à differentia indiuiduali, supposita sētentia D.Tho. qui audet artic. sequ. præcisionē simpliciter talem ponere inter rationem cōmunem differētiarum indiuidualiū, & vltimarum illarum differentiarum per cōceptū inadęquatum conceptam; cū tamen sit certū talem rationē essentialiter includi in vltimis illis differentijs.

620 Secunda conclusio. Natura Gabrielis, v.g. inadæquatè concepta modo supra explicato si per actum absolutum intellectus concipiatur, est fundamētaliter proximè vniuersalis, & species prædicabilis. Probatur: illa natura est fundamentaliter proximè vniuersalis, & species prædicabilis, cui vniuersalitas, & speciei tas prædicabilis non repugnat, & ad hoc vt sit formaliter vniuersalis, & species prædicabilis nihil ei præter vniuersalitatem; & specieitatē prædicabilem deest, sed sic se habet natura Gabrielis tali modo concepta: ergo prout sic est fundamentaliter proximè vniuersalis, & species prædicabilis.

Sed dices. Natura diuina inadæquatè concepta per actum absolutū intellectus nō est fundamētaliter pximè vniuersalis: ergo neq; angelica.

621 Resp. quod est dispar ratio vtriusquè; quia licèt natura diuina inadæquatè possit concipi per modū naturæ sine singularitate; tamen ei etiam sic conceptæ repugnat vniuersalitas, quia non potest concipi vt cōtrahibilis per differentias, cum sit actus purus, & nullo modo in potentia: natura verò Gabrielis è contra se habet, vt constat ex dictis.

Dices tandem: repugnat naturæ Gabrielis vniuersalitas, & specieitas prædicabilis quocumque modo cōceptæ: ergo quando concipitur inadæquatè per actum absolutum, nō est fundamētaliter proximè vniuersalis. Probatur antecedens ad hoc, vt aliqua natura habeat prædictas relationes debet esse in pluribus à parte rei multiplicabilis; sed talis multiplicabilitas repugnat prędictæ naturæ; ergo & vniuersalitas. Probatur minor: quod per se conuenit alicui eius oppositū eidem, etiam per accidens,

dens, conuenire non potest; sed per se conuenit naturæ Gabrielis etiam inadęquatè conceptæ, quod sit immultiplicabilis: ergo immultiplicabilitas ei omnino repugnat.

622 Resp. negando antecedens; ad eius probationē negatur maior; quia ad hoc, vt aliqua natura sit vniuersalis, & species secundùm rationem, tantùm sufficit, vt secundùm ea, quę importat in illo conceptu, à quo in ipsa tales relationes resultant, non repugnet ei multiplicatio. Deindè negatur minor, ad eius probationem dicimus: verū esse, quod multiplicatio in pluribus positiuè nullo modo naturę Gabrielis conuenit; his tamen non obstantibus ei sic conceptę non repugnat.

Vltima cōclusio. Natura Gabrielis, v. g. inadęquatè concepta per actum comparatiuum simplicē ad proprium indiuiduum ex vi talis cōparationis vniuersalitatem, & prędicabilem speciecitatem acquirit. Probatur. Talis natura sic concepta à tali conceptu acquirit aliquam relationem rationis: sed talis relatio est eiusdem speciei cum illa, quam acquirit natura humana per comparationem ad plura indiuidua; ergo, cū ista sit specieitas prędicabilis, consequens est, vt & illa quoquè sit talis. Probatur antecedens: sic se habent prędictæ relationes inter se, sicut duę paternitates, per quas duo homines, vnus plures filios positiuè p illam respicit; & alius vnum positiuè, & alios per non repugnantiam: sed istę sunt eiusdem speciei; ergo & illę. Probatur antecedens; quia natura Gabrielis per illam relationem positiuè respicit proprium indiuiduum, & per nō repugnantiam plura; quia ei secundùm id, quod exprimit in tali conceptu plura non repugnat: natura verò humana positiuè plura per illam respicit; ergo sic se habent relationes istarū, sicut illarum.

623 Ex hac conclusione, vel potius ex probatione illius apertè constat, quod natura Gabrielis, v.g. non sit formaliter vniuersalis in ordine ad indiuidua ficta: sed in ordine ad proprium indiuiduum: & ad plura alia realia, ei non repugnantia ex vi illius, quod in tali conceptu exprimit; nam si vniuersalitatem haberet in ordine ad indiuidua ficta, nō propriè, sed fictè esset vniuersalis; quod bene probat Obiedo hìc puncto 2. sed miror, quod hìc Doctor tàm improbabilem hanc nostram sententiam reputet, vt dicat, quòd illi non minus hanc sententiā suadent Thomistę, ac si illi suaderent, quod Petreitas est vniuersalis, & supremum genus prędicamenti substantię: existimo tamen non esse tàm in probabilē, fortè enim apud ipsum aliquas minus probabiles reperiuntur: nescio enim de quibus Mastrius disp. 5. quęst. 1. art. 3. Logicæ propriè dixerit: sed quęso, ne cōteramus tempus circa dicta, & chymeras recentiorum, qui, vt aliquid noui videantur afferre, in mille passim labuntur ineptias.

624 Colligitur tandem, quod natura Gabrielis est tantū species prædicabilis secundùm rationem; non autem secundùm rem, & rationem, vt natura humana, vel Solis. Quod vt intelligatur est notandum, quòd vniuersalę est duplex, vt ex D. Tho.

D. p. quæst. 13. art. 9. colligitur: vnū secundùm rem, & rationem; & alterum secundùm rationem tantùm. Primū est illud, quod habet fundamentum in ipsa re, & in ratione, vt sit vniuersale, v. g. natura humana, quæ actu à parte rei est diuisa in pluribus; & natura Solis, quæ licèt à parte rei non sit actu diuisa in pluribus, est tamen actu à parte rei diuisibilis in pluribus; ex quo sumitur fundamentum, vt concipiatur, vt vniuersalis: vniuersale verò secundùm rationem tantùm est illud, quod in solo intellectu habet fundamentum propter suum modum intelligendi.

Dices contra tertiam conclusionem ex Morando hic quæst. 4. si natura Gabrielis, v. g. aliquo modo cōcepta esset species prædicabilis, prædicaret de Gabriele prædicatione secundi prędicabilis: sed hoc nō; ergo natura Gabrielis nullo modo potest esse species prædicabilis. Probatur minor; quia de Gabriele prędicat solum prædicatione ęqualis de ęquali; sed prędicatio secundi prędicabilis est prędicatio superioris de inferiori; ergo natura Gabrielis non prędicat de ipso prędicatione secūdi prędicabilis. Probatur maior ex D. Th. 5. metaphysicè lect. 19. vbi habet, quod modus prędicandi sequitur modum essendi; sed ex suppositione facta par ambitum habēt in essendo Gabriel, & natura ipsius: ergo talis natura prędicat de illo prędicatione ęqualis de ęquali.

Resp. negando minorem: ad eius probationem negamus maiorem: ad cuius probationem ad maiorem dicimus, quòd modus prędicandi sequitur modum essendi, quem habet res in intellectu: non verò modum essendi, quem habet à parte rei; quia aliàs omnes prędicationes specificæ essent ęqualis de ęquali; nam homo, v. g. qui prędicat de Petro est ille, qui à parte rei in ipso includitur; & cum sit realiter identificatus cum ipso, à parte rei par ambitum cum ipso habet. Vndè cum natura Gabrielis in conceptu inadęquato plus ambitum habet, quàm Gabriel, vt ex supra dictis constat, non prędicatione ęqualis de ęquali, sed superioris de inferiori de Gabriele prædicat.

SECTIO III.

De Indiuiduo.

626 *Cum indiuidua sint terminus speciei prædicabilis ex eo, quod natura specifica prout prædicabilis illa sola respicit, vt natura completa eorū. Ideoq; à Porphyrio species sic describitur:* Species est id, quod de pluribus numero differentibus in quid prędicat: *ideò meritò postquam de specie in præterita sectione egimus, de indiuiduo in hac sermonem instituimus: pro quo sit.*

QVÆSTIO I.

Per quid res proximè indiuiduantur.

627 VT verum fundamentum indiuidualitatis cognoscamus, presentem hìc excitamus quæstionem, in qua primò, vt certum, & ab omnibus receptū supponimus, quod omne, quod est, indiuiduū, seu singulare est, quod satis probaui disputatione 3. quæst. 1. Vndè solùm restat difficultas, an singularitas sit de essētia cuiuslibet rei, vel an quælibet res formaliter fiat sīgularis per aliquod superadditum suæ essentiæ: & si sic; quid

quid hoc sit, & quomodò ab essentia distinguatur, ad cuius solutionem.

Sit prima conclusio. Nulla res est essentialiter singularis prętet Deum. Probatur prima pars. Si res creatæ essent essentialiter singulares, omnes naturæ specificæ in suo cōceptu adęquato includerent omnes differentias indiuiduales omnium indiuiduorum sub ipsis contentorum: sed hoc est absurdū; ergo nulla res creata est essentialiter singularis. Maior est per se manifesta. Minor verò probatur. Si omnes differentiæ indiuiduales omnium indiuiduorum alicuius naturæ specificæ includerētur in conceptu adęquato talis naturæ; tunc omnes illæ differentiæ essentialiter prædicarent de quocumque illorum: sed hoc est absurdum: ergo absurdum est, quod omnes naturæ specificæ in suo conceptu adęquato includant omnes differentias indiuiduales omnium indiuiduorū sub ipsis contentorum. Maior huius probationis est etiā manifesta; quia euidens est, quod tota natura specifica, seu conceptus obiectiuus adæquatus naturę specificę de quocumque indiuiduo sub ipsa cōtento prędicat essentialiter. Minor etiam est manifesta; quia clarè constat, quòd hæc prædicatio est falsa, Petrus est Paulus, &c.

628 Licèt plures aliæ probationes huius primæ conclusionis partis adducere possim, quia tamen est negotium, in quo apud Doctores est pauca controuersia, hac contentus sum, quæ licet videri possit insufficiens, quia plures sunt species rerū, quæ non habent nisi vnicum indiuiduum, in quibus prędicta ratio videtur non currere: tamen, quia in mea sentētia nulla est species, siuè incorporea, siuè spiritualis, quæ saltem de potentia absoluta plura indiuidua habere non possit; vt aliquando explicabo, ideò sufficientem esse iudico. Secunda pars conclusionis constabit ex dicendis prima parte introductionis ad apicem Philosophorū, vbi ex professo (Deo dante) probabitur. Sufficit tamen hìc notare, quòd proposita ratio pro prima parte cōclusionis non militat contra Deum, nam vt ibidem philosophicè probabo, Deus ita est vnus, vt repugnent plures Dij.

629 Secunda conclusio. Quælibet res creata proximè, & formaliter est singularis, seù indiuidua per aliquam differentiam indiuidualem, quę est extra essentiam rei per ipsam indiuiduatæ, quæ ab Scotistis eccæitas appellatur; eo quod facit rem determinatam; & hæc quoque est aliquid positiuum incommunicabile, ex quo emanat negatio diuisibilitatis in plura, quorum quodlibet sit ipsa res indiuiduata. Vltima pars huius conclusionis. s. quòd indiuiduum, vt tale, dicat quamdam negationem diuisibilitatis in plura, quorū quodlibet sit ipsum, est res per se manifesta; nam experimur; quòd si ex vna aqua plures aquæ fiant, nulla tamen ex illis est illa aqua, quæ fuit partita; ergo quodlibet indiuiduum, vt tale includit prędictam negationem.

630 Secunda pars conclusionis s. quòd differentia indiuidualis sit aliquid positiuum. Probatur primò: nihil simpliciter repugnat alicui enti per solam negationem in eo positā, sed per aliquod positiuum, ad quod con-

consequitur illa negatio: sed repugnat indiuiduo, vt tali, diuidi in plura quorum quodlibet sit ipsum, vt sup. probauimus; ergo talis negatio ei conuenit ratione alicuius positiui: ergo differentia indiuidualis est aliquid positiuum. Hęc vltima consequentia patet; quia si indiuiduum, vt tale includit aliquid positiuum, & aliquam negationem, & non constituitur formaliter in esse talis per negationem, consequens est, vt per illud positiuum, in tali esse constituatur formaliter; cum autem in prima parte conclusionis infra declaranda dicamus cōstitui formaliter per differentiā indiuidualem; consequens est, vt differentia indiuidualis sit aliquid positiuum. Maior verò probatur inductiuè: nam negatio corporeitatis conuenit Angelo per aliquā formalitatem positiuam, cui repugnat esse corporeum, quàm spiritualitatem vocamus; & negatio brutalitatis conuenit homini per rationalitatem, & sic de alijs; ergo nihil simpliciter repugnat alicui per solam negationem in ea positam; sed per aliquod positiuum, ad quod consequitur illa negatio.

631 Secundò, probatur eadem secunda pars: negatio nō constituit aliquid formaliter in entitate perfectiori entitate præsupposita negationi; quia negatio, vt negatio nullā dicit perfectionem; sed prima substantia est magis substantia, quàm secunda, cum magis substet: ergo non cōstituitur formaliter in esse primæ substantiæ per negationē: ergo per aliquid positiuum; sed eadem est ratio de constitutiuo primarum substantiarum, seu indiuiduorum substantialium quatenus talium, ac de constitutiuo indiuiduorum accidētium, vt de se patet: ergo differentia indiuidualis est aliquid positiuum.

Sed dices: indiuiduum est formaliter tale per indiuisionem, vt ex ipso nomine constat; sed indiuisio non est aliquid formaliter, quàm negatio diuisionis: ergo indiuiduum constituitur in esse tale per negationem.

Resp. quòd indiuiduū potest considerari dupliciter; vel vt indiuiduū, idest, vt ens per infimum gradum prædicamentalem cōstitutum in recta linea; vel vt vnum; & licèt hoc secundo modo consideratum sit formaliter tale per indiuisionem, quia per talem negationē explicatur vnitas; non tamen primo modo consideratum, sed per gradum infimum entis vltimum determinatiuum naturæ communis, ad quem consequitur vnitas indiuidualis.

632 Tandem prima pars conclusionis .s. quòd indiuiduū proximè, & formaliter indiuiduetur per differentiam indiuidualem; ex hoc manifestè patet; quia per hoc proximè, & formaliter indiuidua constituuntur in esse talia, per quod proximè, & foramliter distinguuntur, vt talia, cū idem sit constitutiuum, & distinctiū; sed indiuidua eiusdem speciei, v.g. quatenus talia proximè, & formaliter distinguuntur per solas differentias indiuiduales, vt de se patet; ergo per prædictas differentias proximè, & formaliter constituuntur in esse talia. Ex quo etiam patet id, quod secundo loco diximus in eadem cōclusione, .s. quod differentiæ indiuiduales sunt extra essentiam indiuiduorum; nam cum duo indiuidua

eiusdem speciei in essentia nullatenus differunt, & per differentias indiuiduales differant; consequens est, vt differentiæ indiuiduales sint extra essentiam illorum.

633 Ad maiorem intelligentiam naturæ differentiæ indiuidualis notandum est; quod sicut differentia specifica est quædam formalitas virtualiter distincta à genere, & superaddita generi, vt vna cum ipso speciem cõstituat; ita differentia indiuidualis est quędam formalitas naturæ specificæ superaddita, & ab ea virtualiter distincta, quæ aduenit illi, vt eam contrahat, & determinet, & vt, cum ea indiuiduum constituat in esse indiuiduali, vt principium formale indiuiduationis eius. Discrimen verò, quòd inter prędicta versatur est, quòd differentia specifica pertinet ad esse quidditatiuum speciei, & eam constituit in esse quidditatiuo; differentia verò indiuidualis nec pertinet ad quidditatem indiuidui, nec illud in esse quidditatiuo constituit, licèt ad eius entitatem intrinsecè pertineat. Vndè licèt natura specifica totam quidditatem indiuidui dicat, non tamen totam entitatẽ. Deindè differentia specifica contrahit genus tamquam aliqua formalitas perfectior, & nobilior, quàm sit genus secundùm se; differẽtia verò indiuidualis non contrahit naturam specificam tamquam differentia nobilior, & perfectior ipsa natura contracta; sed potius tamquam differẽtia materialis; quia dat indiuiduo esse vltimũ subijcibile omnibus gradibus eiusdem generis de ipso prædicabilibus, in quo assimilatur materiæ, quæ omnibus subijcitur.

634 Pro cõplemento huius quæstionis notandum est, quòd differẽtia indiuidualis distinguitur à natura specifica, quam indiuiduat ea distinctione, qua distinguitur differentia specifica à genere, quod contrahit, quæ, vt patet ex dictis, & ex dicendis magis constabit, est distinctio rationis ratiocinatæ.

Primum argumentum. Si darentur prædictæ differentiæ indiuiduales essent perfectiores, & nobiliores specie; quia actus est semper nobilior sua potentia; sed hoc est absurdum, quia tunc species non diceret essentiam omninò completam, & perfectam; ergo non dantur differentiæ indiuiduales, quę contrahant speciem.

Resp. quod ex hoc, quòd differẽtia indiuidualis se habet, vt actus respectu naturæ specificæ, quod est verissimum; quia contrahens semper se habet, vt actus respectu contrahibilis, non sequitur, quod differentia indiuidualis sit simpliciter nobilior, & perfectior specie, sed tantùm secundùm quid: nam actus non semper est perfectior, & nobilior potentia, quam actuat, vt patet in accidente, quod actuat, & aliquo modo perficit substantiam, & tamen non est simpliciter ea perfectior; quia illi affert tantùm perfectionem secundũ quid; cum illa nõ perficiat, & actuet substantialiter, sed tantùm accidentaliter; vndè tũc actus est perfectior potentia, quando eam perficit in eodem ordine, quo pacto differentia indiuidualis non perficit naturam specificam, cum sit extra quidditatẽ indiuidui: & ideò solum secundùm quid est perfectior specie.

635 Se-

635 Secundum argumentum, quod est vnũ ex fundamentis Sonci. 10. metaph. quæst. 2. Si quælibet res indiuiduaretur per propriam differentiam indiuidualem, sequeretur in composito physico tres esse differentias indiuiduales, .s. materiæ, formæ, & compositi, atque ideò tria indiuidua; sed hoc est absurdum; ergo non dantur differentiæ indiuiduales explicatæ. Probatur minor; quia ex hoc sequitur in composito dari plures existentias; quia vnum quoquè indiuiduum propriã habet existentiam, & quod forma nõ vniatur materiæ immediatè, sed mediante illa realitate, qua forma fit hæc; vtpotè quia esset intimior formæ, quã ipsa vnio: sed hæc sunt absurda; ergo absurdũ est, quòd in cõposito physico dẽtur tres differẽtiæ indiuiduales.

636 Resp. quòd in cõposito physico duæ differentiæ indiuiduales reperiuntur, .s. materiæ, & formæ; cõpositum verò est hoc per differẽtias indiuiduales partiũ simul sumptas; licet tria indiuidua in illo reperiantur, .s. duo incompleta, & aliud completum ex illis duobus incompletis constitutum. Absurda verò, quæ in probatione minoris adducuntur non modò nõ sunt absurda, sed valdè necessaria. De primò patebit ex dicendis tomo 2. introduct. ad apicẽ verotũ Philosoph. secundũ verò ex hoc constat; quia forma vniri nequit materiæ, nisi sit existens, & singularis, neque ob id dicitur vniri mediatè; quia nihil mediat realiter, ab ipsa forma distinctum; nam differentia indiuidualis, & existentia non differunt realiter ab essentia illarum rerum, quibus conueniunt.

Tertium argumentum. Si darentur prædictæ differentiæ indiuiduales, essent substantiales indiuiduis; ergo essent differentiæ essentiales illorum. Consequentia patet; quia id, quod est substantiale alicui, est de eius essentia.

637 Resp. negando consequentiam; quia ad hoc vt aliquid sit de essentia alicuius non sufficit, vt ei substantialiter cõueniat; sed requiritur, vt formaliter expectet ad eius quidditatẽ, quod non habent differentiæ indiuiduales respectu indiuiduorũ.

Vltimum argumentum. Accidẽs indiuiduatur à substantia; ergo quælibet res creata non indiuiduatur ab aliqua differentia indiuiduali. Probatur antecedens: quia accidens dependet à substantia in esse; ergo indiuiduatur à substantia. Hæc consequentia patet; nam à quo res habet esse, ab hoc quoquè habet indiuiduationem; nam à quo res habet entitatem, habet quoquè vnitatem.

638 Resp. negando antecedens, ad cuius probationem negamus cõsequentiam; ad eius autem probationem dicimus: quod verũ est extrinsecè in genere causæ efficientis, & materialis subiectiuè, quòd à quo res habet esse, habet quoquè indiuiduationem: non verò intrinsecè in genere causæ formalis: hic autem non quærimus de quocunque principio indiuiduationis, & quomodocunque; nã physicè loquendo, quot sunt causæ rei, tot item poni possunt principia physica indiuiduationis eius: sed quærimus principium metaphysicum, quod .s. intrinsecè, & formaliter dat indiuiduo esse tale, .s. incommunicabile pluribus; ex hoc

autem, quod accidens ita pendeat à substantia, minimè sequitur, vt debeat per illã indiuiduari, vel per ordinem ad illam; quia stante vnitate in causa efficienti, ac etiam materiali extrinseca potest esse pluralitas in effectibus; nam ab eodem efficienti prodire possunt plures effectus numero distincti, & in eodem subiecto inueniuntur plura accidentia specie distincta, quæ inueniri non possent, si accidens à subiecto vnitatem numericam acciperet; quia cũ ab illo habeat esse vtique propter eamdem rationem vnitatem specificam ab illo haberet.

639 Vbi est notandum, quòd noster Lalemandet in metaph. disput. 7. partit. 3. circa sententiam Thomistarum de principio indiuiduationis accidentis, (cuius fundamentum est propositum argumentum) sequentẽ profert censuram: non diffiteor tamen quin opinio Thomist. aliquid apparentiæ habeat, si intelligatur de indiuiduatione quo ad nos, nam subiectum est causa cur dignoscamus vnum accidens esse hoc numero accidens; nam ex eo, quod hæc albedo sit in hoc pariete dextero, & illa albedo in illo pariete sinistro, iudicamus illas duas albedines esse numero diuersas. Sed aliud est loqui de principio indiuiduationis secũdum nos, & aliud de principio indiuiduationis secundum se.

QVÆSTIO II.

Vndè sumatur differentia indiuidualis: & an detur vna ratio communis differentijs indiuidualibus: & qualis sit.

640 Postquam principium proximũ indiuiduationis in præterita quæstione explicauimus, restat solùm, vt radicem illius explicemus. Vndè sicut sect. 4. quæst. vlt. supposito quod natura specifica cõstituatur formaliter, & proximè in esse talis per differẽtiam specificam, quæremus vndè differentia specifica sumetur: ita supposito, quod indiuiduũ cõstituatur formaliter proximè in esse tale per differentiam indiuidualem, quęrimus in hac quęstione, vndè talis differentia sumatur. pro quo

Sit prima conclusio. Differentia indiuidualis sumitur à tota essentia rerum indiuiduatarum secundùm quod consideratur, vt indiuisibilis materialiter. Explicatur conclusio: sicut genus, & differentia, vt infra dicemus sumuntur à tota essentia secundùm diuersas formalitates illius, scilicet, ratio generis à formalitate potentiali, & ratio differentiæ à formalitate actuali: sic à tota natura indiuiduata dicimus sumi rationem speciei, & differentiæ indiuidualis, distinguendo in ipsa duas formalitates, vna potentialis: & alia actualis, à quarum prima sumitur ratio speciei, & ab alia ratio differentiæ indiuidualis. Quæ conclusio, supposito eo, quod quæstione præcedenti diximus, non eget aliqua probatione.

641 Secunda conclusio. Differẽtiæ indiuiduales habent aliquam rationem illis communem. Probatur primò: omnes differentiæ indiuiduales in hoc conueniunt. s. quòd faciunt rem determinatam, & quòd sunt extra essentiam rei indiuiduatę, & quod sunt realiter indistinctæ, virtualiter tamen distinctæ ab essentijs per

per ipsas indiuiduatis,&c.ergo habẽt hoc commune, & consequenter habent aliquam rationem communẽ.

Probatur secundò. Significatum huius nominis, indiuiduum, primò intentionaliter acceptum non est idem, ac significatum huius nominis, homo, vel Petrus, vt de se patet; sed homo significat naturam humanam in communi, & Petrus eandem naturam indiuiduatã: ergo hoc nomen, indiuiduum primò intentionaliter acceptum significat aliquid commune omnibus indiuiduis quatenus talibus.

642 Tertia conclusio. Prædicta ratio communis omnibus differentijs indiuidualib⁹ est analoga, & nullo modo vniuoca. Probatur: illa ratio est analoga, & nullo modo vniuoca, quæ includitur essentialiter in vltimis differentijs: sed ratio communis differentijs indiuidualibus est huiusmodi; ergo est analoga, & nullo modo vniuoca. Maior patet, quia vltimæ differẽtiæ sunt primò diuersæ: sed illa, quæ sunt primò diuersa, non sunt resolubilia in duos conceptus, quorum vnus abstrahat ab alio, quod requiritur ad vniuocationem: non autem ad analogiam, vt ex professo dicemus disputatione sequenti: ergo illa ratio est analoga, & nullo modo vniuoca, quæ essentialiter includitur in vltimis differẽtijs. Deinde probatur minor; si ratio communis differentijs indiuidualibus non includeretur in vltimis differentijs, talis ratio contraheretur per alias differentias; sed si talis ratio per alias differentias contraheretur, daretur processus in infinitum; nam eadem esset ratio de illis differentijs, per quas talis ratio contraheretur, ac de tali ratione contrahente naturam specificam, quod est absurdum; ergo ratio communis differentijs indiuidualibus includitur essentialiter in vltimis differentijs.

643 Ex quibus facilè quis formare potest descriptionem differentiæ indiuidualis hoc modo; differentia indiuidualis est vltima formalitas rei creatæ, contrahens materialiter ipsam, & eam reddens indiuisibilem in plura, quorum quodlibet sit ipsa res contracta; & etiam descriptionem indiuidui primò, intentionaliter accepti hoc modo: indiuiduum est, quod nõ potest diuidi in plura, quorum quodlibet sit ipsum.

Sed contra tertiam cõclusionem dices, cum Mastrio contrarium sentiente; illa ratio est definibilis, & potest esse medium demonstrationis; sed hoc solum competit rationi vniuocæ, ergo talis ratio est vniuoca. Maior quo ad primam partem patet; quia à nobis fuit supra definita; quo ad secundam verò probatur ex Rubio hoc modo; hic syllogismus est optimus: omne indiuiduum est incommunicabile; sed Petrus est indiuiduum: ergo est incommunicabilis; vbi indiuiduum est medium; ergo ratio communis differentijs indiuidualibus potest esse medium demonstrationis.

644 Resp. concedendo maiorẽ, & negãdo minorem; nam licet analoga stricta definitione definiri non possint, cum sola species hoc proprium habeat; tamen quia analoga important rationem, quæ saltem secundum quid est vna; hinc est, quod omninò vna definitione nõ carent;

nam sola illa vnicam definitionem habere non possunt, quæ plures essentias important, & nullo modo vnam, vt æquiuoca; vnitas autem importata per nomen analogum facit etiam, vt ipse possit esse medium demonstrationis, vt disputatione sequenti patebit.

Ex quibus sequitur, quòd ratio communis indiuiduis non est vniuersalis, cum non sit vniuoca; fundamentum .n. vniuersalitatis debet esse vniuocum, quod in definitione eius exprimitur, dum dicitur natura vna; quia ly vna, intelligitur de vnitate simpliciter tali, seu vniuoca.

QVÆSTIO III.

Vtrum differentiæ indiuiduales sint æqualis perfectionis.

645 Notandum est pro intelligētia huius quæstionis, quòd difficultas in illa non est in hoc, an indiuidua sint æqualia in perfectione accidentali, & extrinseca, aut etiā, an intensiuè, vel extensiuè vnum sit perfectius alio; in hoc enim nulla est difficultas, nam euidens est vnum indiuiduum habere perfectiora accidentia alio; cum vnus homo acutior sit ingenio alio, vna caro suauior altera, vnus equ⁹ pulchrior forma alio, & vna linea extensior alia, & calor, vt quatuor est intensior calore, vt duo; neque procedit præsens quæstio de inæqualitate in pfectione essentiali, & quidditatiua; quia certū est indiuidua eiusdem speciei esse æqualia in perfectione essētiali, quia differentiæ indiuiduales nō sunt differentiæ essentiales, & ad quidditatē expectantes, & consequenter in hoc ordine nullam secum ferunt perfectionem. Vndè solùm quæstio stat in hoc, an .s. vnum indiuiduum sit perfectius alio eiusdem speciei intrinsecè, & entitatiuè; seu an vna differētia indiuidualis sit essētialiter alia perfectior, ad cuius solutionem.

646 Sit conclusio. Vnum indiuiduum non est perfectius alio eiusdē speciei substātialiter, seu indiuidualiter. Probatur, quia vt vnum indiuiduum esset perfectior alio in esse indiuiduali, opus esset, vt per suam differentiā indiuidualem magis cōpleretur, & terminaretur, in esse certo, designato, & incommunicabili, quàm aliud per suā; sed hoc est impossibile, quia vnumquodque indiuiduum alteri est æqualiter incommunicabile; cum differentia indiuidualis in vnoquoque sit vltimū cōplemētum, & vltimus terminus quo ad communicabilitatem; ergo vnū indiuiduum non est perfectior alio eiusdē speciei substantialiter. Maior patet, quia effectus formalis indiuiduationis est complere, & terminare naturam in esse certo, designato, & incommunicabili; ergo vt vnum indiuiduū esset perfectior alio in esse indiuiduali opus esset, vt per suam differentiā indiuidualem magis cōpleretur, & terminaretur in esse certo, designato, & incommunicabili quam aliud per suam. Hæc consequētia patet; quia quò causa formalis est perfectior, perfectior quoque est effectus formalis ab eo dimanās.

647 Sed contra hanc probationē dices; licet vna species non sit magis communicabilis alia; tamen essentialiter vna est perfectior alia; ergo licet vnum indiuiduum non sit magis incommunicabile alio, est tamen indi-

indiuidualiter alio perfectiur.

Resp. quòd est dispar ratio de differentijs specificis, & indiuidualibus; nam differentia specifica non solùm cōfert speciei esse communicabile; sed etiam gradum essentiæ, qui potest esse perfectior, & nobilior gradu essentiæ collato per aliam; vt patet de rationali; hoc autem non præstāt differentiæ indiuiduales; quia solum dant præcisè esse hoc, determinatū, & incommunicabile, quod ab omnibus, & singulis eodem modo præstatur; nec vnum indiuiduum potest magis ab vno, quā ab alio indiuiduo per differentiam indiuidualē, cū sint primò diuersæ differre; vt supra diximus; & ideò ex ipsis nulla potest attendi inæqualitas perfectionis.

648 Probatur secundò cōclusio. Si aliquæ differentiæ indiuiduales tribuerent inæqualem perfectionē substantialem indiuiduorum, maximè differentiæ indiuiduales animarum rationalium, (vt aliqui opinantur, contra quos ex professo scripsit Guaschus in quodam libro, cuius titulus est, disputationes Guaschi cum Dominico; vbi non solum probat talem opinionem esse falsam, sed etiam contra aliquos discipulos D. Thomæ esse contra doctrinam eiusdem Sancti Doctoris) sed hæ non; ergo nullæ. Maior ab omnibus conceditur: Minor verò probatur, quia si differentiæ indiuiduales animarum rationalium tribuerent aliquam inæqualem perfectionē substantialē ipsis animabus, hæc esset .s. quod vna intelligeret perfectior alia; sed huiusmodi perfectio non est substantialis: ergo differentiæ indiuiduales animarum rationalium non tribuunt inæqualem perfectionem substantialem ipsis animabus. Minor patet, quia cuiuscūque excessus intellectionis, qui inter duos homines cernitur in eodē homine in diuersis temporib⁹ etiā cernitur; ergo huiusmodi excessus perfectionis non est substantialis. Hæc consequentia patet, quia non potest vna res in vno esse substātialiter perfectior seipsa, in alio tempore. Vndè talis diuersitas oritur ex varia temperie corporis, & organorum, quæ modo magis, modo minus purgata sunt: quæ autem sint causæ efficiētis huius rei ex professo explicabo tomo 2. introduct. ad apicem verorum Philosophorū; vbi etiam quomodo quis verus Philosophus vti possit his causis ad suam vtilitatem introductiuo modo docemus.

649 Dices. ex perfectiori operatione colligitur perfectior substantia operantis: sed aliqui homines, v.g. perfectiùs operantur alijs: ergo cum homines sint eiusdem speciei ex perfectiori operatione alicuius ex illis rectè colligimus perfectiorē differentiam indiuidualē esse in ipso.

Resp. quod si ex perfectiori operatione semper volumus colligere maiorem perfectionem substantialem in operante (quod non licet) tunc talis excessus perfectionis debemus tribuere naturæ potiùs, quā indiuiduali differentiæ; quia natura est ratio agendi: differentia verò indiuidualis tantum conditio agentis.

Sed cōtra solutionem dices. Animæ Christi, & Iudæ sunt eiusdē speciei, vt de se patet: sed absurdum est dicere, quod sint æqualis perfectionis essentialis: ergo non solùm ex diuersis

diuersis differentijs specificis, diuersæ perfectiones substantiales, in diuersis speciebus reperiuntur: sed etiam ex diuersis differentijs indiuidualibus in diuersis indiuiduis.

650 Resp. negando minorem; nā sicut non est absurdum dicere, quòd anima Christi substantialiter sit imperfectior Lucifero, cū Angeli sint substātialiter nobiliores hominibus, vt ex sacra scriptura piè, & doctè ostendit noster Orengus in catena Theolog. tom. 1. tit. 2. medit. 3. n. 3. (nomen .n. Angeli ex illo D. Pauli 2. ad Corint. .s. *Angelus Satanæ, &c.* docet Petrus Gregorius in Comment. Syntaxis artis mirabilis to 4. pri. par. cap. 2 nu. 6. commune esse bonis, & malis completis spiritibus) ita nō est absurdum dicere, quod eadē anima non sit perfectior, sed solū æquè perfecta substantialiter animæ Iudæ. Vndè anima Christi solùm accidentaliter est perfectior anima Iudæ ratione .s. magnorum donorum supernaturalium, quæ in ipsa inhærēt.

Dices tandem quotiescumque essentia aliquorum est æqualis, sunt etiam æquales potentiæ operandi illorū, & etiam operationes: sed multoties experimur, quod duo homines: v. g. habent operationes inæquales in perfectione: ergo vel homines non sunt eiusdem speciei, vel differētiæ indiuiduales illorum sunt essentialiter inæquales in pfectione.

651 Resp. ad maiorem Gisbertus Gilelmus ab Isendoorn lib. effatorum Philosophorum cent. 1. effato 99. quod quotiescumque essentia aliquorum est æqualis, sunt etiam æquales potentiæ operandi remotæ in illis; non autem proximæ; quia istæ impediri possūt, vel à qualitate, aut quantitate materiæ, vel ab organorum praua dispositione, vel à generante malè affecto, vel à positu, & influxu syderum, vel à conditione Patriæ, vt si qui dicantur crassò Bœotum in aere nati.

QVAESTIO IV.

Vtrum possit dari aliqua differentia media inter specificam, & indiuidualem.

652 VT natura, & essentia secundi, & tertij prędicabilis, nec non indiuidualium differentiarum vndique explicata maneat, præsens quæstio excitatur, in qua natura fundamenti secūdi, & tertij vniuersalis, differentiæq; indiuidualis nō parum explicatur. pro quo.

Sit conclusio. Nulla differentia mediare potest inter specificam, & indiuidualem. Probatur: in genere est priùs, & posteriùs: non verò in specie, vt tenentur aduersarij admittere; cum sit Aristotelis 3. metaph. & ipsi profitentur se esse Peripateticos: sed in specie daretur priùs, & posteriùs, si darentur differētiæ mediæ inter differentiam specificam, & indiuidualem: ergo nulla differētia mediare potest inter differentiā specificam, & indiuidualem. Probatur minor: in genere dari priùs, & posteriùs nihil est aliud, quàm quòd genus sit contrahibile per differentias inæquales in perfectione, vt omnes exponunt; sed si darentur prędictæ differentiæ, hoc etiam conueniret speciei: ergo si darentur differentiæ mediæ inter specificā, & indiuidualem, in specie daretur priùs, & posteriùs. Minor patet, quia tunc possent quatuor indiuidua, v.g. quatuor homines

mines habere vnam differentiam ex illis medijs, & alij quatuor aliam; sed tunc daretur priùs, & posteriùs, in specie: ergo si darentur differentiæ mediæ inter specificam, & indiuidualem, in specie daretur priùs, & posteriùs.

653 Probatur secundò. prædicatio speciei de indiuiduis est immediata; sed non esset immediata, si inter differentiam specificam, & indiuidualem mediaret aliqua differentia: ergo inter differentiam specificam, & indiuidualem nō potest mediare aliqua differentia. Maior est per se manifesta cum indiuiduum, vt tale, nihil includat aliud, quàm naturam specificam, & differentiam indiuidualem contrahentem ipsam naturam specificam.

Sed dices, quòd non ideò prædicatio speciei de indiuiduo est immediata; quia inter naturam specificā, & differentiam indiuidualem non mediat aliquid; cum verè mediet impugnata differentia: sed quia indiuidua, vt de illis species prædicat inadæquatè concipiuntur.

Sed contra est, quia alia quatuor vniuersalia prædicant immediatè de proprijs inferioribus adæquatè conceptis: ergo & species; sed propria inferiora speciei sunt indiuidua: ergo species prædicat immediatè de indiuiduis adæquatè conceptis.

654 Instabis; hæc est prædicatio speciei de indiuiduo; hoc animal est animal: sed in hac prędicatione indiuiduum inadæquatè conceptum subijcitur speciei: ergo non est necesse, vt, quando species prædicat de indiuiduis, ipsa indiuidua adæquatè concipiantur.

Sed contra est; quia licèt aliqua natura possit prędicari de indiuiduis inadæquatè conceptis prædicatione specifica non seruato ordine prædicamentali, vt natura generica: tamen seruato ordine prędicamentali nulla natura prędicatione specifica de indiuiduis inadæquatè conceptis prædicare valet; quia ordo prędicamentalis correspondet ordini rerū, qui postulat, vt quodlibet vniuersū cōiungatur immediatè proprijs inferioribus, & consequenter nō possunt indiuidua specifica inadæquatè concipi, quando de illis prędicat natura specifica. Vide sect. 1. quæst. 3. ad secundum.

655 Probatur tertiò conclusio. Omnis differētia intrinseca alicuius rei ita constituit illam, vt relinquat eam; vel essentialiter diuisibilem; vel solùm diuisibilem materialiter, vel tandem prorsus indiuisibilem: sed si relinquat illam essentialiter diuisibilem est differentia intermedia, seu generica: si autem relinquat illam tantum materialiter diuisibilem, est differentia infima, seu specifica: & tandem si relinquat prorsus indiuisibilem, est differentia indiuidualis: ergo inter differentiam specificam, & indiuidualem nulla potest differentia mediare.

Confirmatur; quia ideò genus intermedium non est tota essentia rei; quia differentia constitutiua illius in proprio esse relinquit illud diuisibile essentialiter: è contra verò species infima est tota essentia rerum; quia propria differentia non relinquit illam essentialiter diuisibilem; sed solùm materialiter: ergo omnis differentia intrinseca rei, quæ non relinquit

quit rem, cuius est differentia, prorsus indiuisibilem, seu quæ non est indiuidualis, vel est generica, vel specifica: ergo cum talis differētia media, si daretur, non relinqueret rem, quam constitueret, prorsus indiuisibilem; cum natura per ipsam constituta conueniret multis numero diuersis, & ideò non esset indiuidualis, sed vel esset generica, vel specifica, & ideò non esset media inter specificam, & indiuidualem.

656 Dices contra. Aliqua indiuidua eiusdem speciei differunt ab alijs, & non inter se in aliquo prędicato: sed talis differentia non oritur à differentia specifica, cum in illa omnes conueniant, neque à differentia indiuiduali, cum in illa omnes differant: ergo inter differentiā specificam, & indiuidualem mediat aliqua differentia. Maior probatur: omnes præsentiæ locales eiusdem corporis, sunt eiusdem speciei: sed aliquæ præsentiæ locales eiusdem corporis plusquam numero differunt inter se; & aliæ non: vt patet in duabus præsentijs localibus Romanis Petri, & in duabus præsētijs Bergomensibus eiusdē Petri; nam primæ duæ magis differunt à duabus posterioribus quàm inter se, & è cōtra: ergo aliqua indiuidua eiusdem speciei differunt ab alijs, & nōn inter se in aliquo prædicato.

657 Resp. distinguendo maiorē: aliqua indiuidua eiusdē speciei differūt ab alijs, & nō inter se, in aliquo prędicato intrinseco nego: in aliquo prędicato accidentali concedo. Ad probationē verò maioris, concessa maiori distinguenda est minor; duæ pręsentiæ Romanæ Petri magis differunt à duabus presentijs Bergomensibus eiusdem Petri, quàm inter se, accidentaliter concedo; essentialiter nego; nam accidit presentiæ, vt sic, quod sit Romana, vel Bergomensis; non .n. Romana denominatio competit pluribus illis præsētijs, quas Petrus potest habere Romæ ratione alicuius prędicati illis intrinseci; sed ex aliquo respectu ad centrum, vel polos superaddito, qui illis præsentijs accidit, si non physicè, & separabiliter, saltem metaphysicè.

650 Contra instabis: duo homines, v.g. Petrus, & Paulus sunt eiusdē speciei: sed plùs quàm numerò differunt: ergo inter differentiam specificam, & indiuidualem alia intrinseca differentia mediat. Probatur minor: Petrus, & Paulus includunt intrinsecè vniones plùs quàm numero diuersas: ergo & ipsi intrinsecè plùs quàm numero differūt. Antecedēs probatur, quia vnio Petri ita determinatur intrinsecè ad materiā, & formā Petri, vt non possit poni inter materiā, & formā Pauli; sed vnio Petri min⁹ differt ab alia vnione possibili eiusdē Petri (à qua numero differt) quā ab vnione Pauli, ergo &c.

Resp. negando minorem: ad eius pbationē; vel potest negari antecedēs: dicendo quod maior illa diuersitas, quā habere videntur tales vniones præter numericam non est eis intrinseca: sed accidentalis, & extrinseca ratione diuersitatis extremorum. Vel concesso antecedenti negari debet consequentia; quia nō debet esse tanta distinctio in constitutis, quanta in cōstituentibus; quia possunt constituentia nondum specie differre, imò esse primò diuersa,

& adhuc

& adhuc cõstituta conuenire in aliqua communi ratione quidditatiua, vt patet in indiuiduis, quorum differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ; ipsi tamen vnà cum illis naturam specificam includũt; ita quãuis vniones Petri, & Pauli plùs quã numero differant; quia tamen illi præter prædictas vniones includunt materiam, & formam solo numero diuersas, ipsi quoquè solo numero differunt.

QVAESTIO V.

An existentia, & differentia indiuidualis sint idem.

659 CVM omne, quod existit sit singulare, vt dicebamus in initio huius sectionis, ideò dubitatur in hac quæstione, an per idẽ res reddantur existentes, & singulares; & licèt non desint aliqui veteres, qui actualem existentiam formalẽ principium indiuiduationis existimarũt esse, his tamen non obstantibus.

Sit conclusio. Existentia licèt nõ realiter; tamen ratione ratiocinata à differentia indiuiduali illius rei cuius est existentia distinguitur. Probatur primò, vltima pars conclusionis: quæ realiter actualiter nõ distinguuntur, sed tantum realiter virtualiter, actualiter per intellectum, cum fundamento in re, seu ratione ratiocinata distinguuntur; sed existentia, & differentia indiuidualis in omnibus rebus, ita se habent; ergo ratione ratiocinata tantùm distinguuntur. Maior ex dictis disputatione præterita satis constat; minor verò quo ad primam partem constabit infra ex probatione primæ partis conclusionis: quo ad secundam verò sic probatur: ea distinguuntur tantum realiter virtualiter, quæ realiter actualiter sunt idem, & vnum non est de essentia alterius, vt loco citato explicauimus; sed existentia, & differentia indiuidualis ita se habent; ergo existentia, & differentia indiuidualis tãtùm realiter virtualiter distinguuntur. Minor quo ad primam partem infra constabit, vt dixi: quo ad secundam verò.

660 Sic probatur primò, illud quod præstat diuersum munus ab alio, non est de essentia illius, quamuis realiter actualiter identificetur cum illo, vt patet de animali, & rationali in homine; sed differentia indiuidualis in omnibus reb⁹ diuersa præstat munera ab illa, quæ præstat existentia in illis: ergo neutra illarũ est de essentia alterius. Probatur minor; differẽtia indiuidualis coarctat, & determinat naturam, vt incommunicabiliter se habeat, & vt sit hęc numero designabilis; existentia verò solùm facit rem existentem, seu abstrahit extra causas, seu ponit in actu; ergo differentia indiuidualis in oĩbus rebus diuersa pręstat munera ab illa, quæ pręstat existentia in illis.

Deindè probatur secundò hoc idem; quod supponit aliquid, vbicumque inuenitur non est de essentia illius, quod supponit, neque è cõtra, vt de se est manifestũ, sed existentia, vbicumquè inuenitur, supponit differentiam indiuidualẽ; ergo neutra illarum est de essentia alterius. Probatur minor; id solum immediatè, & formaliter est capax existentiæ, quod potest esse terminus physicæ productionis; quia solùm per talem productionem cõmunicatur entitas actualis,

actualis, quæ est existẽtia; sed ad hoc vt aliquid sit terminus physicæ productionis, necessè est, quòd sit indiuiduũ; quia gradus vniuersales seorsim sumpti non sunt per se producibiles; sed tantum, vt sunt in singularibus, quia vt ait Aristoteles 1. metaphysicè, in proœmio; *Actiones duntaxat sunt singularium, & ad singularia tendunt*; ergo existentia vbicumque inuenitur supponit differentiam indiuidualem.

661 Præterea probatur prima pars conclusionis .s. quod existentia non distinguitur realiter à differentia indiuiduali; eo modo existentia distinguitur à differentia indiuiduali, quo modo differt ab essentia illius rei, cuius est existentia; cum non minus faciat differentiam indiuidualem existere, quàm essentia; sed existentia non differt ab essentia realiter; ergo neque realiter differt à differentia indiuiduali. Minor probatur primò, id, quo res ponitur extra nihil, & extra suas causas est existentia, vt ab omnibus conceditur, & satis colligitur ex Aristot. 9. metaphysicè textu 11. sed res ponitur per suam actualẽ essentiam extra nihil, & extra suas causas; ergo essentia actualis cuiuslibet rei est existentia ipsius realiter; & consequenter existentia non distinguitur realiter ab essentia.

Resp. ex doctrina Thomistarum vnanimiter cõtrarium sententium, distinguendo minorem; res ponitur per suam actualem essentiam extra nihil essentiæ, concedo: extra nihil existentiæ, nego. Vndè res per suam actualem essentiam seclusa existẽtia non ponuntur totaliter extra nihil.

662 Sed ex tali responsione probatur magis nostrum intẽtum; nam ex illa sequitur, quod definitio existentiæ ab omnibus recepta .s. quod sit *id, quo ponitur res extra nihil*, conueniat essentiæ actuali, ergo & quod essentia actualis non sit realiter distincta ab actuali existentia.

Probatur secundò eadem minor; distinctio realis rei à re solum versatur inter extrema realia ambo à parte rei existentia; quia importat relationem realem, quæ necessariò petit extrema realia realiter existentia: ergo essentia, & existentia nõ distinguuntur realiter; cũ essentia, seclusa existentia, non possit existere, quod ad hoc desiderabatur.

663 Respondebis ex doctrina Thomistarum, quod extrema realis distinctionis non est necesse, vt per plures existentias existant; sed sufficit, vt per vnam ambo existant; quia existentia solum requiritur vt conditio. Vndè realis distinctio essentiæ ab existẽtia fundatur ex parte essentiæ in quidditate potentiali; ex parte verò existentiæ in actualitate.

Sed contra est, quòd si distinctio realis actualis essentiæ ab existentia fundaretur ex parte essentię in quidditate potentiali, &c. fundamentum esset minoris entitatis fundato: sed hoc est absurdum: ergo & id ex quo hoc sequitur; sequela patet, quia talis distinctio existit per propriam existentiam.

Probatur tandem: si propter aliquam rationem essentia ab existentia realiter distingueretur, maximè (vt volunt aduersarij,) quia essentia aliquando existit, & aliquando non; sed hæc ratio est nulla; cum ipsa existentia aliquando existat, & aliquando non;

non; nam Deus cognoſcit me à exiſtentiam, antequam eam produceret, vt poſſibilem, & vt potens produci, quæ tamen non admittunt exiſtere per aliam exiſtentiam, ne cogantur admittere proceſſum in infinitum: ergo neque aliqua alia eſſentia exiſtit formaliter per aliquid realiter ab ea diſtinctum.

664 Nec valet dicere: exiſtentiã non exiſtentem nõ eſſe exiſtentiam; quia de conceptu exiſtentiæ eſt actu exiſtere. Nõ inquam, hoc valet; quia pariter poſſemus dicere, quod eſſentia non exiſtens non eſt ſimpliciter eſſentia; quia eodem modo ſe habet eſſentia poſſibilis ad exiſtẽtiam poſſibilem; ſicut eſſentia actualis ad exiſtentiam actualem; nam de cõceptu exiſtentiæ potentialis eſt, eſſe rationem, qua eſſentia poteſt exiſtere; & de ratione exiſtentiæ actualis, quod ſit ratio qua eſſentia actualiter exiſtit in rerum natura.

Tandem nõ valet dicere cum Iunioribus Thomiſtis: quod licet exiſtentia poſſit eſſe, & non eſſe; tamen adhuc, vt exiſtat, non indiget alia exiſtentia; quia ipſa eſt formalis ratio exiſtendi, & id à quo, vt non poſſit eſſe quod; ſicut præſentia non indiget alia præſentia, vt ſit præſens, nec albedo alia albedine, vt ſit alba.

665 Non inquam, hoc valet; quia ſi ex indifferentia, quam habet eſſentia ad exiſtendum, & non exiſtendũ benè deducitur, quod indigeat modo ſuperaddito ad exiſtendum, & cũ eandem indifferentiam oſtendimus in exiſtentia, idem quoquè de ipſa dici debet: vndè ſi de præſentia, & albedine oſtẽdere poſſemus eſſe indifferentes, ad eſſe præſentem, & nõ eſſe præſentem, ad eſſe album, & ad nõ eſſe album, benè diceremus præſentiam indigere alia præſentia, & albedinem alia albedine, &c.

Ex dictis colligitur, quòd exiſtentia ratione ratiocinata ab eſſentia diſtinguitur; nam cum ab ea nõ diſtinguatur realiter, & quæ realiter non diſtinguuntur diſtinguãtur ratione; quia intellectus valet ea, quæ à parte rei ſunt actu idem, diuerſis conceptibus concipere; cum autem diſtinctio rationis, quæ verſatur inter eſſentiam creatam, & exiſtentiam (de quibus loquimur) ſit maior illa, quæ verſatur inter eſſentiam, & exiſtentiam diuinam, quæ eſt rationis ratiocinantis, cum exiſtentia ſit prædicatum quidditatiuum Dei, non autem creaturarum, vt aliquando cõſtabit; conſequens eſt, vt talis diſtinctio ſit rationis ratiocinatæ. Hæc cõſequentia patet; quia vltra prędictam diſtinctionem non datur alia, quæ ſit minor reali, & maior rationis ratiocinantis, vt ex dictis diſputatione præterita ſect. 1. quæſt. 2. ſatis conſtat.

666 Primum argumentum contra vltimam partem concluſionis; ſi exiſtentia ratione ratiocinata diſtingueretur à differentia indiuiduali, non eſſet formale principium indiuiduationis: ſed talis eſt; ergo tali modo non differt à differentia indiuiduali. Probatur minor: id eſt formale principium indiuiduationis, in quo proximè, & immediatè fundatur vnitas indiuidualis: ſed vnitas indiuidualis proximè, & immediatè fundatur in exiſtentia: ergo exiſtentia eſt formale principiũ indiuiduationis. Probatur minor: vltima vnitas debet proximè, & immediatè fundari

fundari in vltimo actu: sed vnitas indiuidualis est vltima cuiuscumque rei; & existentia est vltimus actus: ergo vnitas indiuidualis proximè, & immediatè fundatur in existentia.

667 Resp. negando minorem: ad cuius probationem negatur minor; ad cuius probationem distinguimus maiorem: vltima vnitas prædicamentalis debet proximè, & immediatè fundari in vltimo actu prædicamentali concedo: vltima vnitas prædicamentalis debet proximè, & immediatè fundari in vltimo actu posteriori tota coordinatione prædicamētali, & non per se ad talem seriem expectanti, nego; at, cum vnitas indiuidualis sit prædicamentalis; cum identificetur realiter cū indiuiduo; quod est fundamentum prędicamēti, nihil mirum, quod proximè, & immediatè non fundetur in existentia: quamuis existentia sit vltimus actus; quia per se est extra totam coordinationem prædicamentalem.

668 Sed instabis: vnitas indiuidualis fundatur in esse rei; nam ex eo, quod res habet esse, est etiam indiuidua; sed existentia est vltima ratio constitutiua rei in suo esse: ergo vnitas indiuidualis proximè, & immediatè fundatur in existentia.

Resp. negando totum argumentum. Maiorem quidem; quia vnitas indiuidualis fundatur in esse indiuiduali, non autem in esse existentiæ; quia passiones, quæ per se alicui cōueniunt, ei cōueniunt independenter ab existentia. Deindè minorem, quia existentia non constituit rem in suo esse, quasi tribuat ipsi nouum gradum essendi, sed tantùm idem esse quasi modificat, quatenus facit illam esse in actu, si loquimur de existentia actuali, aut esse possibilem, si de possibili agimus.

669 Secundum argumentū contra hoc, quod diximus, & probauimus in principio probationis secundæ partis conclusionis. s. quod essentia, & existentia realiter non distinguantur, quod est contra omnes Thomistas; multa discrimina sunt à nobis assignanda inter Deū, & creaturas, quæ assignari non possunt negata reali distinctione in ipsis creaturis inter essentiam, & existentiam: ergo malè à nobis negatur. Probatur antecedens in primis, vt colligitur ex doctrina SS. Patrum, Deus differt à creaturis, quia ipse est suum esse, & suum existere: non autem aliqua creatura; sed hoc discrimen non potest subsistere semel negata distinctione reali essentiæ ab existētia in creaturis; quia Deus non alia ratione dicitur suum existere, nisi quia essentia diuina realiter identificatur cum existentia diuina; quod si etiam haberet essentia creata, nullū esset assignatum discrimen. Secundò differunt; quia Deus est ens imparticipatum, creatura verò participatum, quatenus eius essentia participat existentiam; cum autem participans differat realiter à participato, quia nihil seipsum participat, consequens est, vt seclusa distinctione reali essentiæ creatæ ab existentia, tale discrimen euanescat. Tertiò differunt, quia Deus est summè simplex, & omnis creatura verè cōposita, cum autem sint multæ creaturæ, quę aliam realem compositionem non habent præter essentiæ, & existentiæ, vt omnes formæ, consequens

sequens est, vt tale discrimen sit nullum, si essentia creata ab existentia realiter non differat.

670 Resp. quod prædicta discrimina satis saluatur etiam si dicamus essentiam creatam esse idem realiter cum existentia; nam primum facit hunc sensum: Deus est idem realiter, & formaliter cum suo esse; cum esse diuinũ sit de essentia Dei: creatura verò, licèt sit idem realiter cum suo esse, non tamen est idem formaliter cum illo; cum tale esse non sit de illius essentia. Secundum verò hunc reddit sensum. Deus est ens imparticipatum, idest ens à se, seu nō accipiens ab alio suum esse: creatura verò dicitur ens participatum, non quia nō sit identificata cum suo esse, sed quia illud non habet à se, sed à causa efficiente extrinseca. Ad illud autem; quod dicitur .s. quod participãs realiter distinguitur à participato. Dico quod essentia creata nō dicitur participans respectu suæ existentiæ; sed respectu causæ efficientis, de qua aliquid participat, ex quo tantùm sequitur distinctio inter causam efficientẽ, & essentiam, non autem inter istam, & existentiam. Tandem vltimum discrimen etiam saluatur quamuis distinctionem realem inter essentiam, & existentiam creatam negemus; quia vt creatura non sit summè simplex, vti Deus, sufficit, vt sit composita aliqua compositione rationis ratiocinatæ, vt generis, & differentiæ: essentiæ, & existentiæ, vt de facto est.

Tertium argumentũ contra hoc, quod diximus, .s. quod distinctio, quæ versatur inter essentiam, & existentiam in creaturis nō est rationis ratiocinantis, sed rationis ratiocinatæ; quod dictum est contra multos modernos, specialiter contra nostrũ Lalemandet in metaphysica disput. 7. partit. 2. vbi omninò suos Scotistas relinquit, qui omnes negant essentiam ab existentia sola ratione ratiocinantis distingui: vt videri potest apud Mastrium in metaph disput. 8. quæst. 2. & dicunt: prædicta distingui sua distinctione formali actuali ex natura rei; licet Pontius nobis consentiat in metaphysica, disput. 18. quæst. 4. Essentia actualis non potest obiectiuè præscindi ab existentia; ergo sola ratione ratiocinantis ab illa distinguitur consequentia ex se patet. Antecedens verò probatur; essentia actualis hoc ipso, quod actualis concipitur, vt existens concipitur, quia esse actuale formaliter est esse existens; ergo essentia actualis nequit præscindi ab existentia, neque è contrà.

Resp. distinguendo antecedens: essentia actualis non potest obiectiuè præscindi ab existentia, essentia actualis, sumpta essentia sub actualitate reduplicatiuè non potest præscindi ab existentia, concedo; & sic neque paries albus potest præscindi ab albedine: sumpta essentia sub actualitate specificatiuè tantum, nego.

672 Sed dices: essentia ab existẽtia præcisa non ampliùs est essentia actualis; cum in tali esse ponatur per existentiam.

Resp. quòd illa præcisio non impedit, quin talis essentia præcisa, sit adhuc, si præcisa, existens, propter realem identitatem eiusdem cum existentia; sicut quando præscindimus animal hominis à rationali, illũ

præcisè considerando secundũ sua prædicata quidditatiua; tunc non valet dicere, quòd prædictum animal non sit rationale; quia tunc fieret abstractio diuisiua, & non præcisiua tãtùm, sed tantùm possumus dicere, quòd tunc animal non intelligitur rationale.

Hìc tamen vellem, vt notes pro solutione aliquorum argumentorũ, quę adducũtur ab Aduersarijs, quòd essentia actualis principaliter, & de per se significato dicit rationẽ quidditatiuam rei, & connotat existentiã; existentia verò è contra principaliter dicit actualitatem essendi; connotatiuè verò quidditatem rei existentis. Et idem, proportione seruata, dicendum est de essentia, & existẽtia possibili. Ex quo non solùm multa soluuntur argumenta Aduersariorum, vt dixi: sed etiam valdè confirmatur nostra sententia, ab illis impugnata.

673 In fauorem opinionis Scotistarum non adduco aliquod argumentum; quia, vt benè Mastrius in metaph. disput. 8. quæst. 2. art. 4. mirum est, quã leuiter à Scotistis probetur, & sicco pede prætereatur, putantibus satisfecisse, & de hac controuersia victoriam retulisse, si contra Thomistas ostenderint, essentiã, & existentiam realiter non distingui; & quamuis idem Mastrius ibidem iuxta principia suæ scholæ benè illã probet, quia tamen nihil adducit, quod ex dictis disputatione præterita, sect. 2. quæst. 5. facilè solui non possit; breuitatis gratia omittuntur.

Sed quæres: quomodò essentia possibilis distinguatur ab existentia actuali?

Ad hoc quæsitum respondet noster Lalemandet in metaph. disp. 7. partit. 2. resol. vlt.: quod distinguuntur sicut res in potentia a semetipsa in actu; & addit, quòd hęc distinctio non potest dici verè realis; quia non est inter res diuersas: sed rectius dicitur distinctio secundum diuersos gradus realitatis, nimirum realitas possibilis, & realitas actualis.

QVAESTIO VLTIMA.
Quid sit indiuiduum secundo intentionaliter acceptum.

674 Sicut sectione præterita de hoc nomine, *species*, diximus esse equiuocũ: pariter modo dicendum est de hoc nomine, *indiuiduum*, prout formaliter dicit aliquam secundam intentionem; siquidem prout sic significat formaliter indiuidualitatem subijcibilem; & indiuidualitatẽ prędicabilem, quæ, prout tali nomine significantur, nihil pręter ipsum nomen commune habẽt, & ideò indiuiduum secundò intentionaliter acceptum non vnica definitione definiri potest; sed debemus duplici definitione essẽtias suorum significatorum declarare. pro quo,

Sit prima conclusio. Indiuiduum subijcibile rectè sic describitur: est ratio immediatè collocata sub aliqua specie infima relata rationis ad illã: indiũidualitas verò subijcibilis est relatio rationis cuiusdam rationis ad speciem infimam, sub qua est immediatè collocata talis ratio: indiuiduũ verò prędicabile sic: est quædam ratio relata rationis ad seipsam tantùm; indiuidualitas verò prædicabilis est relatio rationis, cuiusdam rationis ad seipsam tantùm. Bonitas harum

harum definitionum satis constat ex dictis sectione prima huius disput.

675 Sed quæres primò: vtrum indiuidua generica possint recipere notionem indiuidualitatis subijcibilis, & prædicabilis, & consequenter definitiones traditæ in concreto, eis, vt quod, conuenire possint?

Resp. quòd sic; nam in actu intellectus, in quo hoc animal ad animal comparatur, hoc animal, repræsentatur, vt aliqua ratio immediatè collocata sub aliqua specie infima, & consequenter in ipso ex tali cognitione indiuidualitas subijcibilis resultat: Deindè in actu intellectus, in quo hoc animal ad seipsum comparatur, repræsentatur, vt aliqua ratio, ad seipsam tantùm ordinata; ergo ex tali cognitione indiuidualitatẽ prædicabilem acquirit.

676 Sed dices. Indiuiduum tantùm immediatè de seipso prædicare valet: sed indiuidua generica non solùm immediatè de seipsis, sed etiã formaliter de indiuiduis adæquatis prædicant; ergo non sunt subiecta capacia indiuiduationis prędicabilis. Minor patet; quia hæc est prædicatio formalis: Petrus est hoc animal.

Resp. distinguendo maiorem: indiuiduum de seipso tantùm est prædicabile, quatenus indiuiduum prædicabile est, concedo: quatenus aliã secundam intẽtionem habet, nego: verùm enim est, quòd prędicabilitas identica de seipso tantùm est passio indiuidualitatis prædicabilis; & ideò quotiescumque aliqua natura illam habet, talem passionem quoque retinet; at verò, quia natura aliqua in ordine ad diuersa, potest considerari maximè si inadæquatè concipiatur; hinc est vt diuersas secundas intentiones acquirere valeat; vt patet in natura generica, quæ si consideretur in ordine ad proprias species; quia tunc consideratur, vt natura essentialiter perfectibilis, genereitatem ex vi talis cognitionis acquirit: si autem in ordine ad indiuidua generica intelligatur; quia tunc cõparatur ad illa, vt natura essentialiter perfecta notionem speciei tatis prædicabilis à tali cognitione habet: ita similiter si indiuidua generica comparantur ad seipsa; quia ex vi talis comparationis, vt prorsus indiuisibilia repręsentantur, notionem indiuidualitatis prædicabilis à tali cognitione habent; si autem ad indiuidua specifica comparentur, cũ in tali cõceptu non repræsententur, vt prorsus indiuisibilia; sed vt essentialiter; & materialiter perfectibilia, hinc est, quod ex tali cognitione, non indiuidualitatem, sed aliam elationem rationis; quæ est quædam imperfecta genereitas ad genereitatem reducibilis habet, quod euidentiùs patet in hoc indiuiduo specifico: hoc album, quod licet comparatum ad seipsum habeat notionẽ indiuidualitatis prædicabilis; si autem ad proprium subiectũ comparetur ex tali comparatione non indiuidualitatẽ, sed quandam accidentaleitatem imperfectam ad perfectam accidentaleitatem reducibilem habet; quia ibi repræsentatur vt quid formaliter extrinsecum suo termino. Vndè patet, quòd malè Toletus hanc prædicationem, Petrus est hoc album, nugatoriã appellauit, cũ sẽsus illius sit, Petrus est subiectũ huius albedinis.

677 Quæres secũdò vtrum significatum

ficatum huius vocis; *quidam homo*; possit recipere indiuidualitatē prædicabilem; quod significatum communiter indiuiduum vagum nuncupatur?

Resp. quòd non; quia ad hoc vt aliquid talem notionem recipere valeat, debet considerari, vt quid omninò determinatum: quæ consideratio repugnat tali significato; quia ex æquo dicit naturam specificam, & rationem illam analogicè communem omnibus differētijs indiuidualibus, quam per conceptum inadęquatum concipimus.

Quęres tandē, an quādo tale significatum huius vocis, *quidam homo*, ad illa, de quibus prædicare potest, vt sunt indiuidua determinata humanę speciei comparatur, acquirat aliquam vniuersalitatem?

Resp. quod non; quia fundamentum vniuersalitatis debet esse quid vniuocum; & tale significatum simpliciter est quid analogum; nam cū importet illam rationem analogam, & analogia habeat rationem mali respectu vniuersalitatis, & malum à quocumque defectu dicatur, hinc est, vt illud significatum simpliciter analogum censeatur, & consequenter est incongruum fundamentum vniuersalitatis.

678 Dices contra cum Complutensibus disput. 4 sect. 6. Logicæ. Si significatum talis vocis, *quidam homo*, esset analogum, per priùs de vno ex suis inferioribus, quàm de alio prædicaret; sed hoc non facit talis ratio: ergo irrationabiliter dicitur tale significatum esse analogum.

Resp. distinguendo maiorem: si esset analogum attributionis, concedo: si esset analogum proportionalitatis propriè, nego: nam indiuiduum vagum, v. g. *quidam homo*, non est analogum attributionis, sed proportionalitatis propriè; cuius doctrina quo ad primam partem non discordat cum doctrina Complutensium disput. 10. quæst. 4 Logicæ: deinde concessa minori neganda est consequentia. Vndè eis libenter cōcedimus, quod ratio communis differentiarum indiuidualium importata etiam ab indiuiduo vago nō est analoga attributionis, sed proportionalitatis propriè respectu suorum analogatorum.

679 Sed contra hanc solutionem dices ex Bruno prima parte Logicalium disput. disput. 6. Ratio indiuidui per prius dicit de indiuiduis substantiæ, quàm de indiuiduis accidentis; ergo malè contrarium concedimus in præterita solutione. Antecedens sic probat de eo per prius dicit aliquod prędicatum, cui magis competit ratio formalis ipsius: sed ratio formalis indiuidui magis competit indiuiduo substantiæ, quàm accidentis: ergo indiuiduum per prius dicit de indiuiduis substantiæ, quàm de indiuiduis accidentis. Minor sic probas: ratio formalis indiuidui est esse incommunicabile, & indiuisum in se: sed magis incommunicabile est, & indiuisum indiuiduum substantiæ, quàm indiuiduum accidentis, cum indiuiduum substantiæ ex sua natura sit etiam incommunicabile alteri tamquam supposito, quo modo non est incommunicabile indiuiduū accidentis: ergo magis cōpetit ratio formalis indiuidui indiuiduo substantiæ, quàm accidentis.

680 Resp.

680 Resp. negando antecedens, ad cuius probationem negamus minorem, & ad eius probationē distinguimus maiorem: ratio formalis indiuidui est esse incommunicabile omni modo, nego; est esse incommunicabile, idest immultiplicabile; concedo; quia indiuiduum, vt tale, est indiuisibile in plura, quorū quodlibet sit ipsum; & licèt verū sit, quod indiuiduum substātiæ est incommunicabile alteri tamquam suppositāti, vel terminanti hypostaticè, & etiā tamquam subiecto substentanti: nō autem indiuiduum accidētis, tamen indiuiduum substantiæ hoc non habet quatenus indiuiduum est, sed quatenus subsistens est; idest, hoc nō habet præcisè per differentiam indiuidualem, sed per subsistentiam; nā natura humana Christi singularis, seu indiuidua, cōmunicata fuit supposito verbi diuini, cuius personalitate subsistit.

681 Nec valet dicere, quòd quodlibet indiuiduum substantiæ habet naturaliter propriam subsistentiam, non autem indiuiduum accidentiū; nam ex hoc non sequitur, quòd subsistentia includatur in conceptu differentiæ indiuidualis, quod erat necessarium ad hoc, vt doctrina prædicti Doctoris suum intentum probaret, vt de se patet.

SECTIO IV. De Differentia.

682 *Postquam de prædicabilibus in quid egimus, restat vt de prædicabilibus* in quale *aliqua proponamus; cum autē differentia sit* in quale quid *prædicabilis de suis inferioribus; cum à Porphyrio hic, definiatur per hoc, quod sit* id, quod de pluribus differentibus specie in quale quid prædicatur; *meritò ei primum locum damus; & ideò vt eius naturam explicemus sit.*

QVAESTIO I.

Quid, & quotuplex sit differentia primò intentionaliter accepta.

683 Haec quæstio licèt metaphysica sit; hìc tamen excitatur, vt fundamentum differētialitatis rectè cognoscere valeamus; & ideò primò sciendum est, quod differentia primò, intentionaliter accepta est forma faciens differre ea, quæ erant conuenientia in aliquo priùs natura in ipsis inuento; vt autem punctum quæstionis soluamus.

Sit conclusio. Differentia primò intentionaliter accepta optimè diuiditur in essentialem, quæ vocatur proprijssima, v.g. rationalitas respectu hominis; quia per ipsam homo à Leone cum ipso proximè in ratione animalis conueniente, differt essentialiter: & accidētalem, quæ rursus diuiditur in accidentalem inseparabilem naturaliter; sub quo mēbro nō solùm propriæ passiones respectu propriorū subiectorum; sed etiam differētias indiuiduales, & alia accidentia inseparabilia cōtinentur; quæ differentiæ propriæ vocantur; quia magis ad naturam veræ differentiæ, quàm communes accedunt; & in accidentalem separabilem, v.g. Sessio est differentia separabilis Petri sedentis; quia per ipsam separabiliter à Paulo nō sedente differt; quæ differentia communis vocari solet.

684 Probatur illa diuisio est bona, in qua membra diuidētia exhauriunt

riunt naturam diuisi; sed hæc ita se habet: ergo est bona. Probatur minor: omnis forma faciens realiter differre aliqua, vel facit differre illa essentialiter, vel accidentaliter, vt ex se est manifestum; ergo membra diuidentia talis diuisionis naturam diuisi exhauriunt, quod idem faciunt membra subdiuisionis ibidem adductæ: ergo optimè à nobis diuiditur differentia primò intẽtionaliter accepta. Quæ conclusio magis manifestabitur ex solutionibus sequentiũ obiectionum; & ideò

685. Contra hanc conclusionem obijcies primò. Illa diuisio est mala, in qua membra diuidentia coincidunt, seu non sunt opposita: sed sic se habet præsens diuisio; ergo nõ est bona. Probatur minor; vna & eadem res facit differre essentialiter, & accidentaliter, v.g. disgregare visum facit essentialiter differre albedinem à nigredine, & accidentaliter niuem à Coruo: ergo in hac diuisione membra diuidentia coincidunt.

Resp. distinguendo maiorem: illa diuisio est mala, in qua membra diuidentia coincidunt formaliter, cõcedo: materialiter, nego. Ad minorem verò dicimus, quod membra prędictæ diuisionis solum materialiter, non autẽ formaliter coincidunt.

Obijcies secundò. Illa diuisio est mala, quæ nõ compræhendit omne essentialiter contentum sub diuiso: sed hæc est huiusmodi; ergo est mala. Probatur minor: non compræhendit differentiam indiuidualem; ergo nõ comprehendit omne essentialiter contentum sub diuiso: consequentia patet; quia differentia indiuidualis est vera differẽtia, cum ei cõpetat essentialiter definitio differẽtiæ tradita in principio huius quæstionis, & consequenter continetur essentialiter sub diuiso huius diuisionis. Antecedens verò probatur; differentiæ indiuiduales non faciunt differre essentialiter; cum specificè non faciant differre, neque accidentaliter; cum substantialiter differre faciant: nam Petrus, & Paulus per suas differentias indiuiduales substãtialiter differunt; cum tales differentiæ sint realiter idẽtificatæ cum substantia illorum; ergo talis diuisio nõ comprehendit differentiam indiuidualem.

686 Resp. concedendo maiorẽ, & negando minorem, ad cuius probationem negamus antecedens, ad eius probationem negamus vltimã partem antecedentis; quia licet prædictæ differentiæ sint substantiæ; tamen solum faciunt differre accidentaliter cum non intra essentiam; sed extra essentiam illarum rerum, quas faciunt differre, reperiantur; & ideò sub secũdo membro huius diuisionis continentur, vt diximus in conclusione.

Dices tandem. Propriæ passiones verè sua subiecta faciunt differre; nã homo per risibilitatem differt verè à rugibili: sed non comprehenduntur sub hac diuisione: ergo talis diuisio non est bona. Probatur minor: in primis non faciunt differre essentialiter, cum non sint de essentia subiectorum, quos faciunt differre. Deindè neque accidentaliter, cum dimanent à principijs essentialibus illarũ rerum, quas differre faciunt; ergo propriæ passiones non compræhenduntur sub aliquo membro huius diuisionis.

687

687 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, ad eius probationem dicimus cum Ioanne de S. Thoma hìc, art. 1. quòd propria passio solùm facit differre formaliter propriè, & consequenter accidētaliter: virtualiter tamen, seu illatiuè facit differre proprijssimè; quia est effectus consequutus ad differētiam proprijssimam, & ex differentia per propriam passionem benè infertur differētia essentialis, v. g. Petrus, & Bucephalus differunt in proprijs passionibus: ergo habent diuersas differentias essentiales. Vndè constat, quod prædictæ proprietates sūt differentię proprię, seu accidentales.

688 Vltima conclusio, Talis diuisio est analogi in analogata. Probatur: illa diuisio est analoga, in qua membra diuidētia non eodem modo participant naturā diuisi; sed hæc est huiusmodi: ergo est analoga. Probatur minor; ratio differentiæ, quæ est diuisum, in tali diuisione simpliciter in vno mēbro reperitur, & secundum quid in alio; ergo in tali diuisione membra diuidentia non eodem modo participant naturam diuisi. Probatur antecedens; eo modo, quo differentia constituit, differre facit; sed differentia essentialis, & accidentalis non eodem modo constituunt, cum prima simpliciter esse rei constituant; secunda verò tantū secundum quid; ergo neque eodem modo differre faciunt; & consequēter diuisum huius diuisionis simpliciter in vno membro reperitur, .s. simpliciter in differentia essentiali, & secundum quid in alio .s. in differentia accidentali.

Dices contra. Prædicabile essentiale, & accidentale vniuocè conueniunt in ratione prædicabilis, vt sic; ergo etiam differentia essentialis, & accidentalis eodem modo .s. vniuocè participant rationem differentiæ, vt sic, & consequenter tradita diuisio non est analoga; sed vniuoca.

689 Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quod prædicabilitas nō consequitur ad res, prout sunt à parte rei, sed solùm prout ab intellectu in ordine ad propria inferiora cognoscuntur; possunt enim eodem modo ad propria inferiora comparari ea, quæ sunt in illis essentialiter, ex qua comparatione resultat in illis prędicabilitas essentialis, ac ea, quæ solum accidentaliter in illis reperiuntur; ex qua cognitione resultat in ipsis prædicabilitas accidentalis: at verò facere differre, non cōsequitur ad res cognitas, prout sic; sed prout à parte rei habēt aliquam formalitatem vnum ab alio differre facientem; quia hìc metaphysicè loquimur de differentia, vt notauimus in principio quæstionis, & quia forma faciēs differre essentialiter, tollit identitatem simpliciter; non autem differētia accidētalis, sed relinquens illam, solùm identitatem secundum quid tollit; & ideò vniuocè in ratione differētiæ conuenire non valent.

Notandum tamen est, quod sola differentia essentialis est fundamentū tertij vniuersalis, quia sola illa, vt quod, est prædicabilis de pluribus essentialiter, vt natura perficiens illorum; & ideò de illa sola in hac sectione agemus; de reliquis verò suis locis.

QVAESTIO II.

Quid, & quotuplex sit differentia tertiũ vniuersale, & quid terminus tertiæ vniuersalitatis.

690 Differentia est natura perficiens vniuersalis esſẽtialis; & differẽtialitas est vniuersalitas essentialis naturæ perficientis: vel differentia est natura perficiens prædicabilis essentialis de pluribus, & differentialitas est prædicabilitas essentialis de pluribus naturæ perficiẽtis. Duæ primæ definitiones sunt essentiales; duæ verò secundæ descriptiuę iuxta dicta disputatione præterita.

Diuiditur differentia in superiorẽ, seu genericam, seu subalternam, & in inferiorem, seu specificam, seu infimam; nam cùm natura generica ad naturam sibi vniuocè superiorẽ comparatur, specieitatem subijcibilem acquirat, vt supra explicauimus; & cum omnis species constet ex genere, & differentia, vt infra dicemus, necesse est, vt dentur aliquæ differẽtiæ, quæ componant speciem subalternam, quæ vocantur differentiæ superiores, seu genericæ, seu subalternæ; & aliæ, quæ componant speciem infimam, quæ differentiæ inferiores, seu specificæ, seu infimæ vocantur. Relicta igitur illa quæstione .s. an dentur differentiæ infimæ, quę à Complutensibus hìc, disput. 4. quæst. 3. optimè soluitur ex doctrina Arist. ad alias grauiores accedimus; & ideò

Quęres primò: an prędictæ definitiones omnibus differẽtijs, hoc est, tã subalternis, quã infimis cõueniãt?

691 Resp. quod verè illis omnibus competunt; nam vtraque essentialiter prędicat de proprijs inferioribus, vt est quid perficiens naturam genericam esſẽtialiter in illis repertam, & consequenter, per comparationem ad illa, vtraque acquirit quãdam relationem, quæ est vniuersalitas essentialis naturæ perficientis; ex quo patet, quod vtraque natura differentialis est verum fundamentum tertij vniuersalis.

Quæres secundò quo modo definiantur prędictæ differẽtiæ, vt tales?

Resp. quòd differentia subalterna sic definitur; est natura perficiens, in ordine ad plura specie diuersa essentialis vniuersalis; vel natura perficiẽs prędicabilis essentialiter de pluribus specie diuersis, v.g. sensibile. Deinde differẽtia infima sic definitur; est natura perficiens vniuersalis essentialis in ordine ad plura numero diuersa; vel est natura perficiens prædicabilis essentialis de pluribus numero diuersis. v. g. rationale.

692 Quæres tandem quo modo differant prædictæ differentiæ?

Resp. quod solùm accidentaliter differunt, loquendo de notionibus secundis, de quibus potest esse dubium; nam de primis quo modo differant est res per se manifesta ex dictis supra disputatione pręterita; nã vtraque est ratio respiciendi eodem modo terminum, cum vtraque habeat eamdem rationem fundandi, & terminandi, à quibus vnitas specifica sumitur in relationibus, vt infra dicemus.

Circa secundum quæsitum notãdum est, quòd natura differentialis ad quinque potest comparari .s. ad genus, cuius est differentia; ad differentias inferiores, si est differentia supe-

ſuperior;ad propria inferiora, ſeu ad inferiora eiuſdem nominis, v. g. rationale ad hoc, & ad illud rationale; ad ſpeciem quam conſtituit,& tandē ad inferiora illius ſpeciei. Et ideò eſt dubium, per quam ex prædictis comparationibus tertiam vniuerſalitatem acquirat: quo ſoluto apertū manebit ſecundum quæſitum tituli; nam illa,in ordine ad quæ talem vniuerſalitatem acquirit, ſunt propria inferiora illius,quatenus eſt tertium vniuerſale, & terminus relationis tertiæ vniuerſalitatis. pro quo

693 Sit prima concluſio. Natura differentialis per ordinem ad genus, quod limitat, non acquirit tertiam vniuerſalitatem. Probatur. tūc natura acquirit vniuerſalitatē, quando comparatur ad inferiora; ergo tunc habet talem vniuerſalitatem, quando comparatur ad talia inferiora; ſed genus non eſt inferius differentiæ, cum potiùs ſit illa ſuperius; ergo differentia in ordine ad illud nō acquirit tertiam vniuerſalitatem.

Probatur ſecundò. natura differētialis per tertiam vniuerſalitatem habet eſſe eſſentialiter prædicabilis de illis, in ordine ad quos acquirit tertiam vniuerſalitatem; ſed natura differentialis nō eſt eſſentialiter prædicabilis de genere,quod contrahit: ergo per comparationē ad illud non acquirit tertiam vniuerſalitatem. Ex quibus colligitur, quod hæc prædicatio, animal eſt rationale, non eſt tertij,ſed quinti prædicabilis.

694 Secunda concluſio:differentiæ ſuperiores non habent tertiam vniuerſalitatem in ordine ad differētias inferiores. Probatur. differentiæ ſuperiores non acquirunt prædicabilitatem eſſentialem per comparationem ad differentias inferiores; ergo neque tertiam vniuerſalitatē. conſequentia patet; quia illa eſt paſſio illius. Antecedens verò probatur; quod non poteſt eſſentialiter prædicari de aliquo, non poteſt eſſe eſſentialiter prędicabile de illo;cum fruſtrà ſit potentia, quando actus illius eſt impoſſibilis; ſed differentia ſuperior non poteſt eſſentialiter prędicari de differentijs inferioribus;ergo differentia ſuperior per comparationem ad differentias ſibi inferiores non acquirit prædicabilitatem eſſentialem de illis. Probatur minor; quod non includitur eſſentialiter in alio,non poteſt eſſentialiter de illo prædicari: ſed differentiæ ſuperiores eſſentialiter non includuntur in inferioribus,neque è contrà,ergo differentia ſuperior non poteſt eſſentialiter prædicari de differentijs inferioribus.

695 Minor huius probationis ſic probatur primò; ſi differentiæ inferiores includerent eſſentialiter ſuperiores, definitio, quæ traditur per vltimum genus, & per vltimam differētiam definiti,eſſet vitioſa: ſed hoc eſt falſum, vt communiter omnes tenent cum Ariſt. 7. metaphyſicæ: ergo differentiæ inferiores non includūt eſſentialiter ſuperiores. Probatur ſequela maioris: illa definitio eſt vitioſa,in qua bis idem repetitur, cum peccet contra vltimam regulā bonæ definitionis à nobis in introductione, lib. 2. ſect. 2. aſſignatam; vtpotè, quia traditur per ſuperflua: ſed, ſi differentiæ ſuperiores includerētur eſſentialiter in inferioribus, bis idem repeteretur in definitione

tradita

tradita per vltimum genus, & per vltimam differentiam: ergo, si differentiæ inferiores includerent essentialiter superiores, definitio tradita per vltimum genus, & per vltimam differentiam esset vitiosa. Minor patet: quia in hac definitione hominis, animal rationale, sensibile, bis poneretur; semel in animali, in quo essentialiter includitur, cum sit eius differentia constitutiua; & in rationale, cum nihil sine eo, quod ei essentialiter competit, concipi valeat.

696 Probatur secundò eadē minor: differentia infima contrahendo genus contrahit etiam differentiam constitutiuam illius in esse talis generis, cum sit de ratione formali illius: sed contrahens non est de conceptu formali cōtrahibilis: ergo differentiæ inferiores non includunt essentialiter differentias superiores.

Probatur tandem eadem minor. In quacumque compositione vna pars aliam excludit, & quidquid est de illius essentia: sed differentia inferior est pars simul cū genere compositionis metaphysicæ: ergo formaliter excludit genus, & quidquid est de eius conceptu formali; sed differentia constitutiua talis generis, est de conceptu formali illius; ergo nō includitur in conceptu formali differentiæ inferioris. De qua re videri potest noster Oliua in Gemmea analog. part. 3. dub. 1.

Dices contra cum Ariaga disput. 8 Logicæ sect. 1. non possumus formaliter cōcipere rugibile, quin formaliter concipiamus sensibile: ergo differentia inferior formaliter includit superiorem. Antecedens patet; quia rugitus Leonis est formaliter quædam sensatio.

697 Resp. negando antecedens: ad eius probationem dicimus, quod differentia inferior solùm est principium talium operationum, quatenus tales sunt; non autem quatenus sensationes sunt v. g.; quia hæ operationes pendent à tota natura, quatenus importāt totam essentiam completam. Vndè rugitus non addit in Leone nouam actionem à sensatione distinctam; sed tantum nouam rationem formalem; per quam sensatio determinatur ad talem sensationem, quæ dicitur rugitus; cum autem determinans non contineat formaliter determinabile, hinc est, quod rugitus non continet formaliter sensationem.

698 Sed instat idem. Actio Leonina, est formaliter sensatio: ergo differentia leonina est formaliter principium sentiendi, & non tantùm taliter sentiendi. Antecedens patet, quia sicut non potest præscindi formalitas, quæ sit productiua alicuius materialis cognitionis, quę eo ipso non sit formaliter animalitas; ita nec rugibilitas, quæ sit principiū determinatæ sensationis, & eo ipso non sit formaliter virtus sentiendi.

Resp. distinguendo antecedens; actio leonina est formaliter sēsatio, si sumatur secūdum se tota, seu adęquatè, concedo; at sic considerata, non est adæquatè à differentia Leonis, sed à tota natura illius; actio leonina est formaliter sensatio si sumatur inadæquatè, & secundùm modū specificum negatur; quia sic solùm præsuppositiuè est sensatio. Deindè ad probationem antecedentis dicimus, falsum esse, quòd determinatum

tum

tum principium sensationis sit formaliter principium sentiendi, vt sic absolutè; quia non est necessè, vt, quod est principium actionis secundùm determinationem specificam, sit etiam principium illius secūdum gradum genericum; nam constat, quòd species intelligibilis est principium talis intellectionis, non autem intellectionis vt sic.

699 Dices tandē: vel primæ differētiæ substantiæ formaliter includunt substantiam .s. corpoream, & spiritualem, vel non; si primum, intentum; si secundum, ergo essent etiam communes accidētibus, quod est falsum.

Resp. quod prædictæ differentiæ licèt identicè, sint substantia, formaliter tamen non sunt substantia, vel accidens, sed sunt aliquid substantiale, quatenus sunt determinationes illius; & ideò differentiæ prædicamenti substantiæ propriè non substantia, sed substantiales dici debent, non secus ac vnio materiæ primæ cum forma substantiali.

Ex quibus colligitur, quod prædicationes, in quibus differentia superior de inferiori prædicat, sunt accidentales; quia illæ non sunt de essentia istarum, accidentalitate prædicabili: non autem prædicamentali, cū tàm subiectum, quàm prædicatum illarum sint in eodem prædicamēto.

700 Tertia conclusio. differentia non habet tertiam vniuersalitatē in ordine ad sua inferiora eiusdem nominis cum ipsa, v. g. rationale nō acquirit tertiam vniuersalitatem in ordine ad hoc, & ad illud rationale: sed per comparationem ad illa secūdam habet vniuersalitatem. Probatur: ideò genus, v. g. animal, per comparationē ad hoc, & ad illud animal non acquirit genereitatem, sed specieitatem, quia non comparatur ad illa, vt pas perfectibilis essentiæ illorum, sed vt tota essentia eorum, vt sect. prima dicebamus; ergo, quia natura differentialis, v. g. rationale non comparatur ad hoc, & ad illud rationale, vt pars perficiens essentiā illorum, sed vt tota essentia eorum, per talem comparationem non tertiam vniuersalitatem, sed secundam acquirit. Vndè hæc prædicatio; hoc rationale est rationale, non tertij, sed secundi prædicabilis est.

701 Quarta conclusio. Natura differentialis non acquirit aliquam vniuersalitatem in ordine ad speciē, quam constituit. Probatur; tunc aliqua natura acquirit aliquam vniuersalitatem, quando vt superior ad sua inferiora comparatur: sed natura differentialis non comparatur vt superior ad inferiora, quando comparatur ad speciem, quam constituit: ergo ex tali comparatione non acquirit aliquā vniuersalitatem. Maior ex se satis est manifesta, cum vniuersalitas sit relatio superioris ad inferiora. Minor verò probatur: natura differentialis, & species per illam constituta nō se habent vt superior, & inferior; sed vt equalis cum æquali; ergo natura differentialis non cōparatur, vt superior cū inferioribus, quando comparatur ad speciem, quam constituit. Probatur antecedens; quia superius est id ex Arist. in postprædicamētis, à quo ad inferiùs non valet subsistendi consequentia; sed à differentia ad speciem per illā constitutam, valet subsistendi conse-

sequentia: ergo natura differentialis,& species per illam constituta, nō se habent, vt superiùs,& inferiùs; sed vt æqualis cum æquali.

702 Dices contra. Natura constituitur vniuersalis in ordine ad ea, de quibus immediatè prædicat: sed differentia immediatè prædicat de specie, quam constituit, & illa mediante de inferioribus eius; ergo differentia acquirit tertiam vniuersalitatem in ordine ad speciem, quam constituit.

Resp. primò: negando maiorem absolutè intellectam; nam (vt diximus) natura generica comparata ad indiuidua illarum specierum, cuius est genus, ex vi talis comparationis veram genereitatem acquirit, licèt de illis immediatè non prædicet.

703 Resp. secundo: distinguendo maiorem: natura constituitur vniuersalis in ordine ad ea, de quibus immediatè prædicat, prædicatione superioris de inferiori, cōcedo: prędicatione æqualis de æquali, nego; differentia enim solùm prædicatione æqualis de æquali; non autem superioris de inferiori prædicat de specie, quam constituit.

Sed instabis: differentia non prædicat de specie, quam constituit, vt singularis: ergo prædicat de illa, vt vniuersalis.

Resp. quòd prædicat, vt vniuersalis materialiter: non autem formaliter; ideſt differentia prout de specie, quam cōstituit, prædicat, est fundamentaliter proximè vniuersalis, non autem formaliter. Hoc tamen non habet; quia per simplicem comparationem ad dictā speciem comparari potest: sed quia ad inferiora talis species modo dicto potest comparari.

704 Vltima conclusio. Natura differētialis acquirit tertiam vniuersalitatem in ordine ad propria inferiora speciei, quam constituit, v.g. rationale in ordine ad Petrum, & Paulum; & sensibile in ordine ad hominem, & equum, &c. & etiam in ordine ad Petrum, & Bucephalum. Hæc conclusio est euidens ex dictis; nam natura differentialis solùm differentialitatem habere potest in ordine ad ea, ad quæ ab intellectu cum fundamento in re potest comparari; sed per comparationem ad ea, ad quæ intellectus cum fundamento in re illam comparare potest prẹter ad inferiora speciei, quam constituit, differentialitatem habere non potest: ergo habet illam per comparationē ad inferiora illius speciei, quam constituit. Minor patet; quia solùm ad quinque tali modo comparari potest, vt notauimus in principio quæstionis: sed per comparationem ad quatuor priora, illam non acquirit, vt probauimus in quatuor prẹteritis conclusionibus: ergo per comparationem ad ea, ad quæ intellectus cū fundamento in re naturam differentialem comparare potest, præter ad inferiora illius speciei, quam constituit, tertiam vniuersalitatem non potest habere.

705 Deindè probatur conclusio. Ab illa comparatione, qua aliqua natura, vt superior ad plura, vt inferiora comparatur, non potest non resultare in ipsa natura sic per talem actum comparatiuum cognita aliquam vniuersalitatem: sed quando natura differentialis comparatur ad infe-

inferiora illius speciei, quam constituit, comparatur, vt superior ad inferiora: ergo ab illa comparatione habet aliquam vniuersalitatem; nō primam; quia non comparatur ad illa, vt natura perfectibilis illorū: neque secundam; cum non comparetur, vt natura perfecta eorum; nec quartã, vel quintam; cum non comparetur ad illa, vt quid in eis existens: ergo habet tertiam: cum ad illa comparetur, vt natura perficiens essentiam illorum.

QVAESTIO IV.
Qualis sit compositio ex genere, & differentia.

706 POstquã egimus de genere, & differentia seorsim accepta, restat, vt explicemus id, quod est eis commune, ad quod hæc, & sequentes quæstiones ordinantur. pro quo Sit prima conclusio. Compositio ex genere, & differentia non est realis; sicut compositio physica ex materia prima, & forma substantiali. Hæc conclusio est ab omnibus recepta; quia nullus, quem viderim, distinctionem realem rei à re inter animal, & rationale in homine ponit; sicut omnes illam vident inter materiam primam, & formam substantialem vniuscuiusque compositi; quæ erat necessaria ad hoc, vt illa compositio talis esset, qualis est physica assignata. Et breuiter probatur; quia si animal faceret realem compositionem cum rationale in homine; sicut materia prima cum forma substantiali illius, sequeretur, quod sicut materia prima hominis potest desinere esse partem hominis, & fieri partem alterius compositi substantialis specie ab homine distinctum; ita & animal hominis posset desinere esse partem hominis, & fieri partẽ alterius compositi substantialis specie distinctum ab homine: sed hoc est impossibile, vt ex se patet: ergo compositio ex genere, & differentia non est realis, sicut compositio physica ex materia prima, & forma substantiali. Sequela patet; quia tunc non minùs animal haberet realem potentiam ad diuersas differentias, ac habet materia prima ad plures formas: nec in hoc est amplius immorandum.

707 Secunda conclusio. Compositio ex genere, & differentia non est formalis actualis ex natura rei, ex realitate, & realitate. Breuiter probatur: si talis compositio esset formalis actualis ex natura rei, hoc esset; quia eius partes distinctione formali actuali ex natura rei distinguerentur: sed sic nō distinguuntur: ergo talis compositio nō est formalis actualis ex natura rei. Maior patet; quia talis est compositio, qualis est distinctio suarum partium, vt inductiuè patet. Minor probata manet ex disputatione præterita, quæstione 5. quòd autem talis compositio non sit ex realitatibus, patet etiã ex his, quæ loco citato diximus, vbi ostendimus, non dari realitates in sensu, quo ab Scotisticis ponuntur.

708 Dices ex Mastrio cōtrarium huius conclusionis sustinente hic, disput. 5. quæst. 3. art. 2. si natura generica, & differentialis non distinguerentur actualiter ex natura rei, sequeretur, quòd intellectus nō minus posset cum veritate concipere rationalitatem, vt priorem animalitate,

tate,& vt contrahibilem,ac perfectibilem per eam; quàm è contra: sed hoc est absurdum: ergo natura generica, & differentialis formaliter actualiter ex natura rei distinguuntur; & consequenter compositio ex genere, & differentia est formalis actualis ex natura rei.

Resp. quòd licèt hæc compositio non sit realis, vt prima conclusione diximus, neque formalis, actualis ex natura rei, vt diximus secunda; sed rationis, vt dicemus tertia; tamen quia est compositio Logica, vt infra explicabimus, est cum fundamento in re; siquidem entia rationis Logicalia sunt cum fundamento in re, ratione cuius intellectus nō potest id, quod dicitur in argumento.

709 Sed instat idem ibidem: intellectus non potest rationalitatem, vt prior animalitate concipere, benè tamen è contra: ergo illi conceptus supponunt tales realitates à parte rei formaliter distinctas: quia ordo requirit distinctionem inter extrema ordinata; nihil enim ad seipsum omninò ordinatur, & qualis est ordo, talis est distinctio, cum igitur ordo sit ex rei ipsius exigentia præfixus non immutabilis ab intellectu, distinctio quoque, & compositio erit ex natura rei.

Resp. negando consequentiam; nam licèt ea, quæ à parte rei sunt adæquatè, & ex omni parte idem, à parte rei non possunt habere talem ordinem, vt vnum sit conceptibile, vt priùs alio, non autem è contra; benè tamen, quæ solum à parte rei sunt idem inadæquatè tantùm; at natura generica, & differentialis solùm sunt idem inadæquatè cum vna non sit de essentia alterius. Vndè ille ordo, seu illa prioritas, & posterioritas talium naturarum à parte rei solùm reperiuntur in illis naturis fundamētaliter, non autem actualiter; cum à parte rei animalitas, & rationalitas vna non sit actualiter prima alia; ex eo, quod vna non est in tali statu actualiter ab alia distincta, vt sæpè probauimus; vnum .n. eo solummodo potest esse alio prius, quo modo est ab illo distinctum.

710 Dices secundò. Animal à parte rei actu non est formaliter rationale: ergo actu formaliter ab illo ex natura rei distinguitur, & consequenter compositio animalis, & rationalis est ex realitatibus ex natura rei distinctis, atque adeò compositio ex natura rei.

Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam sensus antecedentis est, animal à parte rei est actu conceptibile diuerso cōceptu formali à rationale, quod est verum; vel ratio animalis à parte rei est actu conceptibilis diuerso conceptu formali à ratione rationalis, quod etiam est verum; ex quo non sequitur consequens deductum in argumento; quia ad hoc, vt ratio alicuius sit actu à parte rei conceptibilis diuerso conceptu formali à ratione alterius, sufficit, vt ratio vnius nō sit de essentia alterius, seu vt virtualiter ab illa sit distincta, quod in animali, & rationali reperitur, vt de se patet.

711 Dices tandem: si animal, & rationale à parte rei non distinguerentur, in abstracto vnum de alio absolutè prædicaretur, & sic esset verum, quod animalitas, est rationalitas, & è contra: sed hoc est falsum: ergo à parte

parte rei distinguuntur; & per consequens compositio illorum est formalis actualis ex natura rei.

Resp. negando sequelam, nam licèt animalitas, & rationalitas in homine à parte rei non sint distinctæ, tamen propter modum significandi non verificatur in sensu formali, quod rationalitas sit animalitas, vel è contra; quia ista abstracta significant ipsam solam formalitatem, secundũ quam non verificatur, quòd formaliter rationalitas sit animalitas; cum vnum non includatur in conceptu alterius, nec respiciat illud, vt constitutiuum sui; sicut quando dicimus, humanitas est animalitas, quia animalitas est de cōceptu humanitatis; identicè tamen verificatur, quod rationalitas est res, quæ est animalitas, & è contrà.

712 Tertia conclusio. Compositio ex genere, & differentia est rationis: & logica vocari propriè debet. Prima pars sequitur ex dictis; quia cum non sit realis, vt in prima conclusione diximus, neque formalis, vt diximus in secũda, necessè est, vt sit rationis; cum alia vsque modo non sit à Doctoribus reperta. Et euidenter constat, quia talis est compositio, qualis est distinctio suarum partium: sed partes prædictæ compositionis sola ratione distinguuntur, vt patet ex supra dictis; ergo talis compositio est rationis.

Deindè secunda pars huius conclusionis patet; quia illud nomen ꝓpriùs alicui rei conuenit, per quod talis res significatur, vt distincta ab alijs sub eodē genere contentis: sed per tale nomen talis compositio, vt distincta ab alijs compositionibus significatur: ergo compositio ex genere, & differentia propriè logica vocari debet. Minor patet; nam per tale nomen distinguitur à compositione ex materia prima, & forma, quæ dicitur physica, & etiam à compositione ex essentia, & existentia, quæ dici solet metaphysica: ergo per talē nomen talis compositio significatur, vt distincta ab alijs. Compositio .n. logica idem sonat, ac compositio formaliter ad logicam expectans, quod est proprijssimũ illi, quia licèt gradus ex quib⁹ formaliter est, non spectent ad logicam; benè tamen distinctio, & compositio illorũ, cum sit rationis.

QVÆSTIO V.

An compositio ex genere, & differentia repugnet Deo.

713 Sicut omnes ferè moderni quærunt in logica: an Deus faciat entia rationis, & in antepædicamentis, an in aliquo prædicamento collocetur, vt omninò perfectè naturas illorum explicent; eadem ratione postquam, quid sit compositio ex genere, & differentia explicauimus, breuiter in hac quæstione an Deo repugnet talis cōpositio ostendemus. in qua Vasquez pri. par. disp. 22. & 25. tenet Deo talem compositionem non repugnare; quia hæc compositio tantum est per nostram rationem. Pro Vasquez stat Comptonus in Logica disput. 40. sect. 8. de illo Mastrius hìc, disp. 2. quæst. 3. art. 2. dicit, quòd in hac re magis consequenter est locutus, quã Thomistæ: sed his non obstantibus.

714 Sit conclusio. Compositio ex genere, & differentia repugnat Deo.

Deo Probatur. In illo repugnat subiectari secunda intentio compositionis logicæ, seu ex genere, & differentia, cui non repugnat concipi, vt proprium subiectum illius: sed repugnat concipi aliquid ex his, quæ sunt in Deo, vt proprium subiectum talis secundæ intentionis: ergo compositio ex genere, & differentia repugnat Deo. Probatur minor. Illud repugnat concipi, vt proprium subiectum prędictæ secundę intentionis, in quo à parte rei non reperitur fundamentum, vt ita concipiatur: sed in aliquo ex his, quæ sunt in Deo non reperitur fundamentum, vt tali modo concipiatur; ergo repugnat concipi, &c. Maior huius probationis satis ex supradictis constat, cum ostensum sit, quòd secundæ intentiones logicales in re habent fundamentum. Minor verò probatur: in aliquo ex his, quę sunt in Deo, à parte rei non reperitur fundamentum ad hoc, vt concipiatur, vt proprium subiectum specieitatis; sed in eo, in quo à parte rei non reperitur fundamentum specieitatis, non reperitur fundamētum compositionis ex genere, & differentia, cum sola specie ex genere, & differentia componatur: ergo in aliquo ex his, quæ sunt in Deo, non reperitur fundamentū ad hoc, vt concipiatur, vt proprium subiectum compositionis logicæ.

715 Probatur maior: si in aliquo ex his, quæ sunt in Deo reperiretur tale fundamentum, vel in essentia, vel in ratione personę, vel in ratione relationis diuinæ, sed in neutro istorum reperitur tale fundamentum: ergo in aliquo ex his, quæ sunt in Deo, non reperitur fundamentum ad hoc, vt concipiatur, vt proprium subiectum specieitatis. Probatur minor: id solum est fundamentum specieitatis, quod à parte rei est plurificatum, vel saltem plurificabile in pluribus, in quibus est, vel esse potest, vt tota essentia illorū, vt sect. 2. explicauimus: sed neque naturæ, neque personæ, aut relationi diuinæ hoc conuenire potest; ergo in neutro illorum reperitur fundamētum specieitatis. Minor constabit prima parte introductionis ad Apicem verorum Philosophorum quantum ad naturā diuinam vbi ostendemus; ita esse vnum Deum, vt omninò repugnent plures. Quantum verò ad rationem personæ, & relationis diuinæ sic ostendo: personalitates, seu relationes diuinæ secūdùm suas particulares rationes sunt primò diuersæ, & vltimi modi, in quibus inuiuitur natura diuina, & per quos vltimo determinatur: ergo nullus gradus communis in illis inuiuitus potest esse specificus, seu fundamentū specieitatis. Hæc consequentia patet; quia de ratione vltimi modi est, vt per seipsum, & per resolutissimum suum cōceptum determinet quemcumque gradum sibi superiorem. Pro quo videri potest id, quod pro ratione communi differentiarū indiuidualium sect. prętérita diximus.

716 Hæc nostra conclusio à nostro Durello libro categoricothecæ cap. 2. optimè probatur ex multis auctoritatibus Sanctorum Patrum, & noster Oliua in Gemmea analog. par. 4. dub. 2. optima ratione iuxta sua, & cōmunia principia illā etiam ostendit. Et communiter Theologi in primam partem ex hoc illam confirmant:

firmant: quod Deo etiam secundũ modum concipiendi tribuendus est perfectior modus, qui excogitari potest, & magis cohærens cum diuina simplicitate.

Noster Lalemandet in Logica disput.6. partit.12. probatione 7 suæ conclusionis tenet: Deum componi ex genere, & differentia; hocq; sic ostendit: Deus est substantia corporea independens; sed conceptus substantiæ incorporeæ componitur ex ratione substantiæ tamquam genere, & ratione incorporei, tamquam differẽtia diuisiua substantiæ; Deindè independens tamquam ex differentia constitutiua, ex quibus habetur, quòd, cũ Deo assignetur genus, & differentia, erit quoque assignabile ipsi aliquod prædicamentum.

717 Resp. quod ratio substantiæ diuinæ non est genus, nec ratio incorporei differentia intermedia, nec ratio substantiæ incorporeæ independens species, vt satis ex probatione nostræ conclusionis cõstat: tum etiam quia, si ratio substantiæ incorporeæ esset genus in Deo, tunc ratio independens, quæ esset differentia contrahens, & consequenter determinatio generis, cõtraheret, & limitaret rationem illam genericam ad certam speciem, diuidendo illam rationem genericam; atque adeo implicaret, quòd in Deo per illam constituto clauderetur tota perfectio illius generis, & consequenter, quod Deus esset infinitus simpliciter in ratione entis.

718 Ex quibus, ad fundamentum Vasquez satis patet; nam licèt compositio ex genere, & differentia sit rationis, est tamen logica: entia autẽ rationis logicalia habent fundamentum in re; cum enim in Deo fundamentum talis compositionis nõ reperiatur, vt probatum est, ei omnino talis compositio repugnabit. Cõstat etiam falsum esse dictum Mastrij in principio quæstionis adductum .s. quod Vasquez magis consequenter est locutus, quam Thomistæ; quia non ponendo distinctionem ex natura rei formalem inter naturam genericam, & differentialem, non est aliquid in cõpositione logica, quod Deo repugnet. Falsum igitur est hoc dictum; nam licet natura generica, & differentialis ex natura rei non distinguantur actualiter: distinguuntur tamen virtualiter, seu fundamẽtaliter, quæ distinctio, seu fudamẽtum distinctionis; cum in Deo nõ reperiatur, vt satis ex supra dictis constat: satis consequenter locuti sunt Thomistæ.

Pro complemẽto huius quæstionis notandum est, quod Pontius in metaph. disp. 18. quæst. 3. tenet, ens in Deo esse genus, & contrahi per aliquam differentiam ad esse Dei: negat tamen, quòd ens in Deo faciat compositionem; ratio illius est, quia ens in Deo non est propriè perfectibile per differentiam contrahentem ipsũ ad esse Dei, quia non dependet ab aliqua causa, nec quoad existentiam suam, nec quoad communicationem cum illa differentia. Vndè dicit, quòd ad hoc, vt aliquid sit genus, solùm requiritur vt sit aliquid cõtrahibile ad plura distinctæ rationis per differentias, nõ autem, quòd sit quid positiuè limitatum.

Hæc tamen doctrina, licet à prædicto Doctore sit excogitata ad facilius

lius tuendam doctrinam Scotisticā, vt ipse dicit; tamen multa continet falsa. Primum enim falsissimum est; ens esse genus aliquando, seu respectu aliquorum, vt ex dicendis disp. seq. sect. 2. quæst. 2. constabit. Præterea falsum etiam est, quòd ad rationem generis nō requiratur quòd sit quid positiuè limitatum, sed solùm quod sit quid contrahibile ad plura distinctæ rationis per differentias, nā omne contrahibile per plura, dum contrahitur per vnum, necessariò limitatur, vt patet ex supradictis in respons. ad rationem Lalemand. Circa quod vide Mastrium hìc disp. 7. quæst. 1. art. 1. nu. 9. secundæ editionis, qui perdoctè ibidem illi respondet.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vnde sumantur genus, & differentia.

719 VT perfectam notitiam fundamētorum horum duorum prædicabilium habeamus, hæc questio excitatur, ad cuius solutionē:

Notandum est primò: quòd omnis substantia corporea completa est physicè composita ex duabus partibus substantialibus; quarum vna se habet per se, vt potentia ad aliam, quę materia prima appellatur; & alia se habet per se, vt actus ad alterā, quę forma substantialis vocatur; quæ si fuerit materialis de potentia materiæ educi dicitur ab omnibus Peripateticis; licèt Raphael Cararia in quodam libro, cuius titulus est Confusiones Medicorum, scripto idiomate Italico, Confusione 15. dicat, quòd valdè miratur Philosophis primæ classis non esse notam hanc veritatem .s. falsum esse, quod formæ materiales educantur de potentia materiæ; quia forma producitur à forma, & non à materia, iuxta illud axioma, *Omnis forma est sui multiplicatiua*. Ob quam causam multa vana, seu potius scurrilia profert cōtra Philosophos Peripateticos, quānis ipse ex illis profiteatur esse, vt colligitur ex his, quæ in fine Confusionis antecedentis dicit .s. Inconuenientia, quæ fiunt à Medicis (quæ ipse ostendere intendit) oriuntur, ex eo, quod ipsi contradicunt Principi Philosophorum Aristoteli. Certè homo iste credo, quòd parum cum Philosophis Peripateticis conuersatus sit; aut certè quod est ita obtusus, vt eos intelligere nō potuerit. Quis .n. Peripateticus (inter quos commune est illud axioma .s. *formæ materiales educūtur de potentia materiæ;* quod colligerunt (teste Ayosso in quæst. in vniuersam Philosophiam naturalem tom. 1. qu. 4. sec. 3. art. 2.) ex hoc, quod suus Præceptor Arist. sæpè in ore habebat, .s. *ex ente in potentia*, idest, materia prima, *fieri ens actu per formæ productionem: & formam non fieri ex nihilo, sed ex subiecto,*) vnquam illud intellexit in illo sensu in quo ab ipso adducitur? non ne omnes omnem efficientiam negant materię, & solùm illam, *vt quod*, tribuunt composito, &, *vt quo*, suæ formæ; & ipsi materiæ solùm causalitatem receptiuam concedunt? non ne etiam est verum, quod omnis causa antequā causet continet in suo genere suum effectum; cum nemo det, quod aliquo modo non habet; & cōsequenter cum materia sit vera causa materialis formarum materialium; cum ab illa in esse, fieri, & conseruari pendeant

deant in sententia omnium Peripateticorum; & cum ipsa causet per suam potentiam receptiuam, debet in sua potentia continere illas; & cõsequenter, cum effectus materiæ .s. formæ materiales per efficientem in actu ponantur, educuntur de potentia materiæ ab ipso efficiente, *vt quod*, & à sua forma, *vt quo*? cur igitur iste hoc negat, & damnat?

720 Vtinam hic esset proprius locus huius rei, & ille dignus esset, vt à Philosopho ei responderetur; quia vellem hæc omnia, & plura alia ad hoc spectãtia ipsi explicare, & ostendere, quòd Peripateticus nihil horũ negare potest; quamuis in philosophia Electinus sim, vt sæpè dixi, & in hac re Aristotelem non sequor, nec suam scholam; sed cum hic non sit proprius locus huius rei, neque qui impugnat id, quod non intelligit, dignus sit cui respondeatur; ideò solũ ad Medicos dicere volo, quod si prędictus homo tam sinistre intelligit eorum dogmata, quæ profitetur impugnare, sicut istud philosophicum (de quo ad illos) quod optimè faciunt nihil ei respondere, memores, quod est quædam infirmitas in aliquibus corporibus, quæ si ab eorum natiuitate ibi adest, omninò incurabilis euadit, iuxta in his partibus satis vulgatum dictum; manifestum .n. est superflua esse remedia infirmitati incurabili.

Notandum est secundò, quod duplex est fundamẽtum, à quo gradus genericus, & differentialis sumuntur: vnũ proximum, & aliud remotum, quod prima radix illorum graduum est; & ideò de vtroque fundamento præsens quæstio procedit: ad cuius solutionem.

721 Sit prima conclusio. Genus, & differentia proximè sumuntur à tota essentia tàm in substantijs materialibus; quã in spiritualibus, & etiã in accidẽtibus; diuersimodè tamen; nam genus sumitur à tota essentia, secundum quod consideratur secũdum illud, quod in ea est magis potentiale: & differentia ab eadem tota essentia, secundum quod consideratur secundum illud, quod in ea est magis actuale. Hæc conclusio patet; quia nomina significantia tales gradus in quacumque essentia significant totam illam, & non aliquam eius partem; quia cum tales gradus sint à parte rei indistincti, necessariò sequitur, vtrumque nomen significare à parte rei eandem rem .s. totam illam essentiam, vndè reperiuntur, & consequenter isti gradus proximè a tota essentia sumuntur tàm in substantijs spiritualibus, quàm in materialibus, & etiam in accidentibus, nec in hoc est amplius immorandum.

722 Solùm restat notare, quòd cum tota essentia secundum perfectionem communem, à qua sumitur genus, habeat rationem materiæ respectu eiusdem secundum perfectionem propriam, à qua sumitur differentia; ideò loquendo de eo, à quo proximè genus, & differentia sumũtur, potest dici, quòd in omnibus reb⁹ genus sumitur ab eo, quod in illis est simile materiæ, & differentia ab eo, quod in illis est simile formæ. Vndè solum restat difficultas quid sit prima radix, vndè genus, & differentia in prædictis sumitur, ad cuius solutionem.

723 Sit secunda conclusio. Tàm in substantijs corporeis, quàm spiritualibus genus radicaliter sumitur à materia, differentia verò à forma. Pro maior intelligentia huius conclusionis supponendum est, ex dicendis tomo primo introductionis ad Apicem verorum Philosophorum, quod omnis substantia creata completa: siuè corporea, siuè spiritualis componitur physicè ex materia, & forma; si est materialis ex materia, à qua emanat quantitas corporea; & si est spiritualis ex materia, à qua emanat quantitas spiritualis. Quod autem detur hiusmodi quantitates, & in quo conueniunt, & in quo differunt, disp. 6. sec. 2. constabit; & quod dentur prędictæ materiæ loco sup. cit. ex oculta, & mirabili philosophia ostendemus: quo supposito.

Probatur conclusio. Proprium est gradus generici esse quid potentiale; sicut proprium est gradus differentialis esse quid actuale: ergo ab illo primo, & radicaliter sumuntur prædicti gradus in dictis substantijs, à quibus primò omnis potentialitas, & actualitas oritur: sed sic est, quod intra latitudinem substãtiarum creatarum completarum omnis potentialitas primo oritur à materia prima, & omnis actualitas primò oritur à forma substantiali: ergo in substãtijs creatis completis genus radicaliter sumitur à materia, & differentia à forma. Minor patet, quia primum in vnoquoque genere est causa eorum, quæ sunt post in illo genere, vt habetur 2. metaph. text. 4.

724 Vltima conclusio. In accidentibus genus, & differentia radicaliter etiam sumuntur à tota essentia. Probatur in accidentibus nulla reperitur compositio realis: ergo in illis genus, & differentia etiam radicaliter sumuntur à tota essentia modo dicto in prima conclusione. Antecedens patet; quia si aliqua reperiretur compositio realis in accidentibus, maximè compositio ex essentia, & existentia, vt opinantur Thomistæ: sed talis compositio non est realis, vt ostendimus sectione præterita, quæst. 5. & licet esset realis non posset esse radix huiusmodi compositionis; quia repugnat, quòd differentia sumatur, seu fundetur supra id, quod non pertinet ad essentiam eius, cuius est differentia; cum autẽ existentia nõ pertineat ad essentiam rei, cuius est existentia, consequens est, vt compositio ex essentia, & existentia, quamuis esset realis, non posset esse radix in accidentibus compositionis generis, & differentiæ.

725 Hic tamen est notandum, quòd cum accidentia sint entia secundum quid; ideò habent definitionem incompletam, seu per additamentum; quia, scilicet, non possunt definiri nisi ponatur subiectum in eorum definitione, vt sectione prima diximus; ideòque sola essentia non est integra radix, vndè sumitur differentia in illis: sed completur in esse radicis per extrinsecum subiectum, seu principium propriũ talis accidentis; & ideò dici solet, quod differentia in accidentibus radicaliter sumitur ex proprijs principijs, à quibus causatur.

Pro complemento huius sectionis quæres, an omnis differentia sit perfectior genere, cum quo à parte rei identificatur?

726 Resp.

726 Resp. affirmatiuè cũ D.Tho. de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 9. Quodq; sic probatur: quãdo duo in perfectione comparantur, illud est perfectius, quod magis assimilatur enti perfectissimo: sed facta comparatione inter genus, & differentiã, differẽtia magis assimilatur enti perfecto, quam genus; ergo est perfectior illo. Probatur minor; ens perfectissimum est actus purus, & nullã potentialitatem, indigentiam, & necessitatem includit; ergo illud est similior perfectissimo enti, quod minus de potentialitate, & magis de actualitate habebit; sed facta comparatione inter genus, & differentiam, differentia habet minus de potentialitate, & magis de actualitate, quam genus, cum sit actuatiua generis; ergo differentia magis assimilatur enti perfectissimo, quàm genus.

727 Confirmatur; quia quælibet species est nobilior suo genere; ergo quælibet differentia est nobilior genere; cum quo à parte rei identificatur. Consequentia patet, quia ille excessus perfectionis solùm potest conuenire speciei ratione differentiæ; cum in illa præter genus nihil aliud considerari possit nisi differentia.

Dices contra, licèt differentiæ eleuantes genus ad gradum altioris naturæ sint ipso nobiliores, vt rationale respectu animalis, quod eleuat ad gradum intellectiui; tamen, quæ ipsum contrahunt intra proprium gradum, vt se habet rationale respectu animalis, nõ sunt nobiliores, sed vel æquè nobiles, vt in animalibus perfectis .s. in Leone, &c. vel minus nobiles, vt contingit in Talpis, & Piscibus, &c. in quibus genus non habet omnes suas operationes; ergo omnis differentia non est perfectior genere, cum quo à parte rei identificatur.

728 Resp. quod licet hæc differentia .s. rationale sit nobilior genere, cum quo realiter identificatur, quia eleuat illud ad perfectiorem operationem; tamen nõ solùm propter hoc, sed etiam, quia tribuit ei determinationem, & actualitatem. Vnde licet primum non fiat ab omnibus differentijs; benè tamen secundum, quod sufficit, vt omnis differentia sit perfectior genere, cum quo identificatur. Præterea dico, quod nulla differentia impedit genus, ne omnes suas operationes in specie per illam constituta exercere possit; sed tale impedimentum est per accidens, quatenus .s. anima in tali corpore non repetit organa requisita ad tales operationes.

Quæres tandem, an genus perfectiori modo prædicetur, quàm differentia?

Respondet Ariaga disput. 7. Log. sect. 1. subsectione 5. quod in modo prædicandi perfectius est genus differentia; quia genus prædicatur in quid, & per modum per se stantis, differentia verò per modum alteri adiacentis; perfectius autem est, per se stare, quam alteri adiacere.

SECTIO V.
De Proprio.

729 *Postquam de vniuersalibus essentialibus in præteritis sectionibus actum est, restat solum, vt de accidentalibus agamus;*

cum autem proprium sit magis affine essentiæ rei, quàm accidens, vtpote quia emanat ab essentia, ideò priùs de proprio, quàm de accidenti agimus, & ideò sit.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit proprium primò intentionaliter acceptum.

Aliqua de proprio primo intentionaliter accepto, seu de proprio, vt, proprium est, in hac, & in sequenti quæstione agemus, quia sub hac ratione est fundamentum quartæ vniuersalitatis, & cognitio fundamenti vniuersalitatum est valdè necessaria ad perfectam cognitionem illarum, cum à fundamētis sumatur radicaliter gradus differentialis in illis, vt supra tetigimus. pro quo

730 Sit prima conclusio. Propriū primò intentionaliter acceptum est id, quod necessariò consequitur ad aliquam naturam, & illi debetur accidentaliter conuertibiliter. Bonitas huius definitionis constat, quia in ipsa ita explicatur essentia definiti, vt illam ab alijs per talem definitionem distinctam clarè proponatur. Quod ex se, & ex infra dicendis constabit.

Ex hac definitione colligitur, quòd ad hoc, vt aliquid sit propriū tenetur reperiri semper, & solùm vbicumque reperitur essentia, à qua emanat; quia solùm illa prædicata dicunt ad conuertentiam, quæ, vbi vnum reperitur, etiam ibi solùm aliud inuenitur. Vndè, quia hoc non conuenit proprio accepto in tribus prioribus acceptionibus à Porphyrio adductis, sed solùm in quarta, hinc est, quòd solùm proprium acceptum in quarta acceptione dictū, verè, propriè, & simpliciter est proprium: alia verò tantùm secundum quid. Quod vt explicemus.

731 Notare debemus, quod Porphyrius quatuor acceptiones proprij hic adducit: proprium in prima acceptione dicit esse illud, quod soli vni speciei, non tamen omni indiuiduo eius, conuenit; v. g. esse Medicum dicitur proprium homini in hac prima acceptione. In secunda verò dicit esse illud, quod conuenit omni indiuiduo vnius speciei, sed non soli illi speciei, v. g. esse bipedē dicitur proprium homini in hac secunda acceptione. Deindè, in tertia dicit esse illud, quod conuenit vni tantum speciei, & omnibus indiuiduis eius; non tamen omni tempore, sed solùm certo; v. g. canescere dicitur proprium homini in hac tertia acceptione. Tandem in quarta dicit esse illud, quod conuenit soli vni speciei, & omni indiuiduo eius, & semper; v. g. esse risibilem dicitur proprium hominis in quarta acceptione. Vndè cum proprium in prima acceptione nō conueniat omni indiuiduo, non dicit ad conuertentiam cum natura illorum; & cum in secunda acceptione non conueniat soli vni speciei, non potest ad conuertentiam dici cum vna natura; & cum in tertia acceptione non conueniat omni tempore illis, quibus competit, non potest necessariò ab essentia illorum consequi; & cum in quarta acceptione conueniat vni tātum speciei, & omnibus indiuiduis illius, omni tempore, bene sequitur, proprium, acceptum in tribus prioribus acceptionibus à Porphyrio addu-

adductis, prout sic, nō esse vera propria, sed accidentia communia: in quarta verò acceptione verè proprium esse. Vndè proprium in illis tribus acceptionibus solùm secundum quid proprium vocatur.

732 Præterea ex dictis colligitur solutio illius dubij, quod ab omnibus hic proponitur .s. in qua acceptione proprij acceptum ex quatuor adductis à Porphyrio, proprium sit fundamentum, seu proprium subiectum quartæ vniuersalitatis; nam cum in quarta solùm est verè proprium, in quarta solùm est propriū subiectum quartæ vniuersalitatis. Quod sic probo; illud est proprium subiectum quartæ vniuersalitatis, quod à parte rei est in pluribus cum vnitate similitudinis accidentaliter necessariò: sed hoc solum conuenit proprio in quarta acceptione, & nō in tribus prioribus; ergo proprium acceptum in quarta acceptione, & non in tribus prioribus est fundamētum proprium quartæ vniuersalitatis. Maior patet ex definitione quarti vniuersalis infra adducenda .s. quod sit natura dimanans ab aliqua essentia vniuersalis accidentalis: minor verò probatur, quia quod habet necessariam connexionem cum principijs essentialibus alicuius, tenetur reperiri semper, & solùm vbi essentia, à qua emanat, reperitur, vt supra notauimus: sed proprium in tribus prioribus acceptionibus acceptum hoc non potest prout sic habere, benè tamen in quarta, vt supra ostendimus: ergo solùm proprium in quarta acceptione à parte rei est in pluribus cum vnitate similitudinis accidentaliter necessariò.

733 Circa secundum quæsitum tituli sit secunda conclusio. Proprium primò intentionaliter acceptum est duplex; vnum subalternum, seu genericū, & aliud infimum, seu differentiale. Primū est illud, quod emanat ab essentia alicuius rei ratione gradus generici illius, v.g. tactiuū hoc modo dicitur proprium animalis, secundum verò est illud, quod emanat ab essentia alicuius rei ratione gradus differentialis talis essentię, v.g. risibilitas hoc modo dicitur proprietas hominis, in quo nulla est difficultas, & ideò sit.

QVÆSTIO II.

An Deus possit separare proprietates à subiectis.

734 Haec quæstio metaphysica à Modernis iure optimo ad hunc locū translata, vt differentia propriorū subiectorū quartę, & quintæ vniuersalitatis percipi possit. Mouetur de potētia supernaturali Dei, seu absoluta; nam certum est, quod proprietates de potentia ordinaria non possunt à suis subiectis separari; quia aliàs nullum esset discrimen inter propositionē, in qua proprietas de suo subiecto prædicat, & illam in qua accidens commune de suo; sed quia certum est in omnium sententia, quòd illa, quæ realiter sunt idem à quacumque potentia realiter separari non possunt, cum hoc implicet contradictionem, quia tunc idē à seipso realiter differret; ideò vt præsens quæstio intelligatur, primo est inuestigandum quonam modo proprietates à suis subiectis distinguātur, vt cognita distinctione eorū facil-

facillimè possibilitatē separationis, vel inseparationis illorum percipere valeamus. In qua re licèt Scotistæ distinctionem realem rei à re inter omnem proprietatem, & suum subiectum negent, contenti sua distinctione sæpe à nobis refutata, formali .s. actuali ex natura rei: his tamen non obstantibus.

735 Sit prima conclusio. Plurimæ proprietates à suis subiectis distinguuntur realiter, vt sunt illæ, quę sunt proprietates substantiæ, & sunt destinatæ ad aliquem actum accidētalem, v. g. intellectus, & voluntas, & risibilitas in homine, & plurimæ non, ex quibus sunt proprietates entis, & potentiæ materiæ primæ ad formas substantiales. Probatur prima pars conclusionis. Arist. 9. metaph. textu 13. & lib. 12. text. 96. & 98. ait: *Actus, & potentia sunt in eodem genere*, seu prædicamento, sed actus plurimarum proprietatum substantiæ sunt accidentia, seu sunt in genere accidentis: ergo proprietates, quæ sunt potentiæ talium actuum, erunt quoque in genere accidentis; sed quæ sunt in genere accidentis realiter distinguuntur ab ijs, quæ sunt in genere substantiæ: ergo aliquæ proprietates realiter distinguuntur à suis subiectis. Prima minor patet, quia ridère, seu risus, qui est actus risibilitatis, quæ est proprietas hominis, est in prædicamento qualitatis.

736 Ad hanc probationē respondet Mastrius disp. 5. Logicæ quęst. 4. art. 1. quòd actus, & potentia sunt in eodem genere, vt sunt differentiæ diuisiuæ entis .s. pro potentia obiectiua, & pro actu entitatiuo; nō autē potentia, quæ est principium operandi, vt sunt propositæ in argumento in ordine ad suum actum.

Sed hanc interpretationem huius maximæ Arist. cū adhuc Pater Mastrius esset tantum in potentia obiectiua, optimè refellit Dominicus Soto hic cap. 2. dicens, istam glosam non esse ad mentem Arist. nam friuolum esset hanc maximam toties proferri, si in illo sensu illam proferret; nam quis vnquam dubitare potuit in hoc .s. quod res, quæ modo non est, & postea est sint in eodem genere; cum sit eadem res numero?

737 Probatur secundò: eadem pars conclusionis, & illam maximā Arist. in sensu adducto esse veram, risibilitas est potentia hominis immediata ad ridendum; sed potentiæ immediatæ substantiæ ad operandū, non sunt substantiæ: ergo risibilitas non est substantia: sed si risibilitas non est substantia, non potest, non esse qualitas, vt ex se patet; ergo cū actus ridendi, seu risus sit qualitas, actus, & potentia, quæ est principiū operandi sunt in eodem genere. Minor patet, quia implicat, quòd substantia creata sit immediatè operatiua, sed operatur medijs accidētibus, tamquam virtutibus operatiuis, vt ex professo tomo 1. introductionis ad Apicem verorum Philosophorū probabo, non ex doctrina Thomistarum, sed alia ex occulta philosophia.

Confirmatur; quia actus substantialis, & potentia ad illud recipiendū sunt in eodem genere; ergo actus accidentalis, & potentia ad illud erūt quoque in eodem genere.

738 Deindè secunda pars cōclusionis

sionis est etiam manifesta; quia vnũ verum,&c. non distinguuntur realiter ab ente; sed sunt passiones illius: ergo aliquæ passiones non distinguuntur realiter à suis subiectis. Maior patet; nam si vnum, verum, &c. realiter ab ente distinguerentur, non essent entia: sed absurdum est aliquid esse,& non esse ens; cum ens id, quod est, dicitur: ergo verum, vnum, &c. non distinguuntur realiter ab ente.

Contra primam partem nostræ conclusionis ex secunda hoc argumentum format Mastrius loco cit. passiones entis sunt idem cum ente: ergo similiter, & aliæ passiones cum suis subiectis. Consequentiam sic probat;sicut se habet passio entis ad ipsum ens,ita talis passio ad tale ens: nec vnquam poterit afferre sufficiẽs disparitas ait.

739 Certè tàm manifesta est disparitas, vt mirer, prædictum Doctorem,cum sit ex schola subtilium,illã nõ percipere: an in hoc argumento non assignatur sufficiens disparitas .s. sicut se habent inferiora entis, ad ens; ita inferiora talis entis ad tale ens: sed inferiora entis ita se habent ad ens, vt analogicè illud includant: ergo, & inferiora talis entis, v.g. homines,ita se habebũt ad illud,vt analogicè illud includant, dicẽdo, quod ens includitur in vltimis differentijs suorum inferiorum; & ideò analogicè illud includunt: at tale ens, v.g. homo non includitur in differentijs vltimis suorum inferiorum,nec simpliciter in vno, & secundum quid in alio, vt ens ad sua inferiora, & ideò analogicè illum non includunt,quis dubitare potest?

740 Ita similiter in argumento Mastrij sic responderi debet negando consequentiam; ad eius probationem assignanda est hæc disparitas .s. quod ens est transcendens; & ideò nihil mirum si eius proprietates realiter ab ipso non distinguantur,vt diximus in probatione secundæ partis conclusionis. At verò,quia talia entia,quorum proprietates realiter ab ipsis distingui diximus, non sunt transcendentia, nõ est necesse, quòd proprietates illorum ab ipsis realiter non distinguantur; quamuis proprietates entis cum ipso realiter identificentur, quam disparitatem sufficientem esse iudico; si autẽ alicui Scotistæ non placuerit, videantur quæ dicemus disputatione sequenti, vbi solutionem inuenitur illarum cauillationũ, quas præ ideo cõtra hanc disparitatem ab ipsis machinari. Et ne molestus sim, omitto alia argumenta contra conclusionẽ; si quis aliqua desiderat,legat Sotum, Sãchez,& Masium hìc; & ideo solũ

741 Dices contra conclusionem cum Zamoro Vtinensi in disputationibus Theologicis de Deo vno, & trino, tract. 3. quæst. 12. artic. 2. sect. 2. cap. 5. contrarium sentiente. Quæcumque ita se inuicem habent, vt à causa intrinseca, & necessaria ex mutua, naturaliq; eorum consecutione progrediente citra contradictionem inuicem separari nequeãt, neque vlla in eas essentialis contingat dependentia, illa sunt idem realiter: sed subiectum, & propria passio ita se habent;ergo realiter distinguuntur. Maior quo ad primam partem patet, quia subiectũ, & propria passio sunt ad inuicem insepa-

rabi-

rabilia: sed ista coitio inseparabilis proficiscitur à causa extrinseca; cū causa propria per se, & immediatè illius sit emanatio passionis, à principijs essentialibus subiecti, quæ causa est omninò intrinseca. Quo ad secundam verò est manifesta .s. quòd nulla ibi reperiatur depēdentia, quæ ad realem sufficiat distinctionem; nā essentialis dependentia in his dumtaxat occurrit, quæ propriam habēt naturam inuicem distinctam, & seiunctam: ergo cum propria passio propriam non habeat naturam à natura sui subiecti distinctam, sed eidē adhæreat, vt modus illius, illiusq; esse necessario consequatur, nulla inter ipsam passionem, & subiectum intercedere poterit essentialis dependentia.

742 Resp. transeat maior, & negatur minor: falsitas verò probationis primæ partis minoris ex dicendis in sequenti cōclusione patebit: probatio verò secundæ partis ex hoc constat, nihil verum continere; quia in ipsa petitur principium, prout absolutè ponitur; licèt prout ab illo refertur, quatenus ex superioribus supponit probatam talem doctrinā, est aliquo modo à tali vitio excusabilis: est tamen omninò falsa; quia proprietas realiter à subiecto pendet; cum subiectū sit terminus primarius, & passio secundarius actionis agentis; terminus verò secundarius alicuius actionis à primario realiter pendet, quatenus actio illa, à quo esse habet, ad illum pertingere non potest, nisi prius natura attingat terminum primarium, id autē, quod dicit .s. quod non habent propriam naturam distinctam, patet esse falsū ex probatione nostræ conclusionis, vndè fit.

743 Secunda conclusio. Proprietates, quæ realiter distinguuntur à suis subiectis, possunt per diuinam potentiam ab ipsis separari: non autem illæ, quæ realiter ab illis non distinguuntur. Probatur prima pars: illa possunt à Deo supernaturaliter separari, cuius separatio non implicat contradictionem: sed separatio proprietatis à suo subiecto, à quo realiter distinguitur, non implicat cōtradictionem; ergo proprietates, quæ realiter à suis subiectis distinguuntur, possunt per diuinam potētiam separari ab illis. Maior ex se constat; nam vt quidam Doctor rectè ait: multa potest Deus facere, quæ humana ratio nequit compræhendere *(reuerenter enim de Deo loquendum, augustè de eo sentiendum, nec in angustias augusta eius potentia est cogenda)* quæ licèt sint supra lumen rationis, tamen non sunt contra illud.

744 Minor verò probatur: si talis separatio implicaret cōtradictionem, vel hoc esset ex parte subiecti, vel ex parte proprietatis; sed neutro modo; ergo nullo. Probatur minor: in primis non ex parte subiecti; nam omne priùs realiter distinctum à posteriori, potest esse sine illo, saltem per potētiam Dei absolutam, vt ipse Scotus tenet, & ex se est manifestū; sed subiectum, de quo loquimur est prius natura, & realiter distinctum à proprietate; ergo non implicat contradictionem ex parte subiecti, vt supernaturaliter à suis proprietatibus, à quibus realiter distinguitur, separetur. Deindè neque ex parte proprietatis; quia si implicaret ex parte pro-

proprietatis; ideò esset, quia in definitione proprij dicitur, quod proprium conuenit essentiæ, à qua dimanat conuertibiliter; sed quod essentialiter alicui conuertibiliter cõuenit, repugnat semper illi non conuenire; ergo repugnat, quòd proprietas à suo subiecto separetur; quia tunc separata illi non conueniret; sed hoc non ponit implicantiam in separatione proprietatis à subiecto ex parte proprietatis; ergo non repugnat ex parte ꝓprietatis, quòd subiectum à proprietate, à qua realiter distĩguitur supernaturaliter separetur. Minor argumenti probatur; nam sensus illarum particularũ .s. conuenit cõuertibiliter est, quod proprium essentialiter conuertitur, cum essentia, cuius est proprium, & è contra; ex quo non sequitur, quòd semper actu proprietates teneantur in illo existere; sed solùm, quòd subiectum nõ possit concipi cum negatione proprietatis sine destructione essentiæ illius, quod est id, per quod fundamentum quartę vniuersalitatis à fundamẽto quintæ differt; nam subiectum fundamenti quartæ vniuersalitatis nõ benè cum negatione talis accidentis concipi valet salua manente eius essentia; nam si quis diceret. homo non est risibilis, destrueret essentiam hominis; nam sẽsus illius propositionis erit, homo non est radix risibilitatis, quod essentiam hominis destruit; cum hoc ei essentialiter conueniat; si autem aliquis dicat: Coruus non est niger, eius essentiam non destruet, vt ex se patet.

745 Sed ex hoc contra conclusionẽ hoc possumus formare argumentum: non possumus dicere, quòd homo non est risibilis salua manente essentia illius; ergo repugnat ex parte hominis, quod risibilitas ab ipso separetur; quia separata risibilitate ab homine esset verum dicere, quod homo non est risibilis.

Resp. negando consequentiam; quia separata risibilitate ab homine, tunc ista propositio, homo non est risibilis, esset falsa; nam sensus illius est, quòd homo non conuertitur cum risibilitate, quod, etiam separata risibilitate, seu non existente in homine est falsum; nam semper homo est radicaliter risibilis, & cũ opposito risibilitatis concipi non potest salua manente eius essentia.

Sed instat Mastrius loco cit. connexio necessaria prædicati cum subiecto oritur ex necessaria inhærentia illius cum isto; ergo si risibilitas necessariò non inest homini, neque cum illo necessariò connectitur.

746 *Resp.* negando antecedens; nam necessaria connexio subiecti cũ proprietate oritur ex hoc, quod essentia subiecti est essentialiter radix suarum proprietatum, ex quo patet solutio alterius argumẽti eiusdem Mastrij loco citato; quod efficax vocat contra Thomistas, quod sic se habet; accidens proprium per hoc distinguitur ab accidente communi, quod nec mente potest à suo subiecto diuidi, & separari: quomodo possunt ipsi asserere, quod etiam à parte rei sit separabile?

Ex dictis igitur patet solutio prædicti argumẽti; nam licet verum sit, quod proprium primo intentionaliter acceptum per hoc ab accidenti prædicabili primò intentionaliter

accepto

accepto differat .s. quod proprium per secundam operationem mentis non potest à suo subiecto separari salua manente essentia illius; è contra verò accidẽs prædicabile; tamen ex hoc non sequitur, quod propriũ supernaturaliter non sit à parte rei à suo subiecto separabile, vt supra explicauimus.

747 Imò potius contra Scotistas ex hoc potest illud formari argumẽtum. Si propter aliquam rationem proprium à suo subiecto non esset à parte rei supernaturaliter separabile; ideò esset; quia hæc est differentia essentialis eius ab accidenti prædicabili inseparabili; sed hoc est falsum; cum essentialiter differant per differentiam assignatam, & in hoc omnino non disconueniant, vt ex dictis cõstat; ergo ex hoc, quòd proprium per secundam operationem mentis non possit à suo subiecto separari, benè tamen accidens prædicabile à suo, sequitur, quòd aliquod proprium à parte rei diuinitus est à suo subiecto separabile.

Secunda pars conclusionis est ex se manifesta; cum idem à seipso separatum esse repugnet, vt sæpè dictũ est, & ex se constat; quia hoc implicat cõtradictionem; nam idem esset, & non esset separatum, quæ autem dicunt contradictionem, nõ cadunt sub potentiam absolutam Dei; nam licèt quidquid habet rationem entis comprehẽdatur sub possibilibus potentiæ Dei absolutæ; tamen quod opponitur rationi entis non comprehenditur sub possibilibus potentiæ Dei absolutæ, nihil autem opponitur rationi entis nisi non ens, quod inuoluit esse, & non esse simul; ergo ea omnia, & sola, in quibus est contradictio sub potentiam Dei absolutam minimè cadunt, & consequenter proprietates; quæ sunt idem cum suis subiectis ab illis etiam supernaturaliter separari non possunt.

748 Contra primam partem secundæ conclusionis dices hæc propositio: homo est risibilis, est propositio æternæ veritatis, quia prædicatum illius habet necessariam connexionem cum subiecto; sed non esset æternæ veritatis si posset separari à Deo risibilitas ab homine, quia separata talis propositio non esset amplius vera; nam tunc homo nõ esset risibilis, cum non haberet risibilitatem à qua risibilis denominatur; ergo nullæ proprietates à suis subiectis etiam diuinitus separari possunt.

749 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, ad eius probationem patet ex supra dictis, vbi diximus, quòd sensus huius propositionis, homo est risibilis, nõ est quod risibilitas existat in homine; sed quòd homo connectitur cum risibilitate, & in hoc sensu talis propositio est æternæ veritatis. Pro quo videri potest disput. 6. sect. 2. vbi de distinctione quantitatis à substantia agemus.

Ex quib⁹ omnibus infertur, quod licèt per potentiam Dei absolutam proprietas à suo subiecto separari possit, v. g. risibilitas ab homine, tamen homo erit semper illius naturæ, vt ad ipsum nata sit sequi risibilitas illa; imò vt benè notat Ripa de ente, & essentia ad cap. 7. quæst. 5. ammoto illo miraculo, & cessante illa diuinæ potentiæ ad hoc applicatione absque vlla mediatione; sed natu-

naturali omnino sequela inhærebit ipsi risibilitas.

QVÆSTIO VLTIMA.
Quid, & quotuplex sit proprium quartum vniuersale, & quid terminus quartæ vniuersalitatis.

750 PRoprium est natura necessariò connexa cum essentia, vniuersalis accidentalis: proprieitas verò est vniuersalitas accidentalis naturæ necessariò connexæ cum essentia; vel proprium est natura necessariò connexa cum essentia prædicabilis accidentalis de pluribus: pprieitas verò est prędicabilitas accidentalis de pluribus naturæ necessariò connexæ cum essentia. Duæ primæ definitiones sunt essentiales: posteriores verò descriptiuæ, iuxta dicta disputatione præterita.

Diuiditur proprium in subalternum, seu genericum, & in specificū, infimum, seu differentialem. Primum est illud, quòd de pluribus specie different bus prædicat accidentaliter necessariò, v. g. tactiuum, visiuum, &c. Secundū verò est illud, quod prædicat de pluribus numero differentibus accidentaliter necessariò, v. g. risibile, admiratiuum, &c. Quę proprieitates eo modo differūt inter se, quo modo differentialitas infima, & subalterna; propter eamdē rationem proportione seruata, qua sectione præterita quæst. 2. distingui diximus prędictas differentialitates.

751 Sed quęres quonā modo prędicat proprium de superioribus essentiæ, à qua emanat, v. g. risibile de animali?

Resp. quod accidentaliter, & consequenter hęc, & similes prędicationes .s. animal est risibile, sunt quinti prædicabilis; nam licet risibilitas necessariam habeat connexionem cū rationali: cum animali verò secundum se considerato habet solum contingentem.

Circa secundum quæsitum notādum est, quòd proprium ad tria potest comparari .s. ad hoc, & ad illud proprium, v. g. risibile ad hoc, & ad illud risibile in ordine ad quæ speciеitatem acquirit; cum comparetur ad illa, vt tota essentia illorum: & ad essentiam, à qua emanat, v. g. risibilitas ad hominem, & tandem ad inferiora illius essentiæ, à qua emanat, v.g. risibilitas ad Petrum, & Paulum, de quibus duobus vltimis est difficultas, in ordine ad quæ ex illis proprium quartam vniuersalitatem habeat, ad cuius solutionem.

752 Sit prima conclusio. Propriū ab actu comparatiuo, à quo ad essētiam, à qua emanat, comparatur, nō habet proprieitatem, seu quartā vniuersalitatem. Probatur. Proprium non comparatur ad essentiam, à qua emanat, vt superiùs ad inferiora; sed actus comparatiuus, à quo resultat aliqua vniuersalitas in aliqua natura, est tale, vt per ipsum natura aliqua, vt superior ad plura, vt inferiora cōparatur: ergo ab actu comparatiuo à quo proprium ad essentiam, à qua emanat comparatur, nō habet quartam vniuersalitatem. Maior patet, quia comparatur ad prædictam essentiam, vt æqualis cum ęquali, cum ad conuertentiam cum ipsa dicat.

Probatur tandem. Proprium, & commune formaliter sumpta opponuntur: sed proprium est propriū respe-

respectu speciei, à qua emanat: ergo respectu illius non potest esse vniuersale; cum vniuersale sit quid cōmune; & ideò proprium respectu essentiæ, à qua emanat, est vniuersale solùm materialiter; idest res, quæ comparatur per talem comparationem, per aliam comparationem ad alium terminum potest habere vniuersalitatem. Quod benè indicat noster Lalemandet hìc in secunda probatione conclusionis.

753 Dices contra. Propriū comparatur ad speciē, a qua emanat, vt æquale, ad æqualem: sed species est vniuersalis: ergo & proprium per comparationem ad talem speciem erit quoque vniuersale.

Resp. quòd verum est, quòd species est vniuersalis; non tamen prout terminat habitudinem proprij ad ipsam, cum per talem actum, per quē proprium ad ipsam comparatur nō respiciat inferiora; & ideò quamuis proprium ad illa comparetur, vt æquale ad æqualia; per talem comparationem non habebit aliquam vniuersalitatem.

Dices tandem. Hæc prædicatio, homo est risibilis, est alicuius prædicabilis: sed omne prædicabile est vniuersale, cum prædicabilitas sit passio vniuersalitatis: ergo risibile in ordine ad hominem est vniuersale, cum autem risibile in ordine ad hominem sit proprium, erit quoque in ordine ad ipsum quartum vniuersale.

Resp. concedendo maiorem, cū prædicatio sit actus prædicabilitatis; & distinguo minorem; omne prædicabile de pluribus inferioribus est vniuersale in ordine ad illa concedo; quod autē est tantùm prędicabile de vno æquali, nego, at ppriū respectu speciei, à qua emanat est prædicabile de vno æquali tantùm, quæ prędicabilitas non est passio vniuersalitatis, vt ex supra dictis satis constat.

754 Vltima conclusio. Propriū acquirit quartā vniuersalitatem in ordine ad inferiora illius essentiæ, à qua emanat. Hæc conclusio ex dictis patet; nam cum proprium non habeat quartam vniuersalitatem in ordine ad inferiora eiusdem nominis cum ipso, neque in ordine ad essentiam, à qua emanat, consequens est, vt illam habeat in ordine ad inferiora essentiæ, à qua emanat. Et breuiter probatur. Proprium in ordine ad illa quartam vniuersalitatem habet; in ordine ad quæ, vt accidentaliter superius, habēs tamen necessariam connexionem cum essentia illorum, comparatur: sed hoc tantum habet in ordine ad inferiora illius essentiæ, à qua emanat; ergo proprium solum in ordine ad inferiora illius essentiæ; à qua emanat, habet quartam vniuersalitatem; & consequenter sola inferiora essentiæ, à qua proprietas emanat, sunt terminus proprietatis, seu quartæ vniuersalitatis.

Ex quibus colligitur, quod proprium respectu inferiorum illius essentiæ, à qua emanat, formaliter non est proprium, sed solùm materialiter; cum ad illa comparetur, vt eis commune.

SECTIO VLTIMA,
De Accidenti.

755 *Cum accidẽs prædicabile, de quo modò agimus sit omninò extra essentiam illorũ, de quibus prædicatur, & merè contingenter illis tribuatur; meritò Doctores ei vltimum locum dant, & nos cum illis hoc idem facimus breuiter explicando essentiã illius, tàm primò intentionaliter accepti, quàm secundò intentionaliter considerati, pro quo sit.*

QVÆSTIO I.

Quid sit accidens primò intentionaliter acceptum, & quotuplex.

Accidens aliud esse prædicamẽtale, & aliud prædicabile nullus ambigere potest; cum aliqua sint accidentia prædicabilia, quæ tamen non sunt prædicamentalia, vtpotè entitatiuè substantia, vt infra constabit. Vnde relicta explicatione accidentis prædicamentalis ad suum locum, venimus ad prædicabile explicandum.

Est igitur accidens prędicabile primo intẽtionaliter acceptũ: id, quod est extra essentiam illius, cui tribuitur. Quod diuiditur in propriũ, quod iuxta dicta sectione præterita est illud, quod, licet non sit de essentia illius, cui conuenit; taliter tamen cũ illa connectitur, vt nõ possit res, cui conuenit, cum negatione illius, intelligi; salua manente eius essentia; quod est fundamentum quartæ vniuersalitatis; vt loco citato latè diximus: & in commune, quod est illud, quod ita est extra essentiam rei, cui conuenit, vt valeat affirmari, & negari de illa, salua manente eius essentia; quod est fundamentum quintæ vniuersalitatis.

756 Quod autẽ accidens prædicabile cõmune, seu fundamentũ quintæ vniuersalitatis ita sit definiendum cõstat; tum quia sic à Porphyrio fuit definitum, quando dixit, quod accidens est, *quod adest, & abest sine subiecti corruptione*, iuxta interpretationem D. Thomæ de spiritualibus creaturis, cap. vlt. ad secundum; tum etiã, quia in ipsa explicatur id, quod ei commune est cum proprio, & id, quod sibi proprium est, per quod à proprio differt, iuxta dicta sectione præterita.

Ex quibus primo colligitur, quod diuisio illa accidentis communis inseparabile à subiectis naturaliter, & in inseparabile ab illis naturaliter, sit diuisio subiecti per accidentia; nam vt ex dictis constat accidit accidenti communi prædicabili, quòd realiter sit naturaliter separabile, vel inseparabile ab illis, quibus conuenit.

Colligitur secundò, quod dentur aliqua, quæ entitatiuè sunt substantia, quæ tamen in ordine ad aliqua sunt accidentia prædicabilia, vt patet de rationali respectu animalis, &c. nam istæ, & similes prædicationes, animal est rationale, verè sunt quinti prædicabilis.

757 Dices contra. Prędicatũ quintæ prædicabilitatis debet posse inhęrere subiecto, de quo prædicat; sed hoc non conuenit ei, quod entitatiuè est substantia: ergo quod est entitatiuè substantia non potest esse fundamentũ vniuersalitatis quintæ.

Resp. negando maiorem: nam de ratione accidentis prædicabilis solũ est

est respicere subiectum prædicationis, per quod à prædicamentali differt; licèt sæpè eadem res sit sub diuersa ratione accidens predicabile, & prędicamentale. Vndè ad minorem dicimus, quòd licèt id, quod est entitatiuè substantia, nō possit inhærere in aliquo; quia tamen aliquæ substantiæ reperiuntur coniunctæ, quarum vna est de essentia alterius, & ideò potest vna affirmari, & negari de alia, salua manente eius essentia; ideò accidentia prædicabilia respectu illorū sunt, vt patet in exemplo supra adducto.

758 Contra definitionē accidentis prędicabilis communis dices. Mors est accidens commune hominis: sed nō potest affirmari, & negari de homine, salua manente eius essentia: ergo malè à nobis fuit definitum tale accidens. Maior patet; quia hæc est prædicatio quinti prædicabilis, homo est mortuus: minor verò probatur; quia viuens est prædicatum essentiale hominis: sed quādo mors verè affirmatur de homine, destruitur tale prædicatum: ergo mors nō potest affirmari, & negari de homine, salua manente eius essentia.

Resp. negando minorem, ad eius probationem distinguimus maiorē: viuens est prædicatum essentiale hominis, vt dicit actum, nego; vt dicit aptitudinem, concedo, ad minorem dicimus, quòd mors verè de homine affirmari non valet, nisi destructo prædicato viuentis, prout dicit actū; cum illi opponatur; benè verò saluo prędicato viuenti, prout dicit aptitudinem; & tandem negatur consequentia, quia per destructionem prędicati viuentis, prout dicit actum in homine, non patitur detrimentū essentiæ ipsius: sed incolumis saluatur; quia tale prædicatum est accidens prędicabile respectu hominis.

759 Tandē colligitur, quòd quodquis prædicatum conueniens alicui rei contingenter, siuè ens reale, siuè rationis, siuè substantia, siuè accidens sit respectu illius, accidens prędicabile cōmune dicitur; nam sicut ista est prædicatio quinti prædicabilis, homo est albus; ita & ista homo est species: & sicut ista, homo est niger, ita ista, animal est rationale.

QVAESTIO VLTIMA.
Quid sit accidens secundò intentionaliter acceptum, & quid terminus quintæ vniuersalitatis.

Circa primum quæsitum. Sit prima conclusio. Accidens quintum vniuersale sic debet definiri; natura contingenter connexa cum essentia vniuersalis accidentalis. Accidentaleitas est vniuersalitas accidentalis naturæ contingenter connexæ cum essentia: vel accidens est natura contingenter connexa cum essentia, prædicabilis de pluribus accidentaliter: accidētaleitas verò est prædicabilitas accidentalis de pluribus naturæ contingenter connexæ cum essentia. Quarum duæ priores sunt essentiales: duæ verò posteriores descriptiuæ, vt constat ex dictis sectione prima, & quæst. præterita.

760 Circa secundū quæsitū. Sit secunda conclusio. Terminus quintæ vniuersalitatis sunt illa, quibus tale accidens ita conuenit, vt possit affirmari, & negari de illis, salua manente eorum essentia. Hæc conclusio est

est manifesta, quia accidentia in abstracto considerata non sunt fundamenta huius quintæ vniuersalitatis, cum pro vt sic ad nullum possint comparari, cui conueniant, nisi ad indiuidua eiusdem nominis, vt albedo ad hanc, & illam albedinem, ex qua comparatione nō quintam, sed secundam vniuersalitatem habent; cum ad illa comparentur, vt tota essentia illorum; vel ad suas species, vt color ad albedinem, & nigredinem, ex qua comparatione non quintam, sed primam vniuersalitatem habēt, cum ad illa comparentur, vt pars essentiæ perfectibilis eorum. Vndè solūm in concreto considerata fundabunt hanc quintam vniuersalitatem, & sic non in ordine ad inferiora eiusdem nominis, vt album in ordine ad hoc, & illud album; quia potiùs speciei tatem à tali comparatione, quàm accidētaleitatem propter supra dicta habet: ergo solum habet illam in ordine ad illa, quibus ita cōuenit, vt valeat affirmari, & negari de eis, salua manente eorum essentia, v.g. album in ordine ad niuem, & papyrum. Consequentia patet, quia ad nullum aliud potest comparari, cui conueniat.

Dices contra. Si accidens esset vniuersale in ordine ad plura subiecta, sequeretur non repugnare vniuersale à parte rei: sed hoc est falsum; ergo & id, ex quo hoc sequitur. Sequela patet; quia non repugnat, quòd Deus ponat idem accidens in pluribus subiectis: sed si accidens fieret vniuersale in ordine ad plura subiecta, tunc esset vniuersale à parte rei: ergo si accidens esset vniuersale in ordine ad plura subiecta, non repugnaret vniuersale formale à parte rei.

Resp. negando sequelam: ad eius probationē dicimus, quod si Deus, v.g. poneret vnam albedinem in pluribus subiectis; tunc licèt non esset nisi vnica albedo, essent tamen plura alba; quia concreta accidentalia multiplicantur ad multiplicationem subiectorum, vt notat D. Tho. 3. par. quæst. 3. art. 7. ad secundum; & cum albedo non sit vniuersalis in ordine ad subiecta, sed in ordine ad inferiora eiusdē nominis cum ipsa; & cum in tali casu, non esset vna albedo in multis albedinibus à parte rei; hinc est, quod non sequeretur sequela posita in argumento. Vndè cum album, v.g. sit id, quod in ordine ad subiecta quintam vniuersalitatem habet; consequens est, quod, cum in casu posito in argumento plura essent alba, vt ex possibilitate talis casus, non sequatur possibilitatem vniuersalis formalis à parte rei.

DISPVTATIO QVINTA,

In qua breuiter soluentur precipuæ questiones, quæ exagitantur à modernis in Logica de antepraedicamentis.

Meritò DD. vnà cum Aristotele antequam ad singula prædicamenta explicanda accedunt, agunt de aliquibus rebus, ex quarum notitia facilè dignoscitur, quæ in prędicamentis sunt collocanda: quæ verò ab eis reijcienda (quæ ideò ante prędicamenta dici solent) vt facilè illa ordinare valeant. Nos etiam cum illis more solito per quęstiones hoc breuiter in hac disputatione prestabimus. Pro quo sit.

SECTIO I.

De Æquiuocis, Vniuocis, Denominatiuis, & Analogis.

762 *Cùm precipua sit conditio eorũ, quæ in prædicamentis collocantur, vt sint vniuoca (vt infra dicemus) meritò quæ vniuoca sunt, & quæ non: sed eis aliquo modo similia in hac prima sectione huius disputationis explicamus; & ideò sit*

QVÆSTIO I.

Quæ sint Aequiuoca.

NOster Oliua in Gemmea analoga par. 1. dub. 1. latè & doctè contendit cum quodam Iuniore ab ipso non alio nomine expresso, negante dari æquiuoca, attamen quia est res de se satis manifesta, & optimè ab illo ibidem demonstratur, relicta quæstione, an est, ad quæstionem, quid est, accedimus; & ideò

763 Notandũ est, quòd licet ęquiuocatio sit ex secũdis intentionibus immediatè in vocibus fundatis, quia tamen voces talem secundam intẽtionem fundare non valent, materialiter; sed formaliter, ratione scilicet significationis; ideò quãdo quęrimus, quid sint æquiuoca, non quęrimus de æquiuocis æquiuocantibus, scilicet de vocibus ęquiuocis, quas in introductione definiuimus; sed de æquiuocis æquiuocatis, scilicet de rebus per aliquod æquiuocũ æquiuocans significatis; & de ijs non quomodocunque; sed solùm quatenus mediante aliqua voce æquiuoca fundant secundam intentionem æquiuocationis; ideò definitũ, quod definire intendimus, est secunda intentio ęquiuocationis in cóncreto, quatenus scilicet res per vocẽ ęquiuocam significatas denominat. Quæ æquiuoca sic definiuntur. Aequiuoca ea denominantur, quæ prout sunt omninò diuersa per vnam omninò vocem significantur: v. g. canis terrestris, marinus, & cęlestis pro vt significantur hac voce canis, &c.

764 Et nota, quòd notanter diximus per vnam vocem, & non per vnum nomen; quia non solùm ea, quæ prout omninò diuersa per vnũ nomen significãtur, fundant secundam intentionem æquiuocationis, sed etiam illa, quæ prout omninò diuersa significantur per aliquã vocẽ, quæ nõ est nomen; vt patet in actionibus legendi, & legandi, prout hac voce, lego, significãtur. Quam vocẽ dixi-

diximus debere esse omninò vnam; quia si non est vna secundùm prolationem alicuius syllabæ, licèt sit vna in litteris, & syllabis, non potest fundare æquiuocationem. Demum diximus prout sunt omninò diuersa, quia licèt aliqua æquiuocata sint idē in aliqua ratione, vt patet de cane terrestri, & marino in ratione animalis, tamen prout sic non fundant secundam intentionem æquiuocationis, sed prout sunt omninò diuersa, & per vnam omninò vocem significantur.

Dices contrà, quidquid definitur debet esse species, vt habetur ex Aristotele Oct. metaph. text. 9. ergo quid vniuocum; & consequenter æquiuoca definiri non possunt.

Respondetur, distinguendo vltimum consequens: æquiuoca non possunt definiri primò intentionaliter accepta concedo: secundò incundò intentionaliter nego; nam hoc modo sunt vniuoca; quia æquiuocatio est quædam species secundæ intentionis, quæ æqualiter participatur ab his, & illis æquiuocis.

765 Vrges: ergo non definiuntur equiuoca vt sic, sed quatenus induūt rationem vniuocorum.

Respondetur, distinguēdo sequelam; nam si, ly, quantum reduplicat rationem definitam negāda est; quia hic re vera definiuntur æquiuoca pro secunda intentione, in qua accidentaliter vniuocātur, & eorum natura explicatur, veluti in esse signato; si reduplicat conditionem definiti, concedenda est; quia conditio rei definibilis est, vt bene dicitur in argumento, quod sit quid vniuocū vel essentialiter, vel accidentaliter.

Aliqua dubia circa equiuoca hic proponuntur à Doctoribus, vt eorū natura vndique explicata maneat, quod nos quoque faciemus proponendo præcipua, reliqua minoris momenti omittendo; omitto igitur conditiones equiuocorum à nostro Lalemandet hic propositas, quia ex definitione equiuocorū facile quis illas colligere potest; omitto etiam alia similia. Et ideò

766 Queres primò, quenam sit radix equiuocorum? Resp. quod est finita nostra sapientia, & propè infinita multitudo rerum creatarum, cùm munus sit sapientis imponere rebus nomina, & vsquemodò non fuerit aliquis homo ita sapiens, qui sola omnia astra proprijs nominibus vocare sciuerit; eo quia hoc soli Creatori tribui soleat canente Profeta: *Qui fecit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: Quantò minùs omnibus rebus creatis propria nomina tribui potest aliquis homo sapiens? vnde Aristot. 1. Elen. cap. 3. ait. *Necesse est vnum multa significare ob multitudinem rerum, & vocum paucitatem*.

Queres secundò, an nomen equiuocum absolutè loquendo sit dicēdum vnum, vel plura nomina? Resp. quod absolutè est dicendum vnum nomen: quod ex definitione equiuocorum Aristotelis colligitur; quia si nomen est commune, necesse est vt sit vnum; nam si non esset vnum, & idem nomen, nō esset commune.

767 Dices, multiplicata forma multiplicantur composita; sed forma nominis est significatio: ergo cùm nomen equiuocū habeat plures significationes, non erit vnum,

sed plura nomina.

Respondetur, quod ad multiplicationem concreti substantialis non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur etiam multiplicatio subiectorum; nam quamuis homo vestitus alia induatur veste, tamen propter hoc non dicitur plura vestita, sed vnum: ita similiter in præsenti.

Sed contra est, quòd propositio æquiuoca; illa scilicet, quæ constat aliquo termino æquiuoco, dicitur propositio plures; ergo nomen æquiuocum non est vnum.

Resp. quod propositio æquiuoca dicitur plures mentaliter; quia non subordinatur vni propositioni in mente: & non vocaliter, quia in voce vnica est. Quam responsionem Ioannes de S. Thoma hìc deducit optimè ex D. Thoma: Eum consulite.

768 Quæres tertiò, an in mente, seu in conceptu reperiri possit æquiuocatio; sicut in voce? Resp. quòd Mastrius in Logica disp. 2. qu. 4. art. v. respondet, quòd est ferè communis sententia, quòd licet in conceptu non vltimato, qui est conceptus ipsius vocis significatiuæ, possit contingere aliquo modo æquiuocatio: tamen in conceptu vltimo, qui est conceptus rei significatæ per vocē, contingere non potest. Comptonus verò disp. 29. sect. 1. absolutè dicit, in nostro intellectu in via posse dari æquiuocationem, & reddit rationem; quia sicut illa vox est æquiuoca, quæ plura vt plura significat; ita cōceptus æquiuocus erit ille, qui plura vt plura repræsentat; cùm ergo nihil vetet quominus vnus in nobis detur conceptus, qui plura vt plura repræsētet; nihil etiam impedit quominus in mente nostra pro hoc statu æquiuocatio dari possit.

Ego verò dico contra Mastrium, quod vsquemodo non inueni aliquem auctorem, qui dicat, quòd in conceptu non vltimato possit dari æquiuocatio, nec Tatar. quem ipse citat loco à se citato, de hoc verbum aliquod facit; & certè falsissimum est, in tali conceptu posse dari æquiuocationem; nam vt detur aliquo modo in conceptu non vltimato æquiuocatio, debet conceptus ille plures voces, vt plures repræsentare, quod est impossibile; eodem enim modo se habet in repræsentando voces conceptus non vltimatus, ac vltimatus in repræsentando res per voces significatas: vt ex statim dicendis constabit.

769 Deinde dico, quòd benè Mastrius æquiuocationem in conceptu vltimato negat, & malè illam concedit Comptonus; ratio est, quia ad hoc vt in tali conceptu detur æquiuocatio, debent plura in quantum plura repræsentari; sed nullus talis conceptus potest hoc præstare; nam vel hoc præstaret per plures species, vel per vnam, non per plures, quia intellectus non potest simul actuari pluribus speciebus, sicut vnum corpus non potest simul actuari diuersis figuris; vna enim species totaliter perficit intellectum actu. Deinde neque per vnam; nam quælibet species expressa est naturalis imago rei cognitæ; & imago naturalis non potest esse vna, si res, cuius est imago non est aliquo modo vna; quia vnitas eius in ratione repræsentationis, & similitudinis sumitur ex aliqua

vnitate

vnitate rei repręsentatæ; ergo in conceptu vltimato non poteſt dari æquiuocatio.

Ad rationem Comptoni dicimus, quòd non eſt eadem ratio de voce, & de conceptu, quia vox non ſignificat naturaliter, ſed ex impoſitione, vt probauimus in introductione lib. 1. ſect. 5. & ideò ei non repugnant plures ſignificationes. Conceptus autem cùm naturaliter res repręſẽtet, repugnant ei plures repręſentationes, ſeu plura vt plura repręſentare. Et nota, quòd ethimologia huius vocis æquiuoca, prout ab ipſo proponitur loco citato, non parùm destruit eius ſententiam. Dicit enim, quòd æquiuoca ſic dicuntur, quaſi ęquè vocata, ſeu quaſi ęquè eãdem vocem, & aliud nihil participantia. De quo dicta ſint ſatis.

770 Quæres tandem, quomodo ęquiuocum nomen contineat omnia ſua ſignificata, an disiunctiuè, vel copulatiuè? Reſp. cùm noſtro Lalem. hìc, quod continet ea copulatiuè; videte ipſum, quia de hoc latè agit.

QVÆSTIO II.
Quid ſint vniuoca.

Cvm vniuoca omninò ab ęquiuocis diſtinguantur, aſſignata definitione ęquiuocorum, facilè eſt definitionem vniuocorum proponere: Vniuoca enim ea denominantur, quæ prout ſunt omninò idem, per vnam omninò vocem ſignificãtur; v. g. Petrus, & Paulus in ratione hominis vniuocantur; quia in illa sũt omninò idem, & prout ſic, vna omninò voce, homo, ſignificantur. Pro perfecta intelligentia huius definitionis, vide quæ diximus quæſt. præterita, circa definitionem ęquiuocorum. Ad maiorem tamen intelligentiam vniuocorum aliqua dubia hìc examinabimus; & ideò.

771 Quæres primò, an ad vniuocationem ſufficiat vnitas conceptus formalis, mediante quo omnia vniuocata cõcipiantur: num potiùs requiratur, quòd terminus talis conceptus importet aliquod commune pluribus?

Reſp. quod licèt Nominales teneant, quòd ad vniuocationem ſufficiat ſola vnitas conceptus formalis, quo plura veluti ſimilia concipiuntur; tamen his non obſtantibus, cum Realibus tenendum eſt: quòd præter vnitatem conceptus formalis requiritur vnitas conceptus obiectiui, id eſt vox vniuoca non ſignificat immediatè vniuocata, ſed rationem eis communem, in qua vniuocantur. Quod patet, quia vniuocata vt talia habent vnam proximam definitionem communem; vt patet ex definitione adducta, quæ eſt idem cum Ariſtotelica, iuxta communem interpretationem; ſed definitio communis vniuocatorum non explicat conceptum formalem illorum, ſed obiectiuum; ergo vniuocata, non ſolùm habent conceptum formalẽ communem, ſed etiam obiectiuum. De quo latiùs alibi Deo dante.

772 Quęres ſecundò, an conceptus obiectiuus vniuocus debeat neceſſariò perfectè pręſcindere, tùm à ſuis inferioribus, tùm à differentijs contrahentibus, ita vt in eo rationes inferiorum, vel contrahentium nullo modo inuoluantur, nec explicitè, neque

neque implicitè. Resp. quod licet Auersa q. 15. de vocib. sect. 1. negatiuam sẽtentiã tenere videatur; tamen cũ cõi affirmatiua est tenẽda. Cuius ratio est, quia vniuocata perfectè cõueniunt, & assimilantur in illo: ergo excludere debet rationes peculiares suorũ inferiorũ, & differẽtias cõtrahentes illũ; quia si illas aliquo modo includeret nõ esset tantùm ratio assimilandi, sed etiam distinguendi. Accidit, quod, vt diximus disp. preterita, genus nullo modo actu continet species, & differentias, nec explicitè, neque implicitè, sed tantùm in potentia: ergo præscindit perfectè ab eis.

773 Quæres tandem, an oporteat rationem significatam per nomen vniuocum essentialiter conuenire vniuocatis?

Resp. quod non: nam album, v. g. est vniuocum respectu niuis, & papyri; cùm sit quintum predicabile in ordine ad illa, & tamen eius ratio accidentaliter illis tantum competit, vt ex se patet. Prætereà constat ex definitione vniuocorum tradita merè contingenter illis conuenire, quod ratio significata per tale nomen essentialiter, vel accidentaliter conueniat vniuocatis. Quod fusè probat noster Lalem. hìc contra Ruuium.

QVÆSTIO III.
Quid sit Denominatiuum.

DEnominatiuum denominatur illud, quod per vnam vocem significatur, & includit aliquod suppositum diuersæ naturæ à forma, à qua in tali esse constituitur, & ab ipsa forma in solo modo significandi differt: v. g. Grammaticus dicitur denominatiuũ, quatenus includit suppositum diuersæ naturæ à grammatica, scilicet aliquem hominem, & à grammatica solùm in modo significandi differt.

774 Ex hac definitione patet solutio aliquorum dubiorum, quæ hic à DD. mouentur; nam primò quærunt, an concreta substantialia, v. g. homo, sint denominatiua. Ad quod satis patet ex definitione tradita; nã cùm homo non includit suppositũ diuersæ nature ab humanitate, à qua cõstituitur in esse hominis, licet homo in modo significandi ab humanitate differat, non est denominatiuum, vtpotè quia ei definitio denominatiuorum non conuenit.

Deinde quærunt secundò, an forma constituens denominatiuum in esse talis, sit semper entitatiuè accidens? Ad quod respondeo, quod non est semper entitatiuè accidens, sed aliquando accidens, vt in grammatico, albo, &c. Et aliquando entitatiuè substantia dummodo adueniet supposito diuersæ naturæ ab ipsa, v. g. deauratum, &c. Quod etiam ex definitione supra tradita patet.

775 Tertio quærunt, an concreta ex subiecto, & forma extrinseca sint denominatiua? v. g. esse visum, quod constat ex subiecto, v. g. ex pariete, & ex visione, non existente in pariete, sed in oculo. Ad quod respondeo affirmatiuè, quia definitio tradita eis conuenit; & non minus hæc predicatio est denominatiua, paries est visus, quàm hæc; paries est albus.

Quarto querunt, an denominatiua distinguãtur ab vniuocis, & equiuocis?

Resp.

Resp. quod in primis certum est, ab æquiuocis distingui, vt ex se patet, & nullus dubitat: & etiam ab vniuocis essentialibus, quia ista vel sumuntur in cõcreto, vel in abstracto. Si sumuntur in concreto sic sunt concreta substantialia, quæ vt supra dictum est, non sunt denominatiua: si sumuntur in abstracto, cùm nullũ abstractum sit denominatiuum, sed tantum aliquod est denominans, necessariò à denominatiuis debet distingui.

776 Deinde dicimus, quod vniuoca accidentalia, & denominatiua se habent sicut species subiecibilis, & prædicabilis; & ideò sicut prædictæ species formaliter differunt essẽtialiter; cùm constituantur in esse tali, per secundas intentiones essentialiter distinctas: ita vniuoca, & denominatiua formaliter differunt essentialiter; cùm cõstituantur in esse tali, per secundas intentiones essentialiter diuersas: nam album v.g. habet secundam intentionem vniuocationis, quatenus cognoscitur in ordine ad subiecta, in quibus inest; & secundam intentionem denominationis, quando consideratur in ordine ad formam in abstracto, à qua in esse albi constituitur; & sicut prædictæ species materialiter coincidunt, quatenus vna, & eadem res diuersimodè considerata vtramque secundam intentionem habet; ita & eadẽ res diuersimodè considerata vtramque secundam intentionem vniuocationis, & denominationis habere potest.

777 Quæres tandem, cur in antepredicamentis agitur de denominatiuis?

Resp. quod hoc fit, vt sciamus quæ concreta per se in prędicamentis collocentur, quæ verò non per se, sed reductiuè tantùm ratione scilicet suorum abstractorum; nam cõcreta, quę materialiter sunt denominatiua in prędicamentis per se non collocantur; benè tamen concreta, quæ materialiter non sunt denominatiua. Vel etiam vt intelligamus, quod in prędicamentis per se non ponuntur omnia vniuoca, sed solũ vniuoca essentialia: accidentalia verò tantùm reductiuè, quia sunt materialiter denominatiua.

QVÆSTIO IV.
Quid sint Analoga, & Quotuplicia.

778 Fatentur moderni, quod explicatio analogorum sit difficilior cunctis tractatibus Philosophicis; sed his non obstantibus, cùm sit valdè vtilis, illam non omittam, sed qua potero breuitate, & facilitate explicabo. Et vt incipiam consulendo breuitati, multa prætermittam, quæ à DD. expenduntur circa traductionem harum vocum græcarũ, Analogum, & Analogia; solùm cõtentus ero dicere, quòd omnes conueniunt in hoc, quod analogia idem latinè sonat, ac proportio, & analogum, ac proportionatum. Qui plura de hac re videre optat, legat Complutenses hìc disp. 10. quæst. 1. & nostrum Oliuam in sua Gemmea analoga. Quo notato, vt primum quæsitum soluamus.

Sit prima cõclusio: analoga definiuntur communiter sic: Analoga dicũtur, quorum nomen est commune, ratio verò significata per tale nomen

nomen partim est eadem, & partim diuersa. Cuius definitionis bonitas ex sequentibus quæstionibus patebit. Ego tamen iuxta meum vsitatum modũ definiendi alia antepredicamenta, sic definio analoga: analoga denominantur, quæ prout partim sunt eadem, & partim diuersa per vnam omninò vocem possunt significari. Quæ definitio non differt à communi supra tradita, iuxta dicta quęst. 1. vndè solùm potest esse difficultas in ly possunt, quæ nõ ponitur in definitione adducta; attamen dico, quòd illa particula implicitè continetur in illa, iuxta illud axioma: *verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem;* & ideò vt secundo quęsito satisfaciamus.

779 Sit secunda cõclusio: analogum aliud est physicum; & aliud logicum; primum communiter vocatur analogum inęqualitatis, quod solet sic definiri: analoga inęqualitatis dicuntur illa, quorum nomen est commune; ratio verò significata per tale nomen licet sit simpliciter eadem, est tamen secundùm quid diuersa in illis, quatenus inęqualiter participatur ab eis; v. g. animal tali analogia dicitur esse analogum respectu hominis, & leonis; nam licet animal quantum ad essentiam, seu rationem pręcisam ęqualiter cõueniat suis speciebus; habet tamen perfectiùs esse in vna, quàm in alia ratione inęqualium differentiarum contrahentium.

780 Sed quæres vtrum analogia physica, seu inęqualitatis sit vera analogia. Ad hoc quęsitum respondet noster Lalemandet hìc, quod hæc analogia spuria reputatur ab omnibus. Nos verò dicimus, quod est vera analogia, nam ei benè conuenit definitio analogiæ: sed hoc nomen animal nõ significat aliquod analogum tali analogia, quod patet, quia hoc nomen animal, v. g. non significat aliud, quàm rationem animalis præcisè sumptam, quæ prout sic est vniuoca, cùm omninò sit eadẽ in suis inferioribus; ergo nomen, animal, v. g. non significat aliquod analogum; & hoc indicauit D. Tho. in primo, distinct. 19. q. 5. art. 2. ad primum, vbi ait: quod hęc analogia est analogia secundùm esse, & non secundùm intentionem, idest quod animal, v. g. verè est analogum inæqualitatis, sed non pręcisè, prout concipitur, & significatur per hanc vocem animal.

781 Amicus hic qu. 3. dicit, quod analoga physica valdè impropriè analoga appellantur, quia analogiæ repugnat inæqualitas. Nam significat æqualitatem, & similitudinem: Ad quod respondeo, quod licet re vera talia analoga impropriè extrinsecè denominentur hac voce analogum, tamen non impropriè intrinsecè denominantur à secunda intẽtione analogiæ, quamuis secunda hęc intentio etiam impropriè denominetur extrĩsecè à tali voce: quod factum est ob penuriam vocum; vndè nomen proprium pręcipuæ speciei tributum est generi, & consequẽter omnibus speciebus sub ipso contentis, quod non tollit, quod talia analoga sint vera analoga.

Noster verò Oliua in Gemmea analoga, p. p. dub 4 analoga physica dicit non claudi intra speciem analogiæ. At quia suas rationes procedunt

dunt de genere præcisè sumpto, & prout significatur aliquo nomine ex his, quæ de facto inuenta sunt, nihil contra nos probant. Vndè dicimus, quod hęc analogia est ex illis, quę latent in generibus, vt dixit Aristoteles. Latet igitur, quia non habemus nomen ad illam significandam.

782 Sed quęres, vtrum in speciebus infimis lateat etiam hæc analogia? Resp. quod non; quia, vt probauimus disput. 4. sect. 3. quæst. 3. vnum indiuiduum nō est perfectius alio eiusdem speciei substantialiter, & ideò natura specifica non reperitur cum aliqua inęqualitate in illis. Relicta igitur hac prima specie analogorum, quoadusque à sapientibus nomina inueniantur, quæ talia analogata prout sic significent, accedimus ad aliam speciem, scilicet ad analoga logica. Vnde

Dicimus, quod analoga logica sic sūt definienda; Analoga logica sunt, quorū nomen est cōe, ratio verò significata per tale nomen est simpliciter diuersa, & secundum quid eadem, vel simpliciter eadem, & secūdùm quid diuersa, quatenus scilicet est radix diuersitatis.

783 Communiter DD. diuidunt analogiam logicam in analogiam attributionis, seu proportionis, & in proportionalitatis; quarum prima sic definiunt. Analoga attributionis sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundū habitudines ad illum, v. g. sanum respectu animalis, medicinæ, & vrinæ. Secunda verò ita quoque definiunt; Analoga proportionalitatis sunt illa, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est similis secundùm proportionem; v. g videre ad visionem corporalem, & intellectualem.

Præterea diuidūt analogiam proportionalitatis in propriam, & metaphoricam, & dicunt, primam à secūda differre, quia in illa ratio significata per nomen analogum intrinsecè reperitur in omnibus analogatis, v.g. ens tali analogia dicitur esse analogum ad substantiam, & accidens, quia sicut se habet substantiam ad suum esse, ita accidens ad suum: In secunda verò ratio significata per nomen analogum, intrinsecè est in vno analogato, in alio verò extrinsecè; quo modo dicūt, risum esse analogū ad risum hominis, & ad viriditatē prati; quia sicut se habet risus ad hominem, ita viriditas ad pratum.

QVÆSTIO V.

In qua explicatur natura analogorum attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ.

784 Nota primò, quod analogia attributionis taliter appellatur, quia in ea principale analogatum tribuit denominationem alijs, vel quia analogata minus pręcipua quasi tribuuntur principaliori analogato, & reducuntur ad illud tamquam ad propriam mensuram, & radicem, vndè ratio significata per nomen ad ipsa deriuatur; & dicitur proportionis ad distinctionem analogiæ proportionalitatis, & tandem dicitur analogia ad vnum, quia in ea minus

minus pręcipua analogata ad vnum, id est ad principale reducuntur tamquam ad terminum.

Nota secundò, quòd licèt ferè omnes admittant analogiam attributionis, vt veram speciem analogiæ; & aliqui tantùm eam agnoscũt; tamen non desunt aliqui moderni eam negantes, vt Pasqualigus p. 2. met. disp. 36. cuius rationes adducũtur, & soluuntur à Mastrio hìc disp. 2. quæst. 5. art. 1. & Arriaga disp. 11. Logicæ, sect. 4. contra quem ex professo agit noster Oliua in Gemmea analoga, par. 1. dub. 3. Nos verò cũ communi eam recipimus, tamquã veram speciem analogiæ; tum quia Aristot. 5. Met. docens, quæ dicantur vnum secundùm analogiam, explicat hanc vnitatem per habitudinem, quæ constituit analogiam attributionis, dicens: *Secundùm analogiam verò quæcumque se habent vt ad aliud*; tum etiam, quia definitio analogorum conuenit his analogis, vt de se patet, & ab alijs essentialiter distinguuntur, vt ex infra dicendis apertũ manebit; ergo analogia attributionis est vera species analogiæ.

785 Sed quęres, an ratio significata per nomen analogũ attributionis tantum sit intrinsecè, & formaliter in principali analogato, in alijs verò per denominationem extrinsecam. Resp. Mastrius hìc disp. 2. quæst. 5. art. 1. quòd solùm in aliquibus analogis attributionis ratio significata per nomen analogum, tantum intrinsecè reperitur in primo, & in alijs per denominationem extrinsecam, non autem in omnibus; nam ens est analogum attributionis ad Deum, & creaturas, & ad substantiã, & accidens, vt docet Arist. 4. 5. 6. & 7. Met. quibus omnibus ratio entis propriè, & intrinsecè conuenit, quæ est vnica probatio sui dicti; Vndè

786 Nos ad quæsitum respondemus, quod ratio significata per nomen analogum attributionis intrinsecè tantùm est in principali analogato, in alijs verò per denominationem extrinsecam: & hoc conuenit omnibus analogis tali analogia formaliter. Ratio est, quia si in vtroque analogato esset intrĩseca ratio significata per nomen analogũ, licèt principalius in vno: vel in vtroque ratio illa esset similis, & identicè vna: vel proportionaliter vna: vel omninò diuersa; si esset omninò diuersa, talè nomen erit ęquiuocum, & non analogum; si omninò similis, & eiusdẽ rationis erit vniuocum; si proportionali modo esset vna, & in vtroque analogo intrinsecè inueniretur, esset analogum proportionalitatis propriè. Ergo cùm analogia attributionis sit distincta, tum ab æquiuocatione, & ab vniuocatione, tum etiam ab analogia proportionalitatis propriè; necesse est, vt in omnibus analogis talis analogiæ, ratio significata per analogum intrinsecè tantũ reperiatur in principali analogato, in alijsq; extrinsecè.

787 Vnde solùm restat, vt fundamentum Mastrij soluamus, ad quod dicimus, quod licet verùm sit, quod ens est analogum attributionis ad Deum, & creaturas: & ad substantiam, & accidens; tamen falsum est, quod significatum huius nominis entis prout est analogum attributionis ad illa intrinsecè reperiatur in creaturis, & accidẽti; nam cùm ana logum-

logum attributionis non distinguatur à principali analogato: vt infra magis constabit; euidens est, quod significatum huius nominis entis, prout est analogum attributionis ad Deum, & creaturas, est entitas increata, à qua satis constat, non posse creaturas intrinsecè denominari: & significatum eiusdem nominis, quatenus est analogum attributionis ad substantiam, & accidens, est entitas per se, à qua accidens intrinsecè nõ denominatur.

Ex quo colligitur primò, quod ratio significata per nomen analogum attributionis non multiplicatur realiter in analogatis, sicut multiplicatur ratio significata per nomen vniuocum in vniuocatis; nam eadem numero sanitas, quæ est in animali, extrinsecè denominat medicinam, & vrinam sanam; nam distinctio denominationis extrinsecè, & intrinsecè non sumitur ex parte formæ, sed ex parte subiectorum; & ita vna, & eadem forma realis numero causat in vno subiecto denominationem intrinsecam, in alio verò extrinsecã.

788 Colligitur secundò, quod analoga minus præcipua analogiæ attributionis debēt definiri per præcipuum, quatenus talia; quia prout sic essentialiter ab illo pendent.

Tertiò infertur, quod in his analogis *analogum per se sumptum stat pro famosiori*; nam cum prædictum analogum non significet æqualiter omnia analogata, sed præcipuum ex propria impositione primariò, & distinctè; reliqua verò secundariò, & confusè, & quatenus à primo denominantur; ideò simpliciter prolatum stat pro illo.

Quartò infertur, quòd analogum attributionis formaliter prout sic non potest esse medium demonstrationis; nam cùm ex propria impositione distinctè tantũ significet principale analogatum, alia verò cõfundet, & cõnotet, vt respiciunt illud, & denominantur ab eo; ideò nomen sic analogum non distribuitur secũdum aliquid intrinsecum in omnibus; & per consequens præmissa, in qua prædicatur de secundo analogato, semper est contingens, quod repugnat demonstrationi.

789 Tandẽ colligitur, quòd analoga attributionis non possunt habere vnum conceptum communẽ, neque obiectiuum, neque formalẽ: sed plures cum vnitate connotationis (vnitas enim connotationis plurium conceptuum consistit in hoc, quod vnus aliũ exigit, vt perfectus, & quietatiuus sit) per quod differũt ab æquiuocis; & ideò ista analoga solent appellari plurium cõceptuum. Quod sic potest probari: quæ nihil commune præter nomen habent, & vnum intrinsecè dicit habitudinem ad aliud, vel intrinsecè terminat habitudinem alterius, non possunt nõ habere plures conceptus cum vnitate connotationis; sed analogata analogiæ attributionis, prout sic, ita se habẽt, ergo &c. Maior patet, quia diuersæ res, vt diuersæ, necessariò concipiuntur diuersis conceptibus; vt dictum est quæst. 1. & quæ ad inuicem dicunt, habitudinem, prout sic non potest vnum concipi, quin & aliud concipiatur, vt patet in relatiuis, de quibus infra; sed analogata attributionis ita se habent, vt patet ex definitione illorum, ergo &c.

Vtraque

Vtraque minor patet ex definitione analogorum attributionis supra adducta.

Dices contra: quando cōcipiuntur analoga attributionis, vel concipiuntur vt plura, vel vt conueniunt in aliqua ratione communi; non primum, quia sic essent ęquiuoca; ergo vt concipiantur vt analoga, debent concipi secundùm aliquam rationē communem, & consequenter analoga attributionis habent cōceptum communem.

790 Resp. quòd licet analogata analogię attributionis concipiantur vt plura; non tamen concipiuntur vt ęquiuoca; quia cōcipiuntur vt plura simpliciter, & vt vnum vnitate attributionis, quæ vnitas deficit ęquiuocatis, & est multò minor vnitate vniuocationis.

Pro complemento huius quæst. sciendum est, quod Iunior quidam apud nostrum Oliuam loc. citato negat, analoga proportionalitatis metaphoricæ. At quia satis illum ibidem cōuincit prædictus Oliua nihil restat circa existentiam illorum dicere. Vnde solū circa essentiam illorum notamus, quod cùm prædicta analoga ꝓportionalitatis metaphoricæ sint valdè affinia analogis attributionis; ideò ea, quæ de istis diximus, illis proportionabiliter applicari possunt, vt intuenti patebit.

QVAESTIO VLTIMA.

In qua explicatur natura analogorum proportionalitatis propriæ.

NOtandum est, quod hoc est discrimen, vt ex Mathematicis colligitur, inter proportionem, & proportionalitatem, quod proportio est quædam habitudo vnius rei ad aliam, vt inter duo, & quatuor est proportio dupla: proportionalitas verò est habitudo duarum proportionum ad inuicem cōuenientium: vt si dicamus sicut se habet duo ad quatuor, ita se habet tria ad sex. Vnde quatuor termini requiruntur ad analogiam proportionalitatis.

791 Præterea notandū est, quòd Caietanus in opusc. de nominum analogia dicit, quod analogia attributionis solùm est vera analogia: Ioannes de S. Thoma hìc quæst. 13. art. 3. ait, quod analogia proportionalitatis ex vsu scholæ, & sapientium est vera analogia; noster verò Oliua in Gemmea analoga par. 1. dub. 4. dicit, quòd cùm aliud sit, ad quod nomen imponitur, & aliud, ad quod significandum imponitur, vt aduertit D. Thomas pri. par. qu. 13. art. 2. ad 2. ideò licet impositio, seu ętimologia nominis analogi sit ad proportionem; extenditur tamen ad significandam etiam proportionalitatē; & sic analoga sunt illa, quæ dicunt proportionē, & illa, quæ dicunt proportionalitatem. Ego etiam dico, quod cùm non sit vniuocatio, nec æquiuocatio, & ei definitio rei adducta analogiæ conueniat, quod est vera analogia, licèt definitio nominis analogiæ ei non competat. Cur autem non vocantur analoga proportionis, sed proportionalitatis, diligenter explicat idem Oliua ibid. dub. 6. qui etiam ibidem ostendit, cur analoga abusiuè dicantur.

Quòd analoga proportionalitatis propriè, sint omninò distincta ab analogis attributionis, & proportionalitatis

nalitatis metaphoricæ ex præcipua illorum conditione colligi poteſt, quæ eſt iſta,.s. quòd ratio ſignificata per nomen analogum tali analogia intrīſecè reperitur in omnibus analogatis; ideſt, quòd tale nomen immediatè ſignificat, proprias rationes analogatorum, non abſolutè ſumptas, ſed vt proportionabiliter ſe habent inter ſe, in quantum ſcilicet vnumquodque fundat habitudinē ad ſuum eſſe ſimilem habitudini, quam fundat alterum; vnde cùm eſſe vniuſcuiuſque analogati ſit illi intrinſecum, analogum ſignificans proportionabiliter vtrumque ſignificat rationem communem analogatis.

792 Ex hac enim conditione conſtat, analogū proportionalitatis propriæ eſſe verum analogum, diſtinctū ab analogis attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ; nam hoc nomen principium non eſt vniuocum, nec æquiuocum, neque analogum attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ ad cor hominis, & fundamentum domus; ergo analogū proportionalitatis propriæ eſt verum analogum diſtinctum ab analogo attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ. Conſequentia, quod primam partem patet, quia nomen commune pluribus, quod non eſt vniuocum, neque æquiuocum, eſt verum analogum. Quò ad ſecundam etiam eſt manifeſta; nam ſi non eſt analogum attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ, neceſſe eſt, vt ſit ab illis diſtinctum.

Præterea probatur antecedens quo ad primam partem: quia ęquiuoca nihil pręter nomen habent commune: vniuoca verò habent vnitatem ſimilitudinis; ſed cor hominis, & fundamentū domus prout ſignificātur hoc nomine, principiū, habent præter prædictum nomen aliquid aliud commune minus vnū, quàm vnum vnitate ſimilitudinis; ergo hoc nomen, principium, non eſt vniuocum, vel ęquiuocum reſpectu cordis hominis, & fundamēti domus. Minor patet, nam præter tale nomen habent vnitatem proportionis, quæ eſt minor vnitate ſimilitudinis; nam hoc nomen, principium, ſignificat non aliquam rationem communem cordi hominis cum fundamento domus, ſed propriam vniuſcuiuſque rationem, vt proportionaliter ſe habent. Præterea idem antecedens quoad vltimā partem etiam eſt manifeſtum; nam ratio ſignificata per hoc nomen, principium, non eſt vna numero intrinſecè denominans vnum analogatum, & extrinſecè aliud; ergo tale nomen non eſt analogum attributionis, vel proportionalitatis metaphoricę reſpectu cordis hominis, cū fundamento domus. Hæc conſequentia patet ex ſupradictis quæſt. præterita.

793 Quæres, vtrum analoga proportionalitatis propriæ habeant vnū conceptum? Reſp. quòd analoga proportionalitatis propriæ habent vnum conceptum reſpectu omniū analogatorum. Ratio eſt, quia plerumque audiens intellectus, hoc nomen ens format vnum tantùm conceptum; ergo ens habet vnum conceptum; ſed non habet illum quatenus analogum attributionis, cùm oſtenſum

ostensum sit quæst. præterita, quòd talia analoga illum habere non valent; neque vt vniuocum; quia ens nullatenus est vniuocū, vt sect. seq. ostendemus. Ergo solū habet illud, quatenus analogum proportionalitatis propriæ; & consequenter analoga proportionalitatis propriæ habent vnum cōceptum respectu omnium analogatorum: Antecedens huius probationis potest confirmari ex hoc, quòd vnitas est passio entis; & ex eo, quòd metaphisica tractat de illo tamquam de vno obiecto.

Potest etiam reddi alia ratio huius responsionis, scilicet, quia analogata proportionalitatis propriæ non debent habere conceptus omninò diuersos, sicut æquiuocata, neque plures cum vnitate comparationis, vt analogata analogiæ attributionis; ergo habebunt vnum conceptum. Et est notandum, quòd prędicta analoga habent vnum conceptum, tàm obiectiuum, quàm formalem; nam talis est vnitas imaginis, qualis vnitas illius rei, cuius est imago.

794 Sed quæres iterum, quomodo conceptus analogorum proportionalitatis propriæ, supposito quod sit vnus, distinguatur à cōceptu vniuocorùm? Vt ad hoc quęsitum, in quo tota difficultas huius materiæ stat, respondeamus.

Notare debemus, quòd ista analoga sunt in duplici differentia; nam quędam sunt etiam transcendentia: vt ens &c. & quædam non; vt principium respectu cordis hominis, & fundamenti domus &c. Conceptus obiectiuus analogorum proportionalitatis propriæ, quæ non sunt etiā transcendentia, est vnum tantùm secundum quid; quia prædicta analoga non significant vnam formam, quæ simpliciter sit vna in ratione, & quidditate formæ, sed solùm est vna secundùm quid; hoc est, in modo habēdi, quod est suo modo, & proportionaliter: Conceptus verò obiectiuus vniuocorum è contra est simpliciter vnus, in quo nullus difficultat.

Deinde cōceptus obiectiuus analogorum proportionalitatis, quæ etiam sunt transcendentia, licèt secundum id, quod formaliter dicit, sit simpliciter vnus; tamen ratione illius, quod radicaliter, & virtualiter importat, est tantùm vnus secundū quid: Conceptus verò obiectiuus vniuocorum nō solùm formaliter, sed etiam radicaliter est vnus simpliciter, in quo est non parua difficultas, quæ vt clara maneat, excitantur sequentia argumenta; & ideò sit.

795 Primum argumentum contra discrimen assignatum inter conceptum analogorum, quæ sunt etiā transcendentia; & conceptum vniuocorum: Si conceptus obiectiuus talium analogorum secundùm id, quod formaliter dicit, esset simpliciter vnus, verè esset præcisus à suis inferioribus; sed ab illis non potest præscindi: ergo nullum est assignatum discrimen inter conceptum talium analogorum, & conceptum vniuocorum.

Respondetur concedendo maiorem, & negādo minorem; nam quilibet potest præscindi ab eo, quod non est de eius essentia; inferiora .n. entis non sunt de illius essentia; nam id, quod ex se est posterius alio, non potest ad essentiam illius pertinere; quia

quia in illo priori, in quo id, quod est prius, alio intelligitur, debet intelligi adæquatè constitutum; inferiora .n. entis sunt posteriora ipso; quia id est posterius alio, à quo valet subsisten-di consequentias; non autem è contra: benè.n. valet est substantia: ergo est ens; non autem è contra, &c. & ideò non sunt de essentia illius; vndè benè potest ens præscindi à suis inferioribus; non autem ista ab illo: vt patet in animali, & homine, v.g. nam animal benè præscindi potest ab homine, non autem è contra.

796 Ad perfectam intelligētiam huius solutionis est notādum, quòd duplex est præcisio intellectus, vna negatiua, & alia positiua. Negatiua est quando intellectus considerat vnam rationem communem, & negatiuè se habet erga inferiores: Positiua verò quando separat vnum ab altero, cum quo cognoscit esse coniunctum. Prima tantùm ex his pręcisionibus, scilicet negatiua, analogum de quo loquimur, præscindit à suis inferioribus; non autem secunda, scilicet positiua. Quod est diligenter notandum, quia per hoc soluuntur plura argumenta valdè apparentia contra præcisionem prædicti conceptus.

Secundum argumentum; si conceptus obiectiuus pręedictorum analogorum præscinderet à suis inferioribus, non esset analogus, sed vniuocus; sed ex discrimine à nobis assignato hoc sequitur, vt concessum est in solutione pręteriti argumenti; ergo discrimen à nobis assignatum inter conceptum analogorum &c. est nullum. Sequela patet, quia in tali conceptu esset omnimoda conuenientia non solùm quoad explicitum, sed etiam quoad implicitum.

Resp. negando sequelam; ad eius probationem dicimus, quòd licèt in in illo conceptu sic præcisio, nulla sit actualis diuersitas; cum actu nullo modo in illo repræsententur, differentiæ suorum inferiorum: est tamen in illo virtualis diuersitas, quæ consistit in hoc, quòd ratio illa ex se petat descendere ad sua inferiora, cū diuersitate, & inæqualitate.

797 Contra solutionem dices cū Complutensibus hìc; illa diuersitas, seu inæqualitas radicalis non impedit vniuocationem; ergo nulla solutio. Probatur antecedens, quia conceptus genericus est etiam radix inæqualitatis, quæ inuenitur inter species; nam inæqualitas specierū causatur à differentijs, cuius radix est genus, cùm in illo, tamquam in radice, contineantur, eò quòd illas in potentia continet.

Resp. negando antecedens; ad eius probationem dicimus, quòd conceptus genericus est radix inęqualitatis, quæ est inter ipsas differentias: non autem radix inæqualitatis, quæ sit in ipsa ratione generica communi speciebus: in his verò analogis proportionalitatis, quæ sūt etiam transcendentia, res è contra se habet; nam diuersitas, quę exercetur in ipsis inferioribus entis, v. g. est diuersitas in ipsa ratione formali entis; nam in ipsa est dependentia, & transcendentia, & ipsa ratio entis prout pręcisa, est radix huius diuersitatis, & illam petit exercere in suis inferioribus.

798 Vltimum argumentum: si conceptus entis, v. g. esset præcisus, esset

esset quoque contrahibilis per modos, & differentias, & cum istis faceret compositionem; sed hoc est absurdum: ergo & id ex quo hoc sequitur.

Resp. quòd ad hoc, vt aliqua ratio sit verè, & propriè contrahibilis, non sufficit vt ipsa ex se non contineat actu differentias, vel modos, sed vlteriùs requiritur, ipsam non contineri, seu claudi in illis; & ideò quia essentia diuina actu non continet in suo conceptu essentiali relationes; & quia intimè in istis cōtinetur, nec constituitur ab illis, nec cū illis componitur; & ideò ad compositionem, & contrahibilitatem requiritur mutua exclusio inter extrema componentia, & inter contrahibile, & contrahens. Vndè cùm ratio entis ex se actu non contineat modos, & differentias; quia tamen continetur in illis, non contrahitur, nec compositionem facit.

Ex dictis colligitur primò, quòd analogata istius analogiæ vnum non definitur per aliud, cùm in sua essentia vnum ab alio non pendeat; nam habitudines, seu proportiones eorū sunt æquales, & ita neutra dependet ab altera; & consequenter res ipsæ, inter quas proportionalitas attenditur, vna non pendet ab alia ratione istius analogiæ.

799 Secundò colligitur, quòd illud commune proloquium, scilicet *analogum per se sumptum stat pro famosiori*, non habet locum in his analogatis; cùm hæc analoga non magis significēt vnum analogatum, quàm aliud, sed ęqualiter vtrūque, modo explicato; & ita absolutè prolatum non magis stat pro vno, quàm pro alio.

Infertur tandem, prædictum analogum posse esse medium demonstrationis; nam cùm ratio significata per prædictum nomen intrinsecè reperiatur in omnibus analogatis; ideò præmissæ, in quibus prædicatur de quocumque analogato, habent sufficientem necessitatē ad demonstrationem.

800 Pro complemēto huius quęstionis est notandum, quod noster Lalemand. hìc disput. 6. par. 4. tenet, quòd illa, quæ vocamus analoga proportionalitatis propriæ, sunt vniuoca, & ad hoc probandum tres rationes adducit, quarum duæ priores ex dictis quis facile solui potest. Tertia verò sic se habet: si proportio propria faceret analogiā; ergo quælibet proportio propria faceret analogiam; sed inter vniuoca est proportio propria, v. g. sicut se habet Petrus ad naturam humanam, ita & Paulus se habet ad eam; ergo omnia vniuoca essent analoga, & sic nulla propriè daretur vniuocatio. Quod sic confirmat, tam vera est hæc propositio; sicut se habet pes ad hominem, ita se habet pes ad montem; quia pes vtriusque est pars infima, totam molem sustentans; quàm vera sit hæc; sicut se habet Petrus ad naturam humanam; ita & Paulus ad eam, sed hæc proportio non causat analogiam, ergo neque illa.

Ad hoc argumentū id respondeo, quòd respōdent Complut. hìc, disp. 10. quæst. 4. ad quoddam argumentum P. Francisci Suarez; quam solutionem adducere nolui, ob reuerentiam prædicti N. P. cui multùm debeo; & ideò si illam videre cupitis, consulite Complut. loc. cit. ad vlt.

SE-

SECTIO II.
De Ente, & accidente prædicamentali in ordine ad sua inferiora.

801 *Vt numerum prædicamentorum inueſtigemus, de ente, & accidente prædicamentali aliquas quæſtiones decidere debemus, ex quorum ſolutione multùm hoc pendet; & ideò hanc ſectionem proponimus, in qua illas ſoluere conabimus, & licèt hoc ſit negotium metaphyſicum; tamen quia ad dictum, & ad perfectam intelligentiam illorum, quæ ſect. præt. diximus, valdè eſt neceſſarium, iure optimo cum modernis hìc hanc ſectionem tranſtulimus. Vnde ſit.*

QVÆSTIO I.
An ens ſit æquiuocum ad ens reale, & rationis; ad Deum, & creaturam; & ad ſubſtantiam, & accidens.

CVM ens eſſentialiter diuidatur in realem, & rationis: & ens reale in increatū, & creatum: creatum in ſubſtantiam, & accidens, præſens quæſtio quærit, an prædictæ diuiſiones ſint æquiuoci in æquiuocata. Ad cuius ſolutionem.

802 Sit concluſio, ens non eſt æquiuocum reſpectu entis realis, & rationis: neque ens reale reſpectu entis increati, & creati: neque tandem ens reale creatū reſpectu ſubſtantiæ, vel accidentis. Prima pars huius cōcluſionis cōſtat: quia obiectum alicuius ſcientiæ præter vnitatem nominis aliquam aliam debet habere; ſed ens, quod diuiditur in reale: & rationis eſt obiectum metaphyſicæ; ergo cùm æquiuocum nō habeat aliam vnitatem pręter nominis, ens quod diuiditur in reale, & rationis non eſt æquiuocum reſpectu illorum. Maior patet: quia omne obiectum cuiuſcumque ſcientiæ eſt in ea definibile vnica definitione; ſed quæ nullam vnitatem præter nominis habent, non poſſunt vnica definitione definiri; quia definibile neceſſariò debet eſſe vnum, cùm definitio ſit vna oratio; ergo obiectum alicuius ſcientiæ præter vnitatem nominis aliquam aliam debet habere. Præterea minor etiam conſtat; tum quia eſt expreſſa Ariſt. 4. Met. cap. 2. tum etiam; quia in metaphyſica aliquas proprietates de tali ente concludimus: vt eſſe vnum verum &c. quod etiam aliquam vnitatem talis entis infert, vt eſt per ſe manifeſtū.

803 Secunda pars huius concluſionis .s. quòd ens reale nō ſit æquiuocum ad ens creatum, & increatū, etiam eſt manifeſta; nam ex cognitione vnius æquiuocati non poſſumus venire ad cognitionē alterius; ſed ex cognitione creaturarum venimus in cognitionem entis increati, ſcilicet Dei; ergo ens reale non eſt æquiuocum ad ens creatum: & increatum. Maior ex dictis ſect. pręterita conſtat, & ex ſe eſt manifeſta; nam quis ex cognitione canis cęleſtis poteſt venire in cognitionē canis terreſtris? Minor verò patet ex illo 1. ad Roman. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

Tandem vltima pars concluſionis, ſcilicet quòd ens creatum nō ſit æquiuocum ad ſubſtantiam, & accidens, probatur primò: Si ens eſſet æquiuocum ad ſubſtantiam, & accidens,

dens, substantia non esset prius ens, quàm accidens; sed substantia est prius ens, quàm accidens: ergo ens non est æquiuocum ad illa. Maior patet, quia inter æquiuocata non datur ordo prioris, & posterioris. Minor etiam constat, quia accidens definitur per substãtiam, & totum eius esse est inesse substantiæ: ergo substantia est prius ens, quàm accidens.

804. Probatur secundò: in substantia, & accidenti reperitur sufficiens fundamentum proportionalitatis in ratione entis; ergo ens non est æquiuocum ad illa. Antecedens patet, quia sicut se habet substantia ad suum esse, ita & accidẽs ad suum. Consequentia etiam est manifesta, quia quæ in aliqua ratione sunt omninò diuersa, non possunt in illa vnitatẽ proportionis habere; ergo quæ in aliqua ratione habent vnitatem proportionis non sunt omninò diuersa, seu nomen talem rationem significans, non est æquiuocum respectu illorum. Argumenta Soncinnatis, quarto Met. quæst. 5. contrarium primæ partis nostræ conclusionis sentientis, quem sequitur Cumel in primam partem, quæst. 13. art. 5. vide optimè soluta apud Complutenses hic.

Contra secundam partem cõclusionis dices; Ens creatum, & increatum nullam habent similitudinem; ergo ens nihil importat illis commune præter nomen; & consequenter est æquiuocum respectu illorũ. Antecedens patet; quia distantia minuit similitudinem; ergo distantia infinita illam omninò tollit; sed inter ens creatum, quod est finitum, & inter increatum, quod est infinitum, est distantia infinita; ergo ens creatũ, & increatum nullam habent similitudinem.

805. Resp. negando antecedens; ad eius probationem dicimus, quòd duplex est similitudo; vt colligitur ex Aristot. 2. Topic.; vna est inter res eiusdẽ generis, & hæc minuitur per distantiam; & ideò non stat cum infinita distantia entis increati, & creati: & alia est inter res diuersi generis, quæ attenditur secundùm aliquam proportionem, vel proportionalitatem; & hæc similitudo non minuitur per distantiam; nam nõ est minor similitudo proportionalis inter duo, & vnum: & sex, & tria: quã inter duo, & vnum; & centum, & quinquaginta; ac proinde talis similitudo potest stare cum distantia infinita, & ratione huius creaturæ dicũtur similes Deo.

Contra tertiam partem cõclusionis dices: Magis differunt substantia, & accidens, quàm canis terrestris, & marinus; sed canis æquiuocè dicit de terrestri, & marino; ergo ens æquiuocè dicit de substantia, & accidenti. Probatur maior; magis differunt, quæ continentur in diuersis prædicamentis, quàm ea, quæ in eodem prędicamento collocantur; sed substantia, & accidens constituuntur in diuersis prædicamentis: canis verò terrestris, & marinus collocantur in eodem prędicamento substantiæ; ergo magis differunt substantia, & accidens, quàm canis terrestris, & marinus.

Resp. negando maiorem; nam licèt magis differant substantia, & accidens in nomine entis, quàm canis terrestris, & marinus in nomine substantiæ,

ſtantiæ, & animalis: non tamen in nomine canis; quia prout ſic nihil præter nomen habent commune; ſubſtantia verò, & accidens in ente habent quandam rationem analogicè illis communem, vt magis infra conſtabit.

806 Pro complemẽto huius quęſtionis nota, quòd multi Doctores tenent, ens eſſe æquiuocum reſpectu ſuorum inferiorum (cum quibus ſolùm habemus quæſtionem de nomine, vt patebit ex dicendis quęſtione 3.) Eò quòd analoga appellant æquiuoca à Conſilio, & æquiuoca vocant ęquiuoca à caſu, & hoc vt ſuum Ariſtotelẽ defendant. Ego verò, qui Electinus ſum, parùm de Ariſtotele, & de quocumque alio Philoſopho curo, ſolùm enim veritatem immediatè quæro; & ideò iudico, quòd analoga logica, licèt magis aſſimilentur æquiuocis, quàm vniuocis, tamen quia valdè ab illis diſtinguuntur, vt patet ex dictis ſect. præterita, ideò multùm impropriè æquiuoca appellantur, & talis appellatio non paruam confuſionem in hac materia cauſat.

QVÆSTIO II.
Vtrùm ens ſit vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum.

807 NOtandum eſt, quòd vniuocum poteſt tripliciter ſumi vno modo cõmuniſſimè, prout .s. diſtinguitur contra æquiuocum, ita vt vniuocè prædicari ſit idẽ, quòd prædicari non merè æquiuocè, & hoc modo ſe extendit ad denominatiuum, analogum, & vniuocum propriè dictum. Alio modo accipitur communiter, prout ſcilicet diſtinguitur ab æquiuoco, & analogo, & hoc modo ſe extẽdit ad denominatiuum, & vniuocum propriè dictum. Tertio ſumitur propriè, ſcilicet prout cõtradiſtinguitur ab analogo, & denominatiuo; & ſic acceptum, vel dicit totam eſſentiam, vel partem ſuorum vniuocatorum. Pręſens quæſtio non de vniuoco in prima acceptione procedit; nam in hac acceptione vere ens eſt vniuocum, vt patet ex dictis quęſt. pręterita, neque de vniuoco in ſecunda acceptione, cùm ens non ſit denominatiuum, vt ex dictis ſect. pręterita conſtat, ſed ſolùm in tertia acceptione. Quod debet diligenter notari, qui per hoc plurima argumenta Scotiſtarũ ſoluuntur. Quo notato.

808 Sit concluſio; ens nõ eſt vniuocum reſpectu ſuorum inferiorũ. Probatur; omne vniuocum ſignificat vnam rationem omninò vnam in vniuocatis; ſed nomen ens non ſignificat vnam rationem omninò vnam in ſuis inferioribus; ergo ens non eſt vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum; Maior ex dictis ſect. præterita ſatis eſt manifeſta. Minor verò probatur: ratio ſignificata per nomen ens formaliter includitur in vltimis differentijs ſuorum inferiorum; ergo nomen ens non ſignificat vnam rationem omninò vnam in ſuis inferioribus. Hæc conſequentia patet; quia ex hoc, quòd ratio entis formaliter includatur in vltimis differentijs, habet, quòd dùm ab illis eſt præciſa, non dicat omnimodam conuenientiam, cùm prout ſic dicat etiam virtualem diuerſitatẽ, vt latè oſtendimus ſect. pręt. quæſt. vlt.

Antecedens verò probatur auctoritate Aristot. 3. Metaph. text. 12. vbi probans, ens non esse genus respectu suorum inferiorum, sic ait: *Nullum genus prædicatur de differentijs; sed ens prædicatur de differentijs, ergo ens non est genus*; in quo syllogismo maior vt sit vera, debet intelligi formaliter, quia genus identicè de differẽtijs prædicatur. Et minor, vt consequentia sit bona, debet quoque in eodem sensu intelligi, quia vt consequentia sit bona, non debet in præmissis variari appellatio: ergo ex sententia Aristot. ens includitur formaliter in vltimis differentijs. Hæc cõsequentia patet, quia solùm illud de alio prædicari potest formaliter, quod formaliter in illo includitur.

809 Deinde idẽ antecedens probatur ratione; Omne formaliter inferius suum superius formaliter cõtinet; sed differentiæ vltimæ sunt formaliter inferiores enti; ergo differentiæ inferiores formaliter ens continẽt. Probatur minor; actus, & potentia sunt formaliter inferiora entis; sed differentia est actus generis, quod se habet vt potentia ad illã; ergo differentiæ sunt formaliter inferiores entis. Maior huius vltimæ probationis patet, quia ens, vt sic cõtradistinguitur à nihilo; ergo sub se continet vt inferiora, quæ sunt aliquid; sed actus, & potentia sunt aliquid, cùm componant aliquid; ergo actus, & potentia sunt formaliter inferiora entis. Nec valet dicere, cum aliquibus Scotistis, quòd differentia nõ sunt entia, sed modi entis, seu quòd differentiæ non sunt entia, vt *quod*, sed tantùm vt *quo*. Nam contra hoc est, quòd differentiæ sũt cognoscibiles vt *quod*, ergo sunt etiam entia vt *quod*, & non tantùm vt *quo*, idest vt aliquid entis.

810 Probatur secundò cõclusio: Ens per prius dicitur de vno ex suis inferioribus, quàm de alio; ergo ens nõ est vniuocum respectu illorum. Antecedens patet, quia vnum inferius entis pendet ab alio in esse, vt ens rationis ab ente reali, creaturæ à Deo, accidens à substantia; sed id, à quo aliud dependet in esse est prius illo, quod ab ipso depẽdet; ergo ens priùs dicitur de vno ex suis inferioribus, quàm de alio. Consequentia argumenti est etiam manifesta; nam ex vi dependentiæ metaphysica ratio communis non est vnà simpliciter independentibus, & consequenter neque vniuoca; Antecedens huius probationis patet, quia ex vi dependentiæ illa ratio non dicitur in recto de dependenti; nam ex vi dependentiæ creatura non dicitur ens, sed entis à se ens: & accidens non dicitur nisi entis ens.

Primum argumentum. Si propter aliquam rationem ens non esset vniuocum, maximè vt nos diximus in prima probatione, quia transcendit vltimas differentias; sed sola transcendentia alicuius rationis non tollit ab ea, quin possit fundare vniuocationem: ergo ens recipit secundã intentionem vniuocationis, quando in ordine ad sua inferiora cognoscitur. Probatur minor: Transcendẽtia non impedit, quin ratio transcendens præscindat verè à suis inferioribus, vt sect. præt. quæst. vlt. docuimus. Sed ratio transcendens præcisa est simpliciter vna, cùm sit præcisa à differẽtijs, à quib⁹ prouenit diuersitas;

sitas; ergo sola transcendentia alicuius rationis non tollit ab ea quin possit fundare vniuocationem.

811 Resp. negando minorem; ad cuius probationem negatur minor; nam illa ratio præcisa, licèt secundū id, quod formaliter dicit, sit simpliciter vna; tamen ratione illius, quod radicaliter, & virtualiter importat, est tantùm vna secundùm quid; non sufficit enim ad vniuocationē, quòd ratio significata per nomen commune sit secundùm aliquam rationem vna simpliciter; sed requiritur, quòd sit omninò idem, vt patet ex definitione vniuocorum adducta sect. præterita, quæst. 2. quòd non conuenit rationi entis. Pro quo vide loco cit. quęst. vlt.

Secundum argumentum, si ens non esset vniuocum respectu suorū inferiorum, maximè quia sola depēdentia tolleret vniuocationem, & causaret analogiam, vt innuimus in secunda probatione nostræ conclusionis: sed hoc est falsum; ergò & id ex quo hoc sequitur. Probatur minor: Ad analogiam requiritur, quòd conuenientia, & diuersitas sit in ipsa ratione communi analoga; sed dependentia non causat diuersitatem, & inæqualitatem in ratione communi; sed solùm in ipsis rationibus particularibus contrahentibus: ergo sola dependentia non causat analogiam. Minor patet: nam si dependentia inferiorum entis esset secundùm formalem rationem entis, omne ens dependeret; imò & ipse Deus dependeret, quòd est absurdū: nam id, quod conuenit alicui in quantū tale, & cum reduplicatione alicuius prædicati, conuenit omni habenti tale prædicatum.

812 Resp. negando minorem: ad eius probationē dicimus, quòd duplex est aliquorum dependentia: altera, qua vnum dependet ab alio in participando aliqua ratione, vel in denominatione proueniente ab aliqua forma, quæ intrinsecè est in vno, & extrinsecè in alio, quod dependet ab isto, quæ depēdentia causat analogiam attributionis; & hoc modo creaturæ pendent ab ente à se .s. à Deo; & ens prout significat entitatem à se est analogum attributionis respectu Dei, & creaturarum, vt quæst. sequenti dicemus. Altera dependentia aliquando inuenitur etiam si ipsa ratio extrinsecè in omni participante illam inueniatur; & tunc, quādo talis dependentia facit, quòd ratio communis participetur ab vno simpliciter, & ab altero secūdùm quid, tunc tollit vniuocationē, & causat analogiam, qua dependentia depēdent inferiora entis in ente, vt sic, & talis depēdentia causat analogiam proportionalitatis propriæ: Ad hoc autem, vt verificetur, depēdentiam esse secundùm rationem entis, non requiritur, quòd omnia depēdeant, sed sufficit vt ex proprijs meritis ratio entis sic participetur à suis inferioribus, quod in vno sit independēter, & in alio dependenter; & hoc est dependere in ratione entis. Et nota, quòd etsi ens non esset transcendens, adhuc esset analogum proportionalitatis propriæ, vt satis colligitur ex dictis in hac solutione propter dictam dependentiam.

813 Vltimum argumentū; Mensura, & mensuratum conueniunt vniuocè; nam mensura est æqualis

mensurato, vt ait Arist. 3. Met. text. 4; sed inferiorum entis vnum est mensura alterius: vt Deus respectu creaturæ,& substantia respectu accidentis. Ergo ens est vniuocum respectu illorum.

Resp. distinguendo maiorem: Mensura quantitatiua, seu æqualis conuenit vniuocè cum mensurato, concedo: mensura excedens, nego; Deus enim est mensura excedens creaturam. Argumenta modernorum contra nostram conclusionem vide soluta à nostro Oliua in Gemmea analoga par. 4. dub. 3.

Ex quibus colligitur, quòd ens nõ solùm non habet genereitatem in ordine ad sua inferiora, vt aliqui falsò dixerunt; sed neque aliquam aliã vniuersalitatem, quia subiectum cuiuscumque vniuersalitatis debet esse vniuocum, quòd enti repugnat; vt probatum est.

814 Pro complemẽto huius quęstionis notandum est, quod De Raconis in Logica tract. 2. quæst. 2. art. 2. dicit, ens esse vniuocum respectu substantiæ, & accidentis; negat tamen esse genus, vel aliquod aliud vniuersale, dicens, non implicare aliquod esse vniuocum, & nõ esse vniuersale, vt patet de persona diuina, quæ vniuocè conuenit tribus personis diuinis, quæ tamen non est earũ genus, aut vllum ex alijs vniuersalibus. Sed contra est, quia implicat aliquid esse vniuocum respectu aliquorum, & non esse vniuersale respectu illorum, quia omnibus vniuocis conuenit definitio vniuersalis, vt de se patet. Vndè persona creata in ordine ad personam Petri, & Pauli est vniuoca, & species, vt patet ex ijs, quæ diximus de entibus incompletis disp. vlt. sect. 2. quæst. 1. Et sic cùm persona diuina vniuocè dicatur de tribus personis diuinis, vt optimè probat Vilar. tom. 2. quæst. 30. art. 4. controu. 23. ideò persona diuina respectu trium personarum diuinarum habet aliquam vniuersalitatem, quam Porphyrius ignorauit, qui tantùm cognouit vniuersalitates rerum creatarum, quòd benè cohæret cum ijs, quæ diximus loco citato in fine; & tenet Vrtad. disput. 5. sect. 2. Ens autem non est vniuocũ respectu substantiæ, & accidentis propter supradicta; & si esset, necessariò esset aliquod ex tribus vniuersalibus essentialibus, cùm essentialiter conueniat suis inferioribus.

QVÆSTIO III.

Qua Analogia ens sit analogum, respectu suorum inferiorum.

815 SVpposito ex præteritis quęst. quòd ens non sit æquiuocũ, aut vniuocum respectu suorum inferiorum, consequens est vt sit analogum; vndè solùm videndum restat, qua analogia sit analogum; Pro quo

Sit prima conclusio; ens est analogum attributionis; tàm respectu entis realis, & rationis: quàm respectu Dei, & creaturarum; substantiæ, & accidentis. Prima pars probatur: enti respectu prædictorum conueniunt conditiones, seu proprietates analogorum attributionis; sed cui cõueniunt proprietates alicuius rei, etiam essentia talis rei cõuenit: ergo ens respectu prædictorum est analogũ attributionis. Probatur minor:

Prima

Prima conditio analogorum attributionis,ex qua cæteræ colliguntur, est, vt diximus sect. præterita,quæst. 3. quòd ratio significata per nomen analogum, quatenus tali analogia est analogum, intrinsecè reperiatur in principali analogato: in alijs verò per denominationem extrinsecam; sed hæc cõditio conuenit enti. Ergo enti respectu prædictorum conueniunt conditiones, seu proprietates analogorum attributionis. Minor patet, quia, vt diximus sect. præterita, quæst. 5. ens quatenus est analogum attributionis ad ens reale, & rationis solùm significat entitatẽ realem, quæ solùm extrinsecè in ente rationis reperitur, & illi ens rationis attribuitur: ens reale verò, quatenus est analogũ dictæ analogiæ ad Deũ, & creaturas solùm significat entitatem realem increatam, quæ solùm intrinsecè in Deo reperitur: in creaturis verò solùm extrinsecè, quatenus illi attribuũtur. Tandem ens reale creatum, quia solùm significat entitatem realem per se existentẽ, quatenus est analogum tali analogia ad decem prædicamenta, seu ad substãtiam, & accidens; ideò ratio per ipsũ significata solùm intrinsecè in substantia reperitur: in accidenti verò extrinsecè, quatenus illi attribuitur. Vndè ens rationis, quatenus est analogatum analogiæ attributionis, nõ dicitur ens, sed vmbra entis: & creaturæ effectus, seu vestigia entis à se: & accidens entis ens, id est vel dispositio substantiæ, vel mensura, vel passio illius &c.

816 Dices contra; creatura non potest dici, neque extrinsecè ens à se; ergo ens non potest esse analogũ attributionis respectu Dei, & creaturarum. Antecedens patet, quia si creatura extrinsecè diceretur ens à se, extrinsecè esset Deus, quod est absurdum. Dicitur solùm ens per participationem, per quod explicatur essentialis dependentia ipsius à Deo.

Resp. quòd sicut vrina est vnum analogatum attributionis huius nominis sanum; & tamen non dicitur sanitas animalis extrinsecè, sed signũ sanitatis animalis: ita similiter creaturę, prout analogantur in ente cum Deo analogia attributionis, non debent dici etiam extrinsecè ens diuinum, seu à se, vel per essentiam, sed effectus, & vestigia entis diuini.

817 Secunda conclusio. Ens est etiam analogum proportionalitatis propriæ respectu prædictorum suorum inferiorum. Probatur; enti respectu prædictorum suorum inferiorum conueniunt conditiones, seu proprietates analogorum proportionalitatis propriæ; sed cui conueniunt proprietates alicuius rei, etiam essentia talis rei conuenit; ergo ens respectu prędictorum suorum inferiorum est analogum proportionalitatis propriæ. Probatur maior, quia, vt diximus sect. præt. quæst. vlt. prima cõditio analogorum proportionalitatis propriæ, ex qua cæteræ colligũtur, est, quòd ratio significata per nomen analogum tali analogia intrinsecè reperiatur in omnibus analogatis; sed hæc conditio cõuenit enti respectu suorum prædictorum inferiorum; ergo enti respectu prædictorum suorum inferiorũ conueniunt conditiones, seu proprietates analogorum proportionalitatis

litatis propriæ. Minor patet, quia vnumquodque, quod non est nihil, intrinsecè, & formaliter est ens.

818 Dices contrà cum P. Franc. Suarez in Metaph. disput. 28. & 32. nomen analogum proportionalitatis non significat vna impositione, sed pluribus analogata; sed hoc non habet ens respectu prædictorũ suorum inferiorum; ergo ens non est analogum proportionalitatis respectu illorum.

Resp. quòd maior vera est de analogis proportionalitatis metaphoricæ: non autem de analogis proportionalitatis propriæ, de quorum numero est ens respectu prædictorum suorum inferiorum.

Pro complemento huius quæst. quæres, an ens completum sit vniuocum, vel analogum, respectu suorum inferiorum? Ad hoc quæsitum vt respondeamus debemus primò notare, quòd ea, quæ vsquemodo de ente tradita sunt, dicta sũt de illo, vt sic, prout .s. abstrahit à completo, & incompleto; deinde quòd id est completum, quod positiuè non ordinatur ad componendum aliud: id verò incompletũ, quod potest aliud componere, v. g. quælibet species dicitur completa, sicut genus, & differentia dicuntur incompleta.

819 Secundò notandũ est: quòd ens est tantum accidentaliter completum, vel incompletum; nam quatenus transcendit aliquod completum, v. g. aliqua substantia completa, vt homo, dicitur completum: quatenus verò transcendit aliquod incompletum, v. g. aliqua substantia incompleta, vt rationale dicitur incompletum. Quòd tam eruditè probatur à nostro Oliua in Gemmea analoga par. 4. dub. 1. vt nihil mihi dicendum restet. Eum consulite.

Ex quibus patet solutio quæsiti; nam cùm ens completum non dicat aliquam vnam rationem, sed singulas tantùm rationes suorum inferiorum completorum, vt dicunt proportionem in hoc, quod vnumquoque completur per suum specialem modum, vel differentiam; ideò non est vniuocum, sed analogum proportionalitatis propriæ; nam licèt ens completum non includatur in modis, vel differentijs, ac proinde propter transcendentiam nõ sit analogum; tamen quia ipse in se continet modos, quibus redditur completum, à quibus nõ potest præscindi; ideò est analogum proportionalitatis propriæ, dicens conuenientiã assignatam, & diuersitatem prouenientem à modis.

820 Sed hinc quæres secundò: Per quid differt conceptus entis cõpleti à cõceptu entis vt sic, & à conceptu vniuoco? Vt ad hoc quæsitũ respõdeamus, debem⁹ notare, quòd præcisio, seu abstractio intellectus potest fieri dupliciter: vno modo simpliciter vnum segregãdo ab alio per conceptum, ita vt non includat illud, à quo separatur; sed fiat distinctio per inclusionẽ vnius, & exclusionem alterius, sicut quando separatur animal à rationali: alio modo præcisio non fit simpliciter, nec per exclusionem vnius rationis ab alio; sed penès magis confusum, & explicitum de eadem re, quod non variat res conceptas; sed modos cõcipiendi: sicut res visa à longè inconfuso, vel propè cum distinctione non variat res visas.

Quæ

Quæ abstractiones facillimè per suum oppositum, quod est contractio, cognoscuntur; nam quãdo aliquis conceptus abstractus contrahitur per aliquod, de quo formaliter non prædicat; tunc illud fuit abstractum per exclusionem contrahentis; quando verò conceptus abstractus contrahitur per aliquod, de quo formaliter prædicat, tunc illud fuit abstractum, non per exclusionem contrahentis; sed per nõ explicationem eius, licèt actu illud includat, in confuso tamen. Vndè animal v. g. primo modo contrahitur per rationale, & abstrahitur ab ipso, vt ex se patet: & ens completum, v. g. secũdo modo; & abstrahitur, & contrahitur ad sua inferiora, vt intuenti patebit.

821 Ex quo sequitur, quòd simpliciter abstractum simpliciter est vnum, quia actu non includit id, à quo plurificatur: abstractum verò non simpliciter; sed per non explicationem illorum, à quibus abstrahi dicitur, est tantùm vnum secundùm quid; quatenus actu includit id, à quo plurificatur. Vndè dicitur vnũ, quatenus confundit plura, quæ actu continet.

Vndè ad quæsitum respondetur; quòd conceptus entis completi est vnus secundùm quid tantùm; conceptus verò vniuocorum, & entis vt sic est vnus simpliciter, & per hoc distinguuntur tales conceptus; quòd satis ex supradictis, & ex dictis sect. præt. quæst. vlt. patet.

Sed dices contra: Si conceptus entis completi solùm esset vnus secundùm quid, quatenus actu includeret omnia analogata, licèt cõfusè; sequeretur dari æquiuocationem in cõceptu vltimato intellectus, siquidem daretur repręsentatio plurium, vt plura sunt. Præterea sequeretur etiam, quòd sensus huius propositionis, homo est ens completum, esset homo, est substantia, quantitas, qualitas &c. quòd est arsurdum. Et tandem sequeretur, quòd ille conceptus actu repræsentaret infinita, cùm infinita sunt analogata entis completi.

Resp. negando sequelam: Ad eius probationem dicimus primò, quòd ad hoc, vt esset æquiuocatio in conceptu vltimato, illa plura, quæ actu repræsentantur in illo conceptu entis completi, deberent repræsentari vt plura, id est vt nullo modo conuenientia, nec in proportione, nec in modo cõfusionis plura attingentis; sed vt explicitè diuersa. Conceptus autem cõfusè attingens plura, ipsa confusione ea vnit, solùmq; explicat vnitatem illorum plurium, non præcisionis, sed confusionis: vnitas autem confusionis requirit actualem pluralitatem eorum, quæ confusè accipiuntur. Sicut cùm videtur aliqua multitudo sub vna confusione.

822 Præterea dicimus, quòd in illa predicatione homo est ens completum, licèt prædicatum ens actu confusè omnia sua analogata respiciat, & non aliquam rationem determinatam, quæ in potentia cõtineat inferiora; tamen id, quod prædicat non sunt omnia illa, quæ materialite, & implicitè cõtinet, sed illa ratio, in qua omnia confunduntur, scilicet habere aliquẽ modum, vel differentiam, per quam essentialiter compleanplean-

litatis propriæ. Minor patet, quia vnumquodque, quod non est nihil, intrinsecè, & formaliter est ens.

818 Dices contrà cum P. Franc. Suarez in Metaph. disput. 28. & 32. nomen analogum proportionalitatis non significat vna impositione, sed pluribus analogata; sed hoc non habet ens respectu prædictorũ suorum inferiorum; ergo ens non est analogum proportionalitatis respectu illorum.

Resp. quòd maior vera est de analogis proportionalitatis metaphoricæ: non autem de analogis proportionalitatis propriæ, de quorum numero est ens respectu prædictorum suorum inferiorum.

Pro complemento huius quæst. quæres, an ens completum sit vniuocum, vel analogum, respectu suorum inferiorum? Ad hoc quæsitum vt respondeamus debemus primò notare, quòd ea, quæ vsquemodo de ente tradita sunt, dicta sũt de illo, vt sic, prout .s. abstrahit à completo, & incompleto; deinde quòd id est completum, quod positiuè non ordinatur ad componendum aliud: id verò incompletũ, quod potest aliud componere, v. g. quælibet species dicitur completa, sicut genus, & differentia dicuntur incompleta.

819 Secundò notandũ est: quòd ens est tantum accidentaliter completum, vel incompletum; nam quatenus transcendit aliquod completum, v. g. aliqua substantia completa, vt homo, dicitur completum: quatenus verò transcendit aliquod incompletum, v. g. aliqua substantia incompleta, vt rationale dicitur incompletum. Quòd tam eruditè probatur à nostro Oliua in Gemmea analoga par. 4. dub. 1. vt nihil mihi dicendum restet. Eum consulite.

Ex quibus patet solutio quæsiti; nam cùm ens completum non dicat aliquam vnam rationem, sed singulas tantùm rationes suorum inferiorum completorum, vt dicunt proportionem in hoc, quod vnumquoque completur per suum specialem modum, vel differentiam; ideò non est vniuocum, sed analogum proportionalitatis propriæ; nam licèt ens completum non includatur in modis, vel differentijs, ac proinde propter transcendentiam nõ sit analogum; tamen quia ipse in se continet modos, quibus redditur completum, à quibus nõ potest præscindi; ideò est analogum proportionalitatis propriæ, dicens conuenientiã assignatam, & diuersitatem prouenientem à modis.

820 Sed hinc quæres secundò: Per quid differt conceptus entis cõpleti à cõceptu entis vt sic, & à conceptu vniuoco? Vt ad hoc quæsitũ respõdeamus, debem⁹ notare, quòd præcisio, seu abstractio intellectus potest fieri dupliciter: vno modo simpliciter vnum segregãdo ab alio per conceptum, ita vt non includat illud, à quo separatur; sed fiat distinctio per inclusionẽ vnius, & exclusionem alterius, sicut quando separatur animal à rationali: alio modo præcisio non fit simpliciter, nec per exclusionem vnius rationis ab alio; sed penès magis confusum, & explicitum de eadem re, quod non variat res conceptas; sed modos cõcipiendi: sicut res visa à longè inconfusò, vel propè cum distinctione non variat res visas. Quæ

Quæ abstractiones facillimè per suum oppositum, quod est contractio, cognoscuntur; nam quãdo aliquis conceptus abstractus contrahitur per aliquod, de quo formaliter non prædicat; tunc illud fuit abstractum per exclusionem contrahentis; quando verò conceptus abstractus contrahitur per aliquod, de quo formaliter prædicat, tunc illud fuit abstractum, non per exclusionem contrahentis; sed per nõ explicationem eius, licèt actu illud includat, in confuso tamen. Vndè animal v. g. primo modo contrahitur per rationale, & abstrahitur ab ipso, vt ex se patet: & ens completum, v. g. secũdo modo; & abstrahitur, & contrahitur ad sua inferiora, vt intuenti patebit.

821 Ex quo sequitur, quòd simpliciter abstractum simpliciter est vnum, quia actu non includit id, à quo plurificatur: abstractum verò non simpliciter; sed per non explicationem illorum, à quibus abstrahi dicitur, est tantùm vnum secundùm quid; quatenus actu includit id, à quo plurificatur. Vndè dicitur vnũ, quatenus confundit plura, quæ actu continet.

Vndè ad quæsitum respondetur; quòd conceptus entis completi est vnus secundùm quid tantùm; conceptus verò vniuocorum, & entis vt sic est vnus simpliciter, & per hoc distinguuntur tales conceptus, quòd satis ex supradictis, & ex dictis sect. præt. quæst. vlt. patet.

Sed dices contra: Si conceptus entis completi solùm esset vnus secundùm quid, quatenus actu includeret omnia analogata, licèt cõfusè; sequeretur dari æquiuocationem in cõceptu vltimato intellectus, siquidem daretur repræsentatio plurium, vt plura sunt. Præterea sequeretur etiam, quòd sensus huius propositionis, homo est ens completum, esset homo, est substantia, quantitas, qualitas &c. quòd est arsurdum. Et tandem sequeretur, quòd ille conceptus actu repræsentaret infinita, cùm infinita sunt analogata entis completi.

Resp. negando sequelam: Ad eius probationem dicimus primò, quòd ad hoc, vt esset æquiuocatio in conceptu vltimato, illa plura, quæ actu repræsentantur in illo conceptu entis completi, deberent repræsentari vt plura, id est vt nullo modo conuenientia, nec in proportione, nec in modo cõfusionis plura attingentis; sed vt explicitè diuersa. Conceptus autem cõfusè attingens plura, ipsa confusione ea vnit, solùmq; explicat vnitatem illorum plurium, non præcisionis, sed confusionis: vnitas autem confusionis requirit actualem pluralitatem eorum, quæ confusè accipiuntur. Sicut cùm videtur aliqua multitudo sub vna confusione.

822 Præterea dicimus, quòd in illa predicatione homo est ens completum, licèt prædicatum ens actu confusè omnia sua analogata respiciat, & non aliquam rationem determinatam, quæ in potentia cõtineat inferiora; tamen id, quod prædicat non sunt omnia illa, quæ materialite, & implicitè cõtinet, sed illa ratio, in qua omnia confunduntur, scilicet habere aliquẽ modum, vel differentiam, per quam essentialiter compleán-

pleantur, & accidentaliter ens; hæc .n. est ratio non quæ præscindit, sed quæ confundit omnia;& hęc solùm explicatur. Istæ enim voces significat, prædicat, & similia, quæ important actum animæ,important appellationem supra obiectum, vt formaliter significatur, & prædicatur, & non ad id, quod materialiter includit,& confundit. Vndè illa prædicatio facit hunc sensum, homo est habens differentiam, per quam ipse essentialiter completur, & ens accidētaliter, quæ proportionaliter est similis differentiæ, per quam substantia, quantitas,qualitas,&c. essentialiter complentur &c. non tamen homo est substantia, quantitas, qualitas, &c.

Tandem diximus, quòd licèt infinita contineantur sub ente completo, reducuntur tamen ad vnam rationem communem iam explicatā, sub qua confunduntur, & ad prædicamenta finita.

823 Quæres tertiò, qua analogia ens est analogum respectu canis cęlestis, terrestris, & marini. Respondetur, quòd solùm respectu illorum est analogū proportionalitatis propriæ, non autem attributionis. Probatur: ens est propriè analogum respectu illorum, cùm sit supra probatum,non esse ęquiuocum,vel vniuocum respectu aliquorum suorū inferiorum; sed omne propriè analogum,vel est proportionis, vel proportionalitatis, vt supra ostēsum est, ergo cùm ens respectu illorum non possit esse analogum attributionis, necessariò erit in ordine ad illa analogum proportionalitatis propriæ. Consequentia quoad primam partem patet; quia ens non est analogū proportionis respectu inferiorum cōuenientium simpliciter in aliqua ratione superiori in esse entitatiuo, vt optimè ostendit noster Oliua in Gemmea analoga,par.4. dub. 4. sic: Quæ simpliciter conueniunt, nō dicunt dependentiam in esse entis; nā si in primo prædicato, quod est ens, explicarent dependentiam,non vniuocè conuenirent, quia omnia prædicata sequentia etiam ab ente dependerent;ergo quæ simpliciter cōueniunt, nō sunt analogata proportionis respectu entis.

824 Quęres quartò: Vtrum ens sit analogum, & qua analogia respectu indiuiduorum eiusdem speciei, v. g. respectu Petri,& Pauli. Ad primam partem huius quæsiti respondemus cum Comptono hìc disp 40. sect. 8. & cum nostro Oliua loc. cit. part. 2. dub. 6. quòd ens est analogū respectu Petri, & Pauli. Probatur: omne prædicatum transcēdens fundat analogiam, & illam exercet respectu illorum inferiorum,quæ transcendit; sed ens est transcendens respectu Petri, & Pauli; ergo respectu illorum est analogum. Maior patet ex supradictis sect. prętérita: Minor verò probatur; quia analogiā exerceri in aliqua ratione respectu aliquorum inferiorum, nihil est aliud, quàm,quòd prædicta inferiora conueniant, & differant in eadem ratione communi, & talis ratio prout sic ad illa comparetur,ex qua comparatione habeat secundam intentionē analogiæ; sed Petrus, & Paulus dicunt conuenientiam, & disconuenientiam in ente; ergo ens respectu illorum exercet analogiam;

Minor

Minor patet, quia ens transcendit prędicta sua inferiora; & vltimas differentias illorum, & in omnibus intimè clauditur, & ex vltimis illis differentijs, & ratione entis resultat vnũ simplex conceptus; ergo ex transcẽdentia sequitur conuenientia, & discõuenientia in eadem ratione communi; & ex consequenti Petrus, & Paulus dicunt cõuenientiam, & disconuenientiam in ente.

825 Deinde ad secũdam partem quæsiti dicimus, quòd ens est analogum tãtùm proportionalitatis propriæ, respectu indiuiduorum eiusdẽ speciei. Ratio est, quia radix huius analogiæ est trãscendentia entis, quę solùm est radix analogiæ proportionalitatis propriæ, vt ex dictis clarè deducitur.

Quæres tandem, qua analogia ens sit analogum respectu nouem genera accidentium. Resp. quòd est tantùm analogum analogię proportionalitatis propriæ; non autem attributionis. Ratio est, quia licèt accidentia vnum ab alio pendeat; quia tamen vnum tãtùm physicè ab alio dependet, non autem metaphysicè, vt optimè probat Masius in transcẽdentibus lib. 1. cap. 22. ideò non possunt analogari analogia attributionis in ente; analogantur igitur analogia proportionalitatis proprię iuxta supradicta.

Pro complemento huius quęstionis vellem vt notes id, quod vltimò aduertit noster Oliua in sua preciosissima Gemmea analoga, scilicet, quòd idem dicitur de proprietatibus entis, quod de ente; quia nonminus transcendentes sunt, ac ens, quod est radix, seu ratio à priori illarum.

QVAESTIO IV.
Quid sit accidens prædicamentale.

826 CVM ex superioribus quęstionibus constet, ens non esse vniuocum ad substantiam & accidens; & consequenter neque genus, clarum manet, quòd substantia, & accidens in diuersis collocantur prædicamentis. Vndè, vt sciamus, an omnia in eodem, vel in diuersis reponantur prædicamentis, aliquas quæstiones hoc loco excitabimus; Ex quarũ solutione apertè huius rei veritas constabit. Quid autẽ de substantijs in hoc sit dicendũ, disp. sequ. apparebit. At quia disput. 4 sect. vlt. dum explicauimus essentiam accidentis prædicabilis, promisimus essentiam accidentis prædicamentalis (de quo modò agimus) hìc explicare; ideò præsenti quæstioni primum locum damus. Ad cuius solutionem

Notandum est: quòd licèt Renatus des Cartes accidentia physica, & realia neget; tamen quia nouitatis studiosior fuit, quàm veritatis, vt benè ex professo ostendit Thomas Comptonus in vniuersa Philosoph. disput. 12 sect. 1. & seq. ideò quòd euidenti experientia constat, probare omittimus; Vndè relicta quęstione, *An sit*, venimus ad quęstionem, *Quid sit*, explicandam. Vndè

827 Sit conclusio: accidens optimè describitur sic: Accidens est, quòd non potest naturaliter existere, nisi sustentetur, vt *quod*, ab aliquo alio diuersæ rationis ab illo; idest quòd non sit accidens. Hæc descriptio non differt ab illa, quæ com-

communiter à Peripateticis traditur, .s. accidens est ens in alio, seu vt D.Tho. cui debetur esse in alio. Hęc secunda pars conclusionis patet ex se, & ex communi doctrina de natura accidentis à Doctoribus illam admittentes tradita; & ideò

Probatur secunda pars: Hæc definitio traditur per valdè intrinseca definito, & conuenit omni, & soli definito: ergo talis definitio est bona. Consequentia patet ex dictis in introductione lib. 2. sect. 2. Antecedens verò ex dicendis in solutionibus sequentium argumentorum manifestum manebit.

828 Primum argumentum: Illa definitio est mala, quæ traditur per superflua; sed hæc ita se habet, cùm tradatur per ly naturale, quod est superfluum; ergo est mala. Probatur minor: Omne accidens siuè naturale, siuè supernaturale non potest existere nisi substentetur vt *quod*, ab aliquo alio diuersæ rationis ab illo; ergo prædicta definitio traditur per superflua, seu ly naturaliter est superfluum in illa definitione. Antecedens patet; quia gratia, quæ est accidēs supernaturale numquam existit nisi substententur vt *quod*, ab aliquo diuersæ rationis ab illa.

Resp. negando minorem: Ad eius probationem distinguimus antecedens; omne accidens siuè naturale, siuè supernaturale non potest existere nisi substentetur vt *quod*, ab aliquo diuersæ rationis ab illo, naturaliter, concedo; supernaturaliter, nego. At licèt accidentia supernaturalia de facto nō existant nisi substentata ab aliquo diuersæ rationis ab illis; tamen hoc nō est, quia aliter existere non valeant; sed quia existūt naturaliter. Vndè est notandū, quòd est valdè diuersū, aliquid esse supernaturale, & existere supernaturaliter: nam quod est naturale, potest supernaturaliter existere, vt de facto contingit in accidentibus panis, & vini in Eucharistia: & è contra, quod est supernaturale potest naturaliter existere; vt contingit de facto in gratia iustorum, quæ est accidens supernaturale, eò quòd nequit produci viribus naturæ, neque ad exigentiam naturæ; sed gratis à summo Datore datur; & tamen in illis naturaliter existit, cùm vt *quod* à substantia animæ illorum substentetur, modò connaturali existendi omnium accidentium.

820 Secundum argumentum: Hæc definitio conuenit alijs à definito; ergo non est bona. Probatur antecedens: conuenit formæ substantiali materiali, & vnioni substantiali naturæ primæ cum forma substantiali, & subsistentiæ; nam ista nō possunt naturaliter existere; nisi ab alio vt *quod* substententur; forma à materia; vnio à materia, & forma; subsistentia à natura substantiali singulari existente; ergo hæc definitio conuenit alijs à definito.

Resp. negando antecedens: ad eius probationem negatur antecedens; nam licèt demus, quòd prædicta naturaliter non valeant existere nisi modo in argumento explicato; tamen ex hoc non sequitur, quòd eis conueniat definitio accidentis à nobis adducta; nam prædicta non substentantur à subiectis diuersæ rationis ab ipsis; nam non minus materia prima est substantia, quā forma

sub-

ſubſtantialis materialis, & vnio, quã vtraque pars vnita, & ſubſiſtentia, quàm natura ſubſtantialis ſingularis exiſtens; cum omnibus illis definitio ſubſtantiæ diſput. ſeq. adducẽda conueniat, vt intuenti patebit. Ex quo patet, quid ſit inhærere; propriè .n. inhærere nihil aliud eſt, vt ex dictis colligitur, quàm ſubſtẽtari, vt *quod* ab aliquo diuerſi generis ab ipſo, & quòd hoc ſolùm accidenti conuenit; non autem alicui ſubſtantiæ.

830 Vltimum argumentum: ſi definitio accidentis à nobis adducta eſſet bona, aptitudinalis inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, ſed hoc non; ergo neque illud. Probatur minor: nulla relatio poteſt eſſe de eſſentia alicuius abſoluti; ſed aptitudinalis inhærentia eſt relatio, & plura accidentia ſunt abſoluta; ergo aptitudinalis inhærentia non eſt de eſſentia accidentis.

Reſp. negando minorem: ad eius probationem diſtinguimus maiorẽ: nulla relatio poteſt eſſe de eſſentia alicuius abſoluti, nulla relatio prędicamentalis, concedo: nulla relatio tranſcendentalis, nego. Deinde eodem modo eſt diſtinguenda minor: aptitudinalis inhærentia, quæ eſt de eſſentia accidentis, eſt relatio ſecundùm eſſe, nego; tranſcendentalis, cõcedo. Nihil enim facit contra dicta id, quod aliqui dicunt, .s. quòd hoc nomen inhęrentia aptitudinalis videtur ſignificare aliquam relationẽ prædicamentalem; nam communiter à Logicis hoc nomen vſurpatur ad dictam relationem tranſcendentalem ſignificandam. Loquendum autem eſt cum multis.

831 Sed inſtabis cum De Raconis in metaph. ſect. 2. de accidente, vbi ſuſtentat, quòd nulla inhęrentia, ſed tantùm habitudo ad ſubiectum eſt de eſſentia accidentis in genere: ſi inhærentia aptitudinalis eſſet de eſſentia accidẽtis in cõi, deberet neceſſariò cõuenire omnibus inferioribus, quia quod conuenit alicui ſuperiori eſſentialiter cõuenire debet omnibus inferioribus eius; ſed aptitudinalis inhærentia non conuenit omnibus inferioribus accidentibus; cùm quædam ex illis ſunt, quæ inhęrere non poſſunt; ſed tantùm poſtulant aut eſſe à ſubſtantia, vt actio ab agente; aut circa ſubſtantiam, vt denominationes extrinſecæ; ergo aptitudinalis inhærentia non poteſt eſſe de eſſentia accidentis.

Reſp. quòd licèt actio vt actio ſit ab agente, tamen vt accidens, eſt in aliquo ſubiecto. Vndè miror, quòd hìc Doctor talem opinionem ſuſtineat, cùm in Logica tract. 2. de cathegorijs, quæſt. 5. & 6. de actione, & paſſione ſic dicat: Rurſus actio diuiditur in immanentem, & tranſeuntem. Immanens eſt, quæ in eodem, à quo orta eſt, principio recipitur, vt actio intellectus, quæ ab intellectu proficiſcitur, & in eodem recipitur, ac manet. Tranſiens autẽ illa eſt, quæ in ſubiecto externo recipitur, vt calefactio ignis in ligno. Et in phyſica diſput. de motu, quæſt. poſtrema, propoſ. 5. dicit, quòd motus ab actione non differt realiter; & propoſ. poſtrema, quòd motus eſt in materia inhęſiuè. Circa verò denominationes extrinſecas iam diximus diſp. 2. quæſt. 3. ad vlt. inhærere

rebus,

rebus, quibus inhærent formæ, à quibus proueniunt, ibi videte.

QVAESTIO V.
Vtrùm accidens sit vniuocum, vel analogum respectu suorum inferiorum.

832 SVpposito, quòd accidens prędicamentale non sit equiuocum respectu suorum inferiorum, quia, vt infra cõstabit, inferiora illius non omninò differunt; ideò solùm quærimus in hac quæstione, an sit vniuocum, vel analogum. Ad cuius solutionem.

Sit prima conclusio: Accidens nullatenus est vniuocum respectu suorum inferiorum, sed analogum. Probatur: accidens, prout abstrahit à completo, & incompleto, non est vniuocum, neque accidẽs completum; ergo nullum; & consequenter vtrumque erit analogum. Antecedens quoad primam partem probatur, quia accidens sic abstractum est transcendens, & intimè inclusum in omni differentia, & modo cuiuscũque accidentis, sicut ratio entis in omni ente, modo, & differentia illius; sed transcẽdentia est causa analogiæ iuxta superius dicta; ergo illa ratio sic abstracta non erit vniuoca, sed analoga.

833 Deinde probatur idem antecedens quoad secundam partem: accidens completum non dicit aliquam vnam naturam communem omnibus; sed potiùs dicit ipsos modos, quibus complentur, & constituuntur prædicamenta accidentiũ, sicut dicebamus de ente completo; ergo accidens completum non est vniuocum, sed analogum. Consequentia patet, quia affert actu diuersitatem prouenientem à modis; antecedens verò ex solutione sequentis obiectionis constabit.

Dices contra: accidens completum omninò æqualiter participatur ab omnibus nouem generibus accidentium; ergo est vniuocum ad illa. Antecedens patet, quia quolibet genus accidentis est accidens completum indepẽdenter ab alio, & vnumquoque est simpliciter tale.

Resp. quòd accidens completum non dicit aliquam rationem realem, quæ sit communis omni prædicamento accidentis, quia accidens in sua linea non habet aliquid, quo cõpleatur, ita vt illud sit cõmune omni accidenti completo; sed completur per modos constituentes prædicamenta, quos omnes dicit accidens completum; & ideò dicit, sufficientem diuersitatem actualem; nam diuersitas actualis prouenit à modis; & ideò cùm isti afferuntur in cõceptu accidentis completi, talis conceptus est analogus.

834 Sed contrà instabis; substantia habet aliquid, per quod compleatur in ratione substantiæ, quod est commune omni substãtiæ completæ .s. modos essendi per se; & ideò substantia completa est vniuoca respectu omnium substantiarum completarum; ergo & accidens eodem modo complebitur per modum essendi in alio. Antecedens est certũ. Consequentia verò à paritate rationis est etiam manifesta.

Resp. quòd est dispar ratio de substantia, & accidente; nam substantia per modum essendi per se constituitur in ratione totius, vt *quod*, & ideò est

est complementum illius metaphysicum: inhæsio autem non solùm non constituit aliquod totum, vt *quod*, sed est ipsa communicatio accidentalis in subiecto; sed etiam non potest complere accidens per modũ complementi metaphysici; nam inhæsio non pertinet ad quidditatem accidentis, sed est quasi causalitas *illius*; & ideò talis inhæsio solũ pertinet, quantùm ad esse accidentis, & nõ quantùm ad quidditatem; & ideò nullo modo potest complere accidens in communi.

Secunda conclusio: licèt de accidenti completo, & de ente completo circa analogiam, & præcisionem conceptus eodem modo debeamus discurrere, nõ tamen eodem modo res se habet in accidente, vt sic, & in ente vt sic; nam licèt de accidente vt sic circa analogiam proportionalitatis propriæ, & circa præcisionem cõceptus eodẽ modo sit philosophandum, ac de ente vt sic: non sic tamen circa analogiam attributionis, quæ, licet conueniat enti vt sic, vt ostendimus quæst. 3. non tamen accidenti vt sic.

835 Tres partes habet hæc conclusio, quarum prima est manifesta, quia sicut ens completum non habet aliquem modum proprium, per quem compleatur; sed completum dicitur per modos, & differentias, complẽtes sua inferiora: ita & accidens completum nõ habet aliquem modum proprium, per quem compleatur; sed completum dicitur per modos, vel differentias, per quas cõplentur sua inferiora, vt supra ostendimus; ergo cũ analogia entis completi causetur à modis, vel differentijs, à quibus dicitur completum, & ab illis impediatur eius præcisio; cõsequens est, vt de accidenti completo, & de ente completo circa analogiam, & præcisionem conceptus, eodẽ modo debeamus discurrere.

Secunda pars conclusionis etiam constat, quia ex hoc, quod ens, vt sic transcendent sua inferiora, est analogum proportionalitatis propriæ ad illa, & non obstante tali transcendẽtia verè ab illis præscindit; ergo, quia accidens vt sic est transcendens ad sua inferiora, erit analogum proportionalitatis propriæ respectu illorũ, & non obstante tali transcendentia præscindit ab illis; & consequenter circa analogiam proportionalitatis propriæ, & circa præcisionem conceptus eodẽ modo est philosophandum de accidente vt sic, ac de ente vt sic.

836 Tandem tertia pars conclusionis, .s. quòd licet analogia attributionis conueniat enti vt sic, vt supra ostensum est, nõ tamen accidenti vt sic conuenire potest. Ex hoc constat, quia sic se habet accidens vt sic ad omnia accidentia, sicut ens vt sic ad omnia accidẽtia, sed ens vt sic non est analogum attributionis respectu omnium accidentium; ergo neque accidens vt sic erit analogum attributionis respectu omnium accidentium. Maior constat, quia accidens, vt sic omnia accidentia transcendit, non secus ac ens vt sic. Minor verò est nota ex his, quæ diximus quæst. 3.

Ex quibus omnib⁹ sequitur, quòd sicut ens nullo modo potest esse vniuersale, cùm nullatenus possit esse vniuocũ, & cõsequenter neque genus:

genus: ita & accidens neque genus esse aliquo modo potest, neque vniuersale. Et dicta sint satis de hac sectione, qui plura vult, legat nostrum Oliuam, sæpè in hac disput. citatum.

SECTIO VLTIMA, De Prædicamentis in communi.

Vt completam notitiam antepredicamētorum habeamus, præsentem sectionem hìc proponimus, in tres quæstiones excitabimus, in quibus ea, quæ in hac disputatione desiderabantur, breuiter, & facilè soluentur; & ideò sit.

QVÆSTIO I. Quid, & quotuplex sit prædicamentum.

837 VT primæ parti tituli huius quæstionis satisfaciamus, notandum est, quòd cathegoria, seu prædicamentum sic debet describi: est prædicabilium coordinatio, in qua superiora de inferioribus quidditatiuè prædicantur, ab vno supremo genere, quod prædicatur de omni inferiori vsque ad indiuiduū, quod subijcitur omni superiori, v.g ordo, qui reperitur inter prædicata quidditatiua indiuiduorum substantialium, v.g. Petri, .s. quòd homo, qui dicitur species infima, de ipso immediatè prædicetur, & ipso mediante animal, & eo mediante viuens, & mediante viuente corpus, qui tres gradus, seu prædicabilia species, & genera intermedia dicuntur, vt explicauimus disp. 3. sect. 1. & 2. & tandem substantia omnibus illis mediantibus, quæ dicitur genus supremum illius prędicamenti, quia supra se nullum prædicatum vniuocum habet, vt loco citato explicauimus; & de omnibus illius prædicamenti quidditatiuè prædicatur.

Quia cognitio categoriarum est omninò necessaria non solùm ad cognoscendam materiam enunciationum, quia illæ enunciationes sūt in materia naturali essentiali, quorū subiectum, & prædicatum intra seriem eiusdem categoriæ continentur: & illæ, quæ sunt in materia contingenti habent subiectum, & prædicatum intra ambitum diuersarum categoriarum; sed etiam ad rectè definiendum: nam definitio essentialis metaphysica debet ex vltimo genere, & vltima differentia constare; non enim possumus cognoscere, quòd genus sit proximum, & quænam differentia vltima alicuius rei, nisi beneficio categoriarum; tum etiam ad rectè construendas diuisiones totius potentialis vniuoci, quæ sine adiutorio categoriarum non possint facilè formari, vt ex se satis est manifestum; tum tandem ad argumentandum, vt .s. sciamus, quæ argumentationes sunt demonstrationes, quæ verò non; quòd non potest perfectè cognosci nisi per recursum ad categorias, vt inuenti patebit. Ideò iure optimo in Logica de categorijs agitur.

838 Vt autem secundum quæsitum tituli huius quęst. soluamus, debemus notare, quòd circa numerū categoriarum variæ fuerunt sententię antiquorum Philosophorū. Quidam enim ex illis numerum denarium prędicamētorum minuerunt, & quidam illud auxerunt, quorum placita diligenter referuntur à Masio hìc, sect. 2. quęst. 1. & à nostro

La-

Lalemand. hìc, qui diligenter inter alia refert, & soluit opinionem, seu potiùs somniũ cuiusdã Fausti Vernãtij in opusculo intitulato, Logica noua reformata; circa quòd si placet curiositatis gratia eum consulite.

Id autem in hac re mirũ est; quod de Raconis tract. 2. de catheg qu. 2. art. 2. licèt Peripateticus profiteatur esse, sic ait: Omnia, quæ à Peripateticis afferuntur pro denario categoriarum numero parũ vrgent; ostendunt enim tantùm dari substãtiam, quantitatem, qualitatem, & cætera accidentia supradicta, sed non probant esse suprema genera, & distinctas constituere categorias, in quo difficultas tantùm posita est.

Quapropter erroris præteriti pęnitentia ducti crescente ætate, & industria, decreuit apud nos numerus categoriarum, & ad binarium contractus est, ad substantiam .s. & accidens, omnibus substantijs sub substantia, tanquam sub genere supremo, & omnibus accidentibus, sub accidente, vt altero supremo genere, collocatis.

Serò sapiunt Phryges, vt commune habet adagium, serò philosophamur, & veritatem ipsam, Philosophorum cõtentione, tanquam velo obtectam, detegimus, asserimusq; nullum esse categoriarum numerũ, sed vnam tantùm dari categoriam, nimirum ens creatum completum, ad quod, tamquam ad genus supremum, omnes substantiæ, & accidentia reuocentur.

Mirum, inquam, est; nam quis magna ab hoc auctore non expectaret in hac quæstione viso tam magno apparatu verborum? sed certè ita communia sunt apud Philosophos; & consequenter ita patens solutio eorum, ex dictis in præt. sect. vt non solùm superfluum existimarem ea referre; sed etiam mihi videtur hic posse ad rem dicere illud: *Parturient montes, & nascetur ridiculus mus;* & ideò

Sit conclusio: Decem sunt prædicamenta, nec plura, nec pauciora, quæ ab antiquis Peripateticis fuerũt clausa his versibus:

Arbor, Sex, Seruos, Feruore, Refrigerat, Vstos,
Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero.

Ex quibus Arbor significat, substantiam; Sex, quantitatem; Seruus, relationem; Feruor, qualitatem; Refrigero, actionem; Vstos, passionẽ; Rus, vbi; Cras, quando; Sto, situm esse; tunicatum esse, habere.

840 Probatur conclusio: datur substantia, quantitas, &c. & omnia ista inter se realiter distinguuntur, & in his omnib⁹ potest fieri coordinatio prædicabilium, in qua &c. & nulla ex illis habent aliquid commune vniuocum: & omnia alia ad ista facilè reducuntur; ergo decem sunt prædicamenta, nec plura, nec pauciora, .s. substantia &c. Antecedens habet quatuor partes, quarum prima probant omnes rationes, quæ ad probandum denarium numerum prędicamentorum, ab omnibus ferè Peripateticis adducuntur, vt rectè notat de Raconis, quem in hoc sequitur noster Lalemand. hìc disput. 8. par. 8. qui etiam ferè omnes illas rationes ibidem adducit, & eas parũ in re discrepantes esse censet, sed solùm penès varios eas proferẽdi modos. Et magis ex dicendis infra pate-

patebit, ficut & fecunda pars eiusdē antecedentis: tertia verò ex dictis fect. præterita eft fatis nota. Vltima verò ex hoc eft manifefta: quia oīa creata, quæ nō funt fubftantia completa, vel quantitas completa, &c. funt modi, vel partes illarum; modi autem, & partes alicuius rei ad prædicamētum illius rei cuius funt modi, vel partes reducuntur, vt quæft. 3. dicemus.

841 Pro complemento eft notādum, quòd P. Arriaga difp. 3. Metaph. fect. 1. circa diuifionem entis in decem prædicamenta fic ait: *Iam mirandum eft, qualia hic non dicant viri aliàs docti, & graues, vt poft tot vitia (ferè enim habet omnia feptem mortalia) exactiffimam hanc diuifionem effe demonftrent*. Ego .n. exiftimo, quòd illa vitia non fint mortalia, fed fcrupula Pharifaica; nam fi non obftantibus illis vitijs exactiffimam effe demōftretur, vt nos facimus, certè illa vitia non poffunt non effe fcrupula Pharifaica, vt intuēti patebit; & ideò quòd fæpè refponfum fuit Pharifeis fcrupulizantibus, debebam illi refpondere: Sed quia aliquis ex fuis, s. P. Teles part. 3. in Metaph. difp. 52. fect. 3. illi iam refpondit, contentus ero fuam refponfionem hìc referre, quæ fic fe habet: Contra prędicamentornm numerum infurgit P. Arriaga in Metaph. difp. 3. fect. 1. & hanc diuifionem rifu, ac ioco exibilat; fed ipfe potius irridēdus, quòd rem feriā nimis iocularitet tractet.

Argumenta, quæ contra prædictū denarium numerum prædicamentorum ab aliquibus auctoribus, quæ potiùs oftentationis, quàm veritatis patefaciendi gratia adducuntur, vt infinuat nofter Lalemand. loco cit. apud ipfum ibidē foluta videri poffunt; & difput. feq. fuis locis à nobis foluentur.

842 Dices contrà: Datur vnum prædicamentum entis rationis; fed illud non eft aliquod ex decem enumeratis; ergo vltra illa datur aliud; & confequenter prædicamenta non funt tantùm decem.

Refp. negando maiorem: nam entia rationis ficta fine fundamento in re, quæ chimeræ dicuntur, reducuntur ad prædicamenta, in quibus funt partes, ex quibus illa entia ab intellectu finguntur: entia rationis verò ficta, cum fundamento in re, vt negationes, & priuationes reducuntur ad prędicamenta illarum rerum, quarum funt negationes, & priuationes: vt non homo ad prædicamētum fubftantiæ, & cæcitas ad prędicamentum qualitatis. Prętereà relationes rationis fictæ cum fundamento in re, ad prædicamentum relationes, ad cuius fimilitudinem finguntur, reducuntur. Quæ omnia eruditiffimè à noftro Lalemand. hìc difp. 6. partit. 9. decif. 1. contra aliquos DD. explicantur. Et tandem entia rationis logicalia directè in prædicamento relationis collocari contra communem fentētiam probabo difp. feq. fect. 3.

QVÆSTIO II.

An prædicamenta diftinguantur realiter inter fe.

Diligenter confideratis ijs, quæ de diuifionibus tradimus difp. 3. fect. 1. qu. 5. notandum eft, quòd aliqui putant diftingui prædicamēta tan-

tantùm ratione ratiocinatâ; & alij realiter, vt res à re; & tandem alij existimant, quòd licet aliqua prędicamenta realiter, vt res à re distinguantur inter se: alia tamen solùm realiter modaliter distingui dicunt; sed his non obstantibus.

843 Sit prima conclusio: inter quęcũque prędicamenta non sufficit aliqua distinctio rationis; sed necessaria est aliqua distinctio realis actualis. Probatur: res diuersorum prędicamentorum habent essentias ita diuersas, vt à parte rei vna actu non sit alia, adeo vt si nullus esset intellectus, adhuc essentia vnius non esset actu essentia alterius, v.g. essentia quantitatis, nõ esset essentia qualitatis; & sic de alijs, & genera suprema illorum sunt à parte rei primò diuersa, idest in nullo vniuoco conuenientia; ergo inter omnia prędicamenta necessaria est aliqua distinctio realis actualis.

Confirmatur: Distinctio realis actualis versatur inter ea, quorum vnum à parte rei actu non est aliud; sed quæ spectant ad diuersa prędicamenta ita se habent; ergo inter res diuersorum prędicamentorum necessaria est distinctio aliqua realis actualis. Minor patet, quia ea, quæ actu à parte rei habent diuersas essentias, actu à parte rei sunt diuersa; nam quæ sunt actu à parte rei diuersa, actu à parte rei habent diuersas essentias; cùm autem ita se habeant ea, quæ sunt in diuersis prędicamentis; consequens est, vt quæ spectant ad diuersa prędicamenta, vnum non sit actu à parte rei aliud.

844 Secunda conclusio: Distinctio realis actualis, quæ reperitur inter prędicamenta, non est realis modalis; sed est realis rei à re. Probatur: illa distinctio realis actualis non est modalis, sed rei à re, cuius extrema nullũ est modus, sed vtrũque est res; sed distinctio realis actualis, quę versatur inter prędicamẽta, est huiusmodi; ergo non est modalis, sed rei à re. Maior patet ex dictis loco cit. Minor verò probatur: omnia, quæ directè collocantur in quocumque prędicamento sunt res; ergo extrema distinctionis prædicamentorum nullum est modus, sed vtrumque est res. Antecedens patet, quia ea, quæ directè in prædicamentis collocantur, debent esse entia completa; nam ens completũ est, quod diuiditur in decem prędicamenta; sed esse ens completum est contra rationem modi, & essentialiter conuenit rei, prout res à modo distinguitur, vt patet ex loco in initio quęstionis citato; ergo omnia, quæ directè in quocumque prædicamento collocantur, sunt res. Alias probationes huius conclusionis libenter adducerem; at hæc sufficiens pro nunc existimatur, quæ vna enim cũ conclusione fiet manifesta ex dicendis disput. seq.

Sed quæres, quanam distinctione rei à re distinguuntur prędicamenta inter se? Resp. quòd essentiali, nam hæc causatur à principijs essentialibus, vt explicauimus loco cit. quod verè conuenire distinctioni rei à re prædicamentorum, ex dictis vsquemodò in hac quæstione satis cõstat.

845 Primum argumentum contra primam conclusionem: illa distinctio est sufficiens inter prædicamenta, quæ sufficit ad saluandam distin-

distinctionem essentialem inter extrema; sed sola distinctio rationis ratiocinatæ est sufficiens ad hoc: ergo sola distinctio rationis ratiocinatæ sufficit ad distinguenda prędicamēta. Probatur minor; in vna, & eadē entitate reali possunt inueniri à parte rei varia, & diuersa prædicata essētialia; ergo in re vna possunt à parte rei inueniri diuersæ essentiæ, quæ in re nō distinguantur, sed solùm prębeant fundamētum, vt ab intellectu distinguantur, quæ distinctio rationis ratiocinatæ est: quod patet in calore; nam idem numero calor pertinet ad primam speciem qualitatis, prout disponit subiectum, vt benè, vel malè se habeat in ordine ad suā naturam, & pertinet ad secundam speciem prout est potentia ordinata ad calefaciendum.

Resp. negando minorem: Si intelligatur de distinctione essentiali adæquata; quia repugnat dari duas essentias adæquatas, ita vt vna adæquatè sit constituta, & similiter alia; & quòd inter istas, & ipsas res constitutas nō sit distinctio realis actualis, ac proinde si vtraque essentia adæquata est constitutiua rei perfectæ, distinctio realis actualis erit rei à re: si verò aliqua saltim constituat modum, erit distinctio realis modalis. Ad probationem dico, quod in vna, & eadem entitate non possunt conuenire varia, & diuersa prædicata constitutiua diuersas essentias reales adæquatas; benè tamen eandē adæquatam essentiam; & ideò genus, & differentia, licèt inter se differant essentialiter, quia tamen concurrunt inadæquatè ad constitutionem adæquatam eiusdem essentiæ; ideò non distinguuntur realiter actualiter, & idem est de natura, & singularitate, quæ sunt inadæquata, & adæquatè constituunt indiuiduum. Ad exemplum autem de calore dico, quòd calor, qui est dispositio ad formam ignis est distinctus realiter ab illo, qui se habet per modum potentiæ naturalis; nam ille præcedit formam ignis; iste verò subsequitur ad illam, vt propria passio illius.

846 Vltimum argumentum contra secundam conclusionem: plura prędicamenta sunt modi respectu substantiæ, v. g. relatio, & sex vltima prædicamenta; ergo non omnia prędicamenta distinguuntur inter se distinctione reali rei à re; sed aliqua distinguuntur distinctione reali modali.

Resp. quòd, vt constat ex dictis, nullum prædicamentū verè, & propriè est modus, licet aliqua propter suam imperfectionē respectu aliorum valdè assimilentur modis; pro quo videte ea, quæ de modis dicemus loco in initio quæst. citato. Eaque contra nostram primam cōclusionem à nostro Lalemand. disp. 6. partit. 9. & à Telez part. 3. in Metaph. disp. 52. sect. 4. adducuntur, commodiùs soluentur disputatione seq.

847 Id autem, quod mirum est in hac re, sunt ea, quæ scribuntur à Cōptono, disput. 10. Metaph. sect. 3. scilicet: hìc tandem est notandum, non omnia prædicamenta distingui realiter, imò neque ratione ratiocinata semper secundùm diuersas formalitates; sed aliqua distinguuntur solùm penès explicitum, & implicitum. Prima pars constat in actione, & passione, quæ secundùm communem

munem sententiam nō distinguuntur realiter. Secunda pars ostenditur in Situ, & Vbi, imò & in Actione, & Passione, quæ non videntur aliter distingui posse, quàm penès explicitum, & implicitum. Hæc ille. Quæ omnia esse falsa constat ex dictis, & magis ex dicendis disp. seq. constabit.

QVAESTIO VLTIMA.
An omnia eodem modo in Prædicamentis collocentur.

OMnia creata contineri aliquo modo in vno ex decem prædicamentis innuimus quæst. 1. & est res per se manifesta; nam hoc vniuersum est ita perfectum, vt omnes eius partes, etiam minutissimæ mirificum inter se seruent ordinem, vt constabit tom. 1. introductionis ad apicem verorum Philosophorum; & ideò quod in hac quæstione quærimus, est, an omnia eodem modo in illis collocentur. Pro quo

848 Notandum est primò, quòd ea, quæ collocantur in prædicamentis vno ex his tribus modis ibidem esse dicuntur .s. vel directè, seu in recta linea; vel indirectè, seu ad latus, vel reductiuè. Ea, quæ directè, seu in recta linea collocantur in prędicamētis, vel sunt genera suprema illorum, vel de illis quidditatiuè prędicatur genus supremum illius prædicamenti, in quo directè collocantur: illa verò collocantur indirectè, seu ad latus alicuius prędicamenti, quæ non sunt genera suprema, nec de illis aliquod genus supremum formaliter prædicatur; illa tamen quidditatiuè prędicantur de aliquo ex illis, quę per se collocantur in illo prędicamento, in quo ad latus contineri dicuntur. Et tandem illa reductiuè ad aliquod prędicamentum spectant, de quibus genus supremū illius prædicamenti in obliquo tantum prædicatur; & illa quidditatiuè non prædicantur aliqua prædicatione de aliquo per se contento in illo prędicamento, ad quod reductiuè pertinent. Vt autem intelligamus, quęnam directè, seu in recta linea prędicamentorum collocentur, quę verò non.

Notandum est secundò, quòd ad hoc, vt aliquid directè, seu in recta linea alicuius prędicamenti collocetur, sequentes quatuor conditiones debet obseruare; debet .n. esse vniuocū, completum, finitum secūdùm essentiam, & incomplexum.

849 Quòd autem ea, quæ in prædicamentis directè, seu in recta linea collocantur, debeant esse vniuocā, vel saltem eorum natura, seu essentia debeat esse vniuoca, patet ex descriptione prędicamenti adducta quæst. 1. nam, vt ex illa constat ea, quæ directè in illa collocantur, vel sunt indiuidua, vel vnum ex duobus primis vniuersalibus essentialibus, scilicet genus, vel species; cùm autē tàm genus, quàm species sint vniuoca, consequens est, vt ea, quæ directè ponuntur in prędicamentis, debeant esse vniuoca; vel saltim eorum essentia debet esse vniuoca.

Per quam conditionem pręcipuè reijciuntur analoga ob transcendētiam, .s. ens, accidens &c. namlicèt ista analoga valde assimilentur vniuocis, non solùm in hoc, quod habent vnum conceptum tàm forma-

dem, quàm obiectiuum simpliciter præcisum à suis inferioribus; sed etiā in hoc, quod de suis inferioribus formaliter prædicentur; tamen quia ab his differunt in hoc, quòd cōceptus obiectiuus eorum, licèt sit simpliciter vnus, non tamen est omninò vnus, sicut conceptus obiectiuus vniuocorum, quia secundùm quid est multiplex, quatenus .s. secundū id, quod virtualiter, & radicaliter importat, est multiplex, iuxta supradicta sect. præterita; ideò non ad vnū prædicamentum, sicut vniuoca spectant, sed plura transcendunt prædicamenta.

850 Vt explicemus secundā conditionem eorum, quę directè in prędicamētis collocātur; scilicet, quod debeat esse completa, est notandū: quòd duobus modis aliquid potest dici completum, .s. vel physicè, vel metaphysicè; idest completum physicè, quod naturaliter existere valet sine consortio alterius eiusdem prędicamenti, v.g. indiuidua corporum substātialium: vt Petrus, qui est quid completum; eo quòd sine cōsortio, idest sine vnione cum alio sui generis, idest cum alia substantia, existere valet; & etiam indiuidua substantiarum spiritualium; v.g. Gabriel. Formæ verò substantiales materiales nullatenus sunt quid physicè completum; & consequenter sunt quid physicè incompletum; nam non valent naturaliter existere, si non sunt aliquo modo vnitæ cum materia prima, vel in formando ipsam, vel sustentando se in illa, & Chaos vnà cum illa componendo; quomodo hoc fiet? tom. 1. introductionis ad apicem verorum Philosophorum explicabitur. Anima verò rationalis est quid in ordine spirituali completum cùm se sola sicut & alij spiritus naturaliter existere valeat; & licèt sit vera pars substantialis hominis, vtpotè vera forma substantialis illius; quia tamen homo est quid materiale, hoc non tollit ab ea rationē completi, & totius, quem non habet in ordine materiali, sed in alio .s. spirituali. Materia prima, licèt naturaliter existat sine hoc, quod actu cōponat vnum per se substantiale, vnà cum aliqua forma substantiali; tamen quia nō potest naturaliter existere sine hoc, quod vel vnum per se substantiale cum aliqua forma substantiali constituat, vel sine hoc, quod vnà cum multis formis substantialibus non componat in propria sphęra Chaos illud materiale, de quo latè loco cit. hinc est, quòd est quid incompletum.

851 Indiuidua etiam accidentiū sunt quid completum; eò quòd licet non valeant naturaliter existere sine eo, quod cum suo subiecto aliquod vnum constituant; tamen illud vnū non est sui generis, v. g. albedo non potest naturaliter existere nisi constituat niuem, vel cignum album; tamen quia nix alba non est in genere qualitatis sicut albedo, sed reducitur ad duo genera .s. substantiæ, & qualitatis, ideò albedo est quid completum. Demum partes integrantes si separatæ existere naturaliter possunt cum forma sui totius, vel cū forma eiusdem speciei cum toto, sunt quid completum, vt patet in partibus integrantibus aquæ: secus verò si nō possunt naturaliter existere separatæ à suo toto, cum forma saltim eiusdē speciei

speciei cum forma sui totius: vt patet in singulis partibus integrantibus corporis leonis.

Id verò dicitur metaphysicè completũ, quod potest vniuocè in quid prędicari de aliquo sui generis physicè completo: huius modi sunt tãtùm genera, & species, vt satis ex se constat; nam differentiæ nõ in quid, sed in quale quid prędicantur de entibus physicè completis, vt explicauimus disp. 3. sect. 4.

852 Sed dices: Anima prędicatur in quid de anima rationali; anima rationalis de anima rationali Petri, & Pauli; & anima rationalis Petri, & Pauli sunt quid physicè completum ex supradictis; sed anima, & anima rationalis non sunt metaphysicè completæ, vt iam à nobis concessum est disp. 4. sect. 2. q. 1. Ergo malè dicimus, quòd id est metaphysicè completum, quod prędicatur in quid de aliquo physicè cõpleto.

Resp. quòd licet anima vt sic, sit genus ad animam sensitiuam, & rationalem, &c. & anima rationalis ad hanc, & illam animam rationalem sit species; & consequenter in quid de illis prędicetur, modo explicato, loco citato in argumento; tamen ratio animæ rationalis non est species, neque in quid prędicatur de anima Petri, & Pauli; ratio est, quia ratio animæ rationalis non dicit totam essentiam animæ Petri, neque partẽ essentialiter perfectibilem, sed partẽ essentialiter perficientem, s. differentiam, per quam anima Petri differt essentialiter ab alijs spiritibus, vt ab Angelis, v.g. & ideò in quale quid de illa prędicatur, & non in quid. Sicut enim rationale est species respectu illius, & istius rationalis, vt ostendimus disp. prętér. sect. 3. quæst. 3. & respectu Petri, & Pauli non est species, sed est differentia essentialis: ita in pręsenti res se habet, vt diligenter intuenti patebit. Vndè animæ hominum appellantur animæ rationales à differentijs essentialibus, per quas ab alijs spiritibus essentialiter differunt, & non à tota essentia illorum, neque à gradu generico; sicut aliqui alij spiritus ab officio, ad quod sunt destinati, Angeli appellantur.

853 Tertia conditio eorum, quæ directè in categorijs ponuntur est, quòd sint finita secũdùm essentiam; per quod excluditur Deus ab omnibus prędicamentis. Ratio huius cõditionis est; quia ea, quæ directè in aliquo prædicamento continentur, vel sunt genus supremum illius, vel de illis genus supremum talis prędicamẽti quidditatiuè prędicatur: Ens autem infinitum secundùm essentiã non potest esse genus supremum; quia infinitum secundùm essentiam est actus purus; actus autem purus omnem potentialitatem excludit, qualẽ essentialiter includit quodcũque genus; propter quod nec genus aliquod quidditatiuè de infinito secundùm essentiam prędicari valet; nã quod prædicatur quidditatiuè de alio, in illo essẽtialiter debet includi.

Per quam conditionem non excluditur linea infinita si daretur à prædicamento quantitatis; quia illa nõ esset infinita essentialiter, sed tantùm accidentaliter: cùm autem res ratione essentiæ in prædicamentis ponantur, quæ habebunt essentiam finitam, & alias conditiones reponibilium in prędicamentis obseruabũt

 in

in illis absque dubio, quamuis accidentaliter sint infinita, reponentur.

Nec valet si cum nostro Lalem. hic disput. 6. partit. 12. defendente Deum collocari in prędicamentis dicas, quòd linea infinita esset infinita quanta, sicq; ab intrinseco quanta, imò essentialiter quanta; quia esset essentialiter quantitas, & per consequēs esset essentialiter infinita; quod enim essentialiter est quantum, & infinitè quantum, illud ex consequenti debet esse essentialiter infinitum. Ex quo deducit, quòd quāuis Deus sit essentialiter infinitus, quòd propter hoc non debet excludi à prędicamentis; sed in illis collocari, sicut linea infinita.

854 Non, inquam, hoc valet; quia licèt linea illa infinita, esset essentialiter quantitas; & quantitas illa lineæ esset infinita, non sequitur, infinitatē aliter conuenire lineæ quàm quantitati illi; cùm autem infinitas illa accidentaliter conueniret illi quantitati; nam infinitas illa solùm adderet illi quantitati maiorem extensionē; maior autem, & minor extēsio sunt accidentia quantitatis; nam quantitates magis, vel minus extensæ non differunt species, sed tantùm accidētaliter; & ideo accidentaliter etiam conuenirent illi lineæ. Ex quibus satis cōstat, nullam esse consequentiam illius.

Quarta, & vltima conditio, eorūq; directè in prędicamentis collocantur est vt sint incomplexa, per quam non solùm excluduntur complexa accidentalia, & entia per accidens; sed etiam complexa essentialia, vt definitiones. Prima excluduntur, quia cùm dicant plures naturas non valent vnica prædicatione de gradu inferiori prædicari immediatè; & ideò vel non pertinet ad vnum prædicamentum, si dicunt naturas diuersorum prædicamentorum, vel pertinent ad diuersas species eiusdē prædicamenti; hoc tamen non directè, & per se, sed reductiuè ratione suarum partium; genus verò supremum alicuius prędicamenti nō prędicatur in recto de aliquo ente per accidens, sed tantùm in obliquo; nō enim dicimus album (v. g. prout ex ęquo dicit subiectum, & albedinem, quo solo modo est ens per accidens) est qualitas completa: sed album pro formali dicit qualitatem completam.

855 Secūda verò reijciuntur, quia cùm explicitè dicant duos gradus, quorum vnus directè, & alius indirectè adprædicamentum spectant, & idem non possit directè, & indirectè ad aliquod prędicamentum spectare; ideò meritò hęc complexa essentialia ita reijciuntur à prędicamentis, vt nullatenus directè, & per se in illa collocentur, sed tantùm reductiuè; non enim dicimus, v. g. animal, & rationale est substantia completa, sed animal, & rationale important vnam substātiam metaphysicè completam, s. homo.

Ex dictis in hac quæstione sequitur, quòd illa omnia, & sola entia, in quibus omnes istæ quatuor conditiones reperiuntur, directè, seu in recta linea prędicamentorum collocantur. Præterea ex his quatuor conditionibus cōstat, quòd substantiæ directè in suo prædicamēto collocantur in concreto, in quo nullus dubitat, cùm solū prout sic sint entia

com-

completa; accidentia verò collocātur in suis, in abstracto, in quo aliqui difficultant; sed videantur quæ diximus disp. 3. sect. 3. q. 1.

856 Præterea etiam deducitur, quòd solæ illæ differentiæ illorum generū, qui directè ad aliquod prędicamentum spectant, reductiuè, seu ad latus illius prędicamenti collocantur, quia illæ solùm sunt, de quibus genus supremum non valet quidditatiuè prędicari, & ipsæ quidditatiuè sunt prędicabiles de aliquo directè contento in tali prædicamento.

Demum colligitur, quòd reductiuè ad prędicamenta pertinent; imprimis entia rationis ficta; siue cum fundamento in re fingantur, siue omninò ad libitū modo dicto quęst. 1. ad vlt. Preterea omnia creata, quæ excluduntur à directa collocatione in prędicamentis per aliquā ex quatuor conditionibus in hac quæstione explicatis, & ad latus alicuius prędicamenti non continentur, ad aliquod ex illis etiam reducuntur, iuxta supradicta; & in hoc non est amplius immorandum; ideóq; de antepredicamentis dicta sint satis.

DISPVTATIO SEXTA.

In qua breuiter soluentur pręcipuæ quæstiones, quæ exagitantur à Modernis in Logica de Prædicamentis in particulari.

857 *Iactis fundamentis prædicamentorum in pręterita disputatione, tempus est, vt in hac illa construamus, quòd breuiter more solito soluendo quæstiones aliquas prestabimus. In aliquibus autem ex eis cùm propriè non sint logicæ, sed necessariæ ad rem logicam perfectè intelligendam, non procedam vt Peripateticus, sed vt Electinus, quia in rebus Physicis omninò Electinus sum, vt sæpè dixi; & ideò sit*

SECTIO I.

De Prædicamento substantiæ.

Cùm substantia sit fundamentum, & causa omnium accidentium, iure præmittimus explicationem huius prædicamenti cæteris accidentium prędicamentis. Cùm autem genus supremum cuiuscumque prædicamenti sit caput illius, & caput præcipuum partem corporis esse dicatur, ideò in initio huius sectionis genus supremum prædicamenti substantiæ explicare conabimus, vt vnicuique suum locum demus. Pro quo sit.

QVÆSTIO I.

Quid sit supremum genus Prædicamenti substantiæ.

858 NON accipitur hìc substantia pro essentia rerum, quia sic non est in aliquo peculiari prædicamento, sed dicitur de omnibus, quæ quocumque modo in quocumque prędicamento continentur; sed agimus de ea, prout contradistinguitur ab accidenti; cùm autem multa sint, quæ

quæ non ſunt accidentia prædicamentalia, de quibus tamen in recto genus ſupremum huius prędicamēti non valet prædicari; ideò per aliquid diuerſum, ratio aliqua conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ, vt ſic, ab eo quod conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ prædicamentali, ſeu directè contenta in prædicamento ſubſtantiæ; quas duas rationes vt explicemus.

Sit prima concluſio. Subſtantia, vt ſic eſt ea, quæ naturaliter non poteſt ſubſtentari ab aliquo diuerſæ rationis ab ipſa, hoc eſt, quòd non ſit ſubſtantia. Hæc deſcriptio non eſt diuerſa ab illa, quæ communiter traditur, ſcilicet ſubſtantia eſt ens per ſe, ſeu vt D. Tho. cui debetur eſſe per ſe. Secunda pars concluſionis patet, tùm ex ſe, tùm etiam ex communi doctrina de natura ſubſtanitæ, à Doctoribus illas admittentes, tradita, & ideò

859 Probatur prima pars cōcluſionis: Hæc deſcriptio cōuenit omni, & ſoli ſubſtantiæ, & non traditur per ſuperflua; ergo eſt bona. Conſequentia ex ſe eſt manifeſta; antecedens verò quoad primam partem probatur. Quia omnis ſubſtantia vel eſt completa, vel incompleta; & ſi incompleta, vel eſt pars, vel modus ſubſtantiæ completæ; ſed omnibus his conuenit talis deſcriptio, vt de ſe eſt manifeſtum; ergo hæc deſcriptio conuenit omni ſubſtantiæ. Deinde quo ad ſecundam partem etiam patet; nam omne quod eſt vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſed hęc deſcriptio non conuenit aliquo accidenti, vt eſt notum; ergo cōuenit ſoli ſubſtantiæ. Tandem quo ad tertiam partem ex ſe eſt manifeſtum.

Ex quibus infertur, quòd ly per ſe, quòd communiter dicitur cōſtituere ſubſtantiam, eſt id, quod reddit illam aptam, vt poſſit ſe ſola naturaliter exiſtere, ideſt ſine eo, quod ab aliquo alio diuerſæ rationis, ideſt quod non ſit ſubſtantia, ſubſtentetur. Cùm autem hęc ratio tranſcēdat omnem ſubſtantiam, non poteſt reſpectu illarum eſſe vniuoca, iuxta dicta diſput. præterita; & conſequēter neque genus; & ideò ſubſtantia in hac acceptione non poteſt eſſe genus ſupremum huius prædicamenti.

860 Secunda concluſio: Genus ſupremum huius prędicamenti eſt ſubſtantia finita ſecundùm eſſentiã; metaphyſicè completa. Prima pars, .s. quòd genus ſupremū huius prædicamēti debeat eſſe ſubſtantia finita ſecundùm eſſentiam, patet ex dictis queſt. pręterita, vbi oſtendimus, quòd nullum infinitum ſecundùm eſſentiam genus eſſe poteſt.

Vltima verò pars eiuſdem cōcluſionis, .s. quòd genus ſupremum huius prędicamenti debeat eſſe ſubſtātia metaphyſicè completa, patet, quia genus ſupremum huius prędicamenti vniuocè in quid prędicari debet de omni directè contento in hoc prędicamento; ſed ſubſtantiæ phyſicè completæ, .s. indiuidua ſubſtantialia, quæ naturaliter exiſtere valent ſine conſortio alterius eiuſdē prędicamenti, directè continentur in hoc prædicamento, & de illis vniuocè in quid ſola ſubſtantia metaphyſicè completa prędicare poteſt, quia vt conſtat ex pręterita queſtione, illa ſola ſubſtantia eſt metaphyſicè completa, quæ poteſt vniuocè in

quid

quid prędicari de aliquo sui generis physicè completo; ergo genus supremum huius prędicamenti debet esse substantia metaphysicè completa.

861 Ex quibus sequitur, quòd substantia vt sic constituitur in esse generis supremi per hoc, per quod metaphysicè completur; completur autē metaphysicè per hoc, per quod constituitur potens prędicari vniuocè in quid de aliquo indiuiduo substantiali, potente naturaliter existere sine consortio alterius eiusdem prędicamenti. Constituitur autem substantia potens vniuocè in quid prędicari de aliquo indiuiduo substantiali, potēte naturaliter existere sine consortio alterius eiusdem prędicamenti, quatenus actu vel dicit præcisè totam essentiam illius, vel partē perfectibilem essentię eiusdem indiuidui physicè completi: genus verò supremum huius prędicamenti cōstituitur in esse quid metaphysicè completū, quatenus actu dicit partem perfectibilem essentiæ indiuidui substantialis, & in potentia totā essentiam illius modo explicato disput. 3. sect. 1.

862 Primum argumentum contra primam conclusionem. Si substātia optimè describeretur per hoc, quod sit id, quod naturaliter nō potest substentari ab aliquo diuersæ rationis ab ipsa, substantia constitueretur per negationem; sed substantia non potest constitui per negationē: ergo malè à nobis describitur substantia. Probatur minor, tùm quia nullum ens reale positiuum potest constitui in sua essentia per solam negationem, aliàs pura negatio esset natura aliqua positiua, quod est absurdum; sed substantia est ens reale positiuum, & inter omnia alia perfectissimum: ergo nō potest in essentia constitui per negationem. Tum etiam, quia in qualibet re essentia debet esse omnium primum, à quo oriuntur cętera, quæ cum illa habēt connexionem; sed negatio essendi in alio nō potest esse primum, quod inuenitur in substantia, & generaliter nulla negatio potest esse primū, quod inuenitur in re; quia quęcumque negatio innititur alicui affirmationi, & causatur ab ea, vt patet inductiuè; nam ideò homo non est lapis, quia est rationalis, & ideò equ⁹ non est rationalis, quia est hinnibilis, & sic de alijs; ergo ideò substantia nō est in alio tamquam in subiecto, quia essentialiter petit in se, & per se esse, ac proinde hoc pręcedit talem negationem.

863 Respondetur negando maiorem propter dicta in probatione minoris argumenti, sed constituitur per aliquod positiuum, quod nos explicamus per illam negationem, quia multa sunt, quæ non possumus explicare nisi per aliqua, quæ tamen non sunt de essentia eorum. Et ideò relationem nequimus explicare, nisi ponendo terminum in eius definitione, nec materiam nisi ponendo formam in eius descriptione; nec formam sine materia; nec potentiā sine obiecto; nec causam sine effectu; nec genus sine specie.

Secundum argumentum. Propria ratio substantię est substare accidentibus; ergo malè à nobis explicatur in prima conclusione. Antecedens patet, quia substantia à substando

ſtando dicitur, eò quòd propriè ſubſtet accidentibus.

Reſp. negando antecedens: Ad eius probationem dicimus, quod licet argumentum ab æthimologia in moralibus validum eſſe putet noſter de Peyrinis de Prælato quæſt. 1. cap. 2. tamen in alijs eſt parum efficax, vt ſatis colligitur ex D. Tho. 2. 2. quæſt, 92. art. 1. ad ſecundum; nam vt ibidem habet Sanctus Doctor ſæpè res à qua nomen imponitur, & res ad quam ſignificandam imponitur, ſunt valdè diuerſæ, vt rectè exēplificat in lapide. Deinde addimus, quòd ſubſtantia etiam dicitur à ſubſiſtendo, ſeu à per ſe ſtando: vt docet D. Iſidorus lib. 2. originum, cap. 27. & lib. 1. ſimilitudinum cap. 4. Cùm autem prius ſit res in ſe, quàm in ordine ad alias; ideò prius eſt ſubſtantiam ſubſiſtere, ſeu per ſe ſtare, quā ſubſtare accidentibus; & conſequēter illud eſt de eius eſſentia, non verò iſtud.

864 Vltimum argumentum contra ſecundam concluſionem; Deus eſt ſubſtantia eſſentialiter infinita; ſed his non obſtantibus directè collocatur in hoc prędicamento; ergo malè dicimus, quòd genus ſupremū huius prędicamenti ſit ſubſtantia finita. Maior demonſtratur à D. Th. pri. par. Minor verò ſic probatur à noſtro Lalemand. hìc diſp. 6. partit. 12. vbi defendit, Deum collocari directè in hoc prędicamento; quod eſt ſubſtantia ponitur in prædicamēto ſubſtantiæ; ſed Deus eſt ſubſtantia: ergo Deus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ.

Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; Ad eius probationem diſtinguimus maiorē; quòd eſt ſubſtantia ponitur in prædicamēto ſubſtantiæ, ſi eſſentialiter eſt finita, concedo: ſi autem eſt infinita eſſentialiter, nego. At Deus eſt ſubſtantia infinita eſſentialiter.

Sed inſtat ille: licèt Deus ſit entitatiuè, & ſecundùm ſe infinitus; doctrinaliter tamen eſt finitus; quia notitia, & ſcientia, quam de Deo habemus, eſt finita, quia licèt in ſe ſit infinitus, intellectus tamen noſter, qui eſt finitus eum modo finito cōcipit.

865 Reſp. quòd ſicut licet cognitio intellectiua, qua cognoſcimus lapidem, ſit ſpiritualis, & his non obſtantibus, ratio ſpiritus in recto de lapide prędicari nō valet: ita quamuis ſubſtantia diuina à nobis cognoſcatur cognitione finita; non tamen propter hoc ſubſtantia finita in recto de Deo prædicari poteſt, vt deberet ſi Deus directè in hoc prædicamento continetur.

Reſp. ſecundò: quòd ſicut multoties Archangelum, Michaelem concipimus ad modum pulcherrimi hominis iuuenis, & tamen homo his non obſtantibus de illo non poteſt prędicari, vt de quocumque homine prædicatur: ita licet Deus à nobis cognoſcatur cognitione finita, vel etiam ad modū alicuius ſubſtantiæ finitæ; non tamen propter hoc ſubſtantia finita, quæ eſt ſupremum genus huius prędicamenti de illo in recto, & in quid prędicare valet, vt deberet, ſi directè in hoc prędicamento contineretur, vt ex dictis diſput. præced. ſect. vlt. quæſt. vlt. ſatis conſtat.

866 Sed dices cum eodem ibidē: Rationes prędicamentorum ſunt in Deo,

Deo, remota omni imperfectione, ergo &c. Resp. quòd vt Deus sit in aliquo prędicamento directè debet essentialiter includere genus supremum illius prędicamenti, vt tale; & consequenter vt actu est pars perfectibilis, quia hoc est de essentia cuiuscũque rationis genericæ, & ideò ab hoc nulla ratio generica vt talis potest pręscindere; cùm .n. in Deo nihil essentialiter perfectibile reperiri possit; & consequenter neque aliqua ratio generica, vt latè probatum est disp. 4. sect. 4 q. 5. ideò absolutè illum excludimus ab hoc, & ab omni alio prędicamento, tùm propter hoc, tùm etiam propter sanctissima, & pijssima verba S. Augustini 4. Confessionum, cap. 16. .s. *Quid mihi proderat, quando & oberat; cùm etiam te Deus meus mirabiliter simplicem, atque incommutabilem; illis decem prædicamentis putans, quidquid omninò compræhensum, sic intelligere conarer: quasi & tu subiectus esses magnitudini tuæ, aut pulchritudini.*

QVAESTIO II.

Quænam sint primæ species prædicamenti substantiæ.

467 PRimæ, & supremæ species alicuius prædicamenti sunt illæ, in quibus immediatè genus supremum illius diuiditur; in hoc .n. prædicamento substantiæ sunt, substantia completa spiritualis; & substãtia completa corporea; nam substãtia completa, quam genus supremum esse diximus, immediatè diuiditur in spiritualem, & corpoream; quòd cum ex se sit manifestum, nullam occasionem altercandi dedit; & ideò in hoc omnes cõueniunt, paucis dumtaxat acceptis, qui Angelos ab hoc prædicamento excludunt, quorum fundamentum cùm sit valde leue, omittitur. Videatur solutũ apud nostrum Lalemand. loco cit. quæst. pręterita. Vndè solùm restat explicare quid sit aliquid esse spirituale, vel corporeum, quidue esse spiritum, vel corpus. ~~Quod vt faciamus~~

Duo pro nunc supponere debemus, quæ sunt à nobis demonstranda in introductione ad apicem verorum Philosophorum, ex occulta, & mirabili Phylosophia. Primum est, quòd omnis substantia creata completa est essentialiter physicè composita ex duabus partibus substantialibus, quarum vna per se se habet, vt potentia ad aliam, quæ dicitur primum subiectum, quæq; à Peripateticis prout illam aliquo modo agnouerunt, materia prima appellatur, forsitan sumpta metaphora à materia artificialium: altera verò se habet per se vt actus alterius compartis, & appellatur forma substantialis.

868 Secundum est, quòd substãtia partialis subiectiua substãtiarum completarum corporearum valdè diuersa est à substãtia partiali subiectiua substantiarum completarum spiritualium, idest à primo subiecto spirituali; nam primum est principium proprium, & immediatum subiectum quantitatis corporeæ: secundum verò est principium proprium, & immediatum subiectum quantitatis spiritualis. Quæ quantitates sunt supremæ species prędicamenti quantitatis sub quantitate completa supremo genere illius, vt con-

constabit sect. seq. Quo supposito

Sit prima conclusio: Ratio spiritus consistit in hoc, quòd sit principium quantitatis spiritualis: Ratio verò corporis in hoc, quod sit principium quantitatis corporeæ. Vndè sola substantia partialis subiectiua, quæ est pars essentialis substantiarū spiritualium completarum, seu primum subiectum spirituale, propriè est spiritus: & sola substantia partialis subiectiua, quæ est pars essentialis substantiarum completarum corporearum, seu primum subiectū corporeum propriè est corpus. ~~Vndè corpus, & spiritus nullatenus directè in hoc prædicamento collocantur, cùm essentialiter sint substantiæ incompletæ~~. Hæc conclusio constat, quia id propriè est spiritus, per quod omnia spiritualia sunt talia: & id propriè corpus, per quod omnia corporea sunt talia; sed hoc tantùm conuenit prædictis, vt ex sequenti conclusione constabit; ergo ratio spiritus cōsistit in hoc, quod sit principium quantitatis spiritualis, & ratio corporis in hoc, quod sit principium quantitatis corporeæ; & consequenter solùm primum subiectū spirituale propriè est spiritus, & primum subiectum corporeum solùm propriè est corpus.

869 Secunda conclusio: id est spirituale, quod essentialiter includit spiritum, vel ab illo aliquo modo naturaliter petit substentari: id verò corporeum, quod essentialiter includit corpus, vel ab illo ita aliquo modo petit substentari, vt sine tali substentatione naturaliter existere non valet. Probatur: rationes corporei, & spiritualis explicatæ in conclusione conueniunt omnibus, & solis spiritualibus, & corporeis, & ostendunt clarè esse distinctas res corporeas, vt tales à rebus spiritualibus vt talibus; ergo optimè assignantur. Probatur antecedens quoad primam partem: Omne spirituale, & omne corporeum, vel est substantia, vel accidens, cùm omne quod est, vel substantia, vel accidens est: omnis substantia, vel est completa, vel incompleta: omnis substantia completa si est corporea essentialiter includit corpus; & si est spiritualis, spiritus; vt constat ex præsuppositis factis in initio quæst. Si est incompleta, & non est ipsum corpus, vel ipse spiritus, vel informat corpus, aut spiritum, vt formæ substantiales, quæ à corpore, vel spiritu substentantur, cùm omnis forma substantialis primi subiecti sit forma, seu ab aliquo primo subiecto substētatur: si autem ita illud informet, vt naturaliter sine illo esse non possit; si tale primum subiectum est spiritus, erit spiritualis: si autem corpus, erit corporea: vel est aliquis modus substantialis, & sic immediatè, vel mediatè à corpore, vel spiritu substentatur; nam corpus, & spiritus cùm sint primi subiecti, vnumquodque in suo ordine, omnia quæ substentantur ab aliquo sui ordinis, ab ipsis quoque substentantur, saltim mediatè, v.g. vnio primi subiecti cum forma substantiali, subsistentia, &c. & sic si à corpore substentatur, erit corporeum; si autem à spiritu, erit spirituale. Deinde omne accidens necessariò petit substentari ab aliqua substantia sui ordinis, si naturaliter existit; ergo rationes corporei,

rei, & ſpirituales explicatæ in concluſione conueniunt omnibus, & ſolis ſpiritualibus,& corporeis. 6

870 Secunda pars eiuſdem antecedentis eſt etiam manifeſta,.s.quòd in concluſione clarè oſtenditur diſcrimen inter corporea, & ſpiritualia; nam cùm ſpiritus, & corpus ſint ~~volunt~~ ſpecie diuerſa ~~inter alia~~; cùm ſint principia quantitatum, ſpecie diuerſarũ, & dicamus, quòd res corporeæ ſint tales à corpore, & ſpirituales à ſpiritu; ergo clarè conſtat ex concluſione diſcrimen inter corporea,& ſpiritualia.

Dices contra primam concluſionem: Deus in ſacra Scriptura dicitur eſſe ſpiritus, vt Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate oportet adorare:* Et Angeli etiam ſpiritus ibidem dicuntur, vt Pſal. 103. *Facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem:* Et Marc. 5. Demon ſpiritus pluries appellatur: & etiam anima rationalis, vt Ioan. 19. De Chriſto dicitur: *Inclinato capite, emiſit ſpiritum.* Et Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Et Matth. 16. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma; &: In manus tuas commendo ſpiritum meum &c.* Et etiam ventus, vt Gen. 18. *Adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ:* Et in Pſal. 146. *Spiritus procellarum;* & alibi etiam anima ſenſitiua, vt Eccleſ. 3. *Quis nouit ſi ſpiritus filiorũ Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorum.* Et tandem humor quidam corporis, vt Prou. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Et communiter omnes Phyloſophi ſpiritus vitales, & animales appellant aliqua quę non ſunt principium, nec proprium ſubiectum quantitatis ſpiritualis; ergo malè à nobis explicatur ratio ſpiritus.

871 Reſp. quòd Deus rectè ſpiritus appellatur, non quia vniuocè conueniat cum ~~ſpiritibus~~ creatis, quia nihil vniuocè de Deo, & creaturis dici poteſt; nam omnes perfectiones creaturarum valdè diuerſo modo, ſcilicet perfectiſſimo, in Deo reperiuntur; ſed dicitur ſpiritus, quia omnes proprietates ~~ſpiritus~~, quæ dicunt aliquam perfectionem, in Deo perfectiſſimo modo reperiuntur, vt carere corpore, prȩſentem loco diuiſibili indiuiſibiliter eſſe; nam licèt omne ſpirituale ita careat corpore, vt poſſit naturaliter exiſtere ſine hoc, quod ab aliquo corpore ſubſtentetur; tamen non eſt contra rationem eius ſubſtentari à corpore, vt patet in anima rationali. Deus autem ita caret corpore, vt repugnet omninò ipſum ſubſtētari ab aliquo corpore, cùm hoc dicat abſolutè imperfectionem: & licèt ſpiritus poſſit occupare locum diuiſibilem indiuiſibiliter, non tamen omnem ſimul. Deus autem, cùm ſit immēſus, omni loco diuiſibili, & indiuiſibili indiuiſibiiiter eſt præſens ſimul &c. Preterea Angeli,& anima rationalis ſpiritus appellantur, quia ſunt verè ſpirituales, eò quòd eſſentialiter ſpiritum includant, vt in introductione ad apicem verorum Philoſophorum demonſtrabimus: Spiritualia enim ſolent ſpiritus in ſacra Scriptura appellari, vt Sap. 5. *Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis.* Et Eccleſ. 39. *Si enim Dominus magnus noluerit, ſpiritu*

spiritu intelligentiæ replebit illum &c. Reliqua verò solùm per aliquam metaphoram spiritus appellantur, non autem propriè; vt de singulis ostendam cum sacris Expositoribus loco cit.

872 Dices tandem: Quantitas trinè dimensa appellatur corpus; ergo malè à nobis explicatur ratio corporis in conclusione. Respond. quòd talis quantitas est verum accidens corporeum, iuxta dicta in secunda conclusione, quæ corpus appellari consueuit; quia inter corporea magis assimilatur corpori, eò quod sicut corpus est primum subiectum omnium corporeorum, ita illa quãtitas est primum subiectum, *quo* omnium accidẽtium corporeorum, & etiam, quia corpus per ordinem ad illam in esse corporis constituitur modo dicto in prima conclusione.

Sed contra dices: Quantitas est extrinseca, & accidẽtalis substantiæ; ergo corpus non potest constitui in esse tali per quantitatem. Respond. quòd licet quantitas sit accidentalis, & extrinseca cuiuscumque substantiæ, tamen ordo transcendentalis ad illam est intrinsecus, & essentialis primo subiecto, quod intrinsecè, & essentialiter est substantia, iuxta dict. in prima conclusione.

Præterea est notãdum, quòd substantia completa spiritualis diuiditur in illam, quæ potest naturaliter corpus informare, & vnum per se cum illo constituere, quæ solet anima rationalis appellari: & in illam, quæ hoc præstare non valet, quæ solet vocari Angelus, nomine exprimente officium, hominibus magis notũ, ex his quæ aliquæ ex prædictis substantijs exercent. Deinde Angelus in varia genera; & vnumquodque genus in varias species; & quælibet species in diuersa indiuidua. De quibus omnibus latè agemus in introductione ad apicem verorum Philosophorum.

873 Deinde substantia corporea completa diuiditur in elementarem meteorologicam, & mixtam; substantia completa corporea elementaris, seu elementum (quod pro nũc est illud, quod connaturaliter exigit, duas ex primis qualitatibus ex his, quæ non sunt contrariæ, tamquam dispositio antecedens, concomitãs, & subsequens generationem illius) diuiditur in ignem, aerem, aquam, & terram, & vnaquaque ex his speciebus in varia indiuidua. Substãntia completa corporea meteorologica, seu meteorum (quod pro nunc est illud, quod licèt connaturaliter non exigat omnes quatuor primas qualitates, tamen petit duas ex illis contrarias, vt dispositio antecedens cõcomitans, & subsequens generationem illius) quod diuiditur in varias species, vt in niuem, grandinem, fulgurem, ventum, &c. de quibus latè loco citato.

QVÆSTIO III.
De diuisionibus substantiæ completæ corporeæ mixtæ.

874 SVbstantia cõpleta corporea mixta, seu mixtũ (quod pro nunc dicimus esse illud, quod exigit omnes quatuor primas qualitates, vt dispositio antecedens, concomitans, & subsequẽs generationẽ illius) diui-

diuiditur in animatum: & in inanimatum. Hoc est illud, cuius substantialis forma non est anima: illud verò, cuius substantialis forma est anima.

Sed quæres, quænam forma substantialis est anima, & quæ non? Resp. quòd cùm in substantijs creatis *sola* forma sit principium radicale *quo* omnium suarum operationũ, (vt probabimus in introductione ad apicem verorum Philosophorũ) & cùm aliquæ operationes prędictarum substantiarum sint vitales, aliæ verò non, hinc est, quòd illa forma est anima, quæ est principium radicale *quo* alicuius operationis vitalis; illa verò non, quod non est principium radicale *quo* alicuius operationis vitalis.

875 Sed quęres iterum, quænam operationes sunt vitales, & quę nõ? Resp. quòd illæ operationes sunt vitales, quæ per se institutæ sunt ad acquirendam ipsi viuenti, à quo oriuntur, aliquam perfectionem, quę non est debita illi ex vi propriæ generationis, sed est superaddita: vt sensationes, &c. Illæ verò operationes nõ sunt vitales, quæ per se non sunt institutæ ad acquirendam illi, à quo oriuntur, aliquam perfectionem nõ debitã ipsi ex vi propriæ generationis; sed è contra sunt per se institutæ, vel ad acquirendam aliquã perfectionem illi, à quo oriuntur, debitam ex vi suæ generationis, ita vt absque illa sit in statu violento, vt motus localis lapis ad proprium locum: vel per illas illud, à quo procedunt, non acquirit aliquam perfectionem sibi intrinsecam, v.g. influxus astrorum.

Ex quibus colligitur, quòd operatio vitalis semper est immanens; nõ vitalis aliquando immanens, & aliquando transiens, vt satis ex exemplis adductis constat. Quæ doctrina, vt omninò clara maneat, proponũtur breuiter sequentes obiectiones; & ideò

876 Dices primò: Virtus augmentatiua est principium vitale; sed per eam viuens, acquirit perfectionem sibi debitam ex vi generationis: ergo principium vitale non est illud, per quem viuens acquirit perfectionem sibi non debitam ex vi generationis. Probatur minor: Status naturalis alicuius rei est cùm habet totam suam perfectionem; sed perfecta magnitudo est de perfectione viuentis; ergo cùm viuens per nutritionem acquirat sibi perfectam magnitudinem, consequens est, vt per eam acquirat perfectionem sibi debitam.

Resp. negando minorẽ: Ad eius probationem, ad maiorem dicimus, quòd est discrimen inter statum violentum, & minus perfectum; nam cùm hoc stat naturalis status; & non cum illo; vnde viuens in principio est solùm in statu minus perfecto, non autem in statu violento; vt est graue sursum; & ideò considerando viuens in primo instanti generationis, nõ ei debetur illa quantitas, quę progressu temporis per augmentationem acquirit, licèt in progressu temporis ei debeatur.

877 Dices secundò. Generare nõ est debitum igni ex vi suæ generationis; sed talis generatio non est vitalis; ergo discrimen à nobis assignatum inter operationem vitalẽ,

& non vitalem, non est bonum.

Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio est, quia talis generatio est actio omninò transiens; & ideò non est vitalis: Generatio verò actiua viuentis est aliquo modo immanens, cùm viuēs agat per illam in partem aliquam propriæ materiæ.

Dices tertiò: Illud principium est perfectius, quod potest tàm immanenter, quàm transeunter operari: quàm illud, quod solùm immanenter agit; sed principium vitale est perfectius non vitali, & hoc potest agere vtroque modo; ergo multò magis principium vitale erit vtroque modo actiuum, contra supradicta.

Resp. negando maiorem. Nàm aliàs potentiæ sensitiuæ deberent transeunter agere, quia sunt perfectiores potentijs non vitalibus; vndè non semper ex maiori, vel minori vniuersalitate agendi licet inferre maiorem, vel minorem perfectionē principij; sed præcipuè ex perfectiori, vel imperfectiori effectu, quem producit. Modò cùm actus vitalis sit perfectior quocumque alio accidenti producibili ab agente creato, idcircò potētia vitalis est perfectior non vitali.

878 Dices quartò: Deo debetur ex propria natura omnis perfectio, ex quibus aliquæ sunt vitales, vt intellectio, & volitio; ergo principium vitale non est illud, per quod viuens acquirit perfectionem sibi non debitam &c.

Resp. quòd verum est, quòd Deo debetur omnis perfectio, etiam vitalis, non quatenus viuens est, quia nō est de ratione viuentis, quòd sit semper in actu secundo; sed debetur ei quatenus est tale viuens, scilicet infinitum nullam amittēs imperfectionem; nam si per impossibile Deus posset aliquid de nouo accipere, posset denuò intelligere.

Dices tandem: Angelus illuminans alium Angelum, causat intellectionem in intellectu illius; ergo principium vitale nō est illud, quod semper causat perfectionem in viuente, in quo est.

Resp. quòd principium vitale dicimus esse illud, per quod viuens in quo est, acquirit perfectionem sibi non debitam ex vi suæ generationis primò, & per se: secundariò tamen & per accidens potest causare perfectionem in alieno subiecto, vt contingit in præsenti.

879 Deinde substantia completa corporea mixta inanimata, seu inanimatum, aliud est corruptibile: & aliud incorruptibile. Primum est illud, quæ habet omnes suas qualitates conseruatiuas, quæ possunt destrui per aliquas alias dispositiones aliquarum aliarum formarum: Secundum verò est illud, quod habet aliquam, vel aliquas qualitates conseruatiuas, quæ non possunt destrui per vllas alias dispositiones ad quascumque formas.

Inanimatum corruptibile diuiditur in varias species metallorum, gemmarum, lapidum &c. de quibus ex professo in introductione sæpè citata: inanimatum verò incorruptibile in varias species astrorum, & ferè omnes in varia indiuidua (astra esse mixta inanimata, & ferè omnes species illorum cōtinere plura indiuidua.

uidua explicabimus in citata introductione, dum influentias illorum explicabimus) denum substantia completa corporea mixta animata, seu animatum diuiditur in vegetatiuum, sensitiuum, & rationale: Vegetatiuum in varias species plantarum, arborum, & herbarum, & vnaquaque in plura indiuidua: Sensitiuum in terrestre, aquatile, & volatile; & vnumquodque in varias species; & vnaquaque in varia indiuidua. Rationale, seu homo in Petrũ, & Paulum &c.

QVÆSTIO IV.
De prima proprietate substantiæ.

880 CVM substantiæ habeant prius perfici substãtiali sua perfectione, & proprietate, quàm accidentali; ideò prima proprietas substantiæ vt sic est subsistentia, seu hypostasis; substantiæ verò completæ irrationalis est suppositalitas; substantiæ tamen completæ rationalis est personalitas, de quibus in hac quæstione aliqua breuiter dicemus; vt quid sit substantia, & distinctio eiusdem ab accidentibus prædicamentalibus omnino innotescat.

Ferè omnes fatentur, quòd hæc proprietas substantiæ non fuit cognita ab antiquis Phylosophis, sed tantùm Christianis, ex mysterio Incarnationis manifestata, in quo verbum diuinum assumpsit naturam humanam Christi, non autem personalitatem humanam, neque subsistentias partiales partium illius; & quòd licet olim à Sanctis PP. hypostasis, seu subsistentia sumpta fuerit pro ipsa natura, & essentia, vel etiam pro toto supposito; tamen modo strictè sumitur à Theologis, & Phylosophis, pro eo quod subsistens, ac suppositum, addit supra rem, vel naturam, quæ subsistit; vt autem talem proprietatem breuiter explicemus;

881 Sit conclusio. Subsistentia est modus realis, positiuus substantialis, vltimo complẽs naturam substantialem, reddensq; illam in sensu composito ineptam, vt communicetur alteri, tamquam suppositanti, & terminanti hypostaticè: realiter modaliter distinctus à natura substãtiali, quam terminat. Tres partes habet hæc conclusio, quas omnes sigillatim explicabimus; & primò primã .s. quòd subsistentia sit quid reale positiuum, sic probatur: suppositũ, vel persona est vnum reale per se; sed si subsistentia, vel personalitas non esset aliquid reale positiuum, non esset vnum reale per se; quia ex negatione, & ente positiuo non cõstituitur vnum per se, sed per accidens, vt aer tenebrosus; ergo subsistentia est quid reale positiuum.

Probatur tandem eadem pars: Subsistentia creata non solùm est participatio diuinæ subsistentiæ, sed etiam fundamentum, quod habemus ad struẽdas subsistẽtias creatas, de quibus loquimur, desumitur ex diuinis; & ideò eadem definitio personæ conuenit personæ increatæ, & creatæ .s. quòd sit rationalis naturæ indiuidua substantia; sed subsistentia diuina est aliquid reale positiuum: ergo subsistentia creata est quoque aliquid reale positiuum. Minor patet, quia verbum diuinum assumens naturam humanam, verè eam sibi vniuit hypostaticè; sed hoc non sic

eueniret, si hypostasis verbi esset aliqua negatio realiter negatiuè à verbo distincta; ergo est aliquid reale positiuum à natura diuina virtualiter tantùm distinctum; & cùm eadē sit ratio de hypostasi verbi, ac Patris, & Spiritus S. vt de se satis est manifestum, consequens est, vt subsistentia diuina sit aliquid positiuum. Multę aliæ probationes adducuntur ab aliquibus DD. huius primæ partis nostrę cōclusionis; at quia Theologicæ sunt, & duæ adductæ sufficiunt, vnà cum solutionibus argumentorum infra adducendorum, ideò omittuntur.

882 Tandem alia pars primæ partis cōclusionis, .s. quod subsistentia creata, de qua loquimur sit modus, sic probatur: Omnis entitas positiua vel est res, vel modus; sed subsistētia est entitas positiua, vt iam probauimus, & non est res; ergo est modus. Vltima pars minoris, .s. quòd subsistentia non sit res, sic probatur primò: Si subsistentia esset res, esset quid completum, iuxta dicta de distinctione modali disp. 3. sect. 1. q. 5. sed non est quid completum, cùm ita adhęreat alicui naturæ substantiali, vt non possit etiam diuinitus existere sine hoc, quod actu compleat illam, & etiam cùm sit essentialiter vltimum complementum essentiæ, vt statim probabimus; ergo subsistētia non est res.

Deinde probatur secundò eadem vltima pars minoris: Si subsistentia esset res, cùm sit substantia, vel esset materia prima, vel forma substantialis, vel compositum substantiale; sed neutrum istorum est; ergo non est res. Sequela patet, quia substantia, quæ est res, prout res à modo distinguitur ab Arist. 2. de Anima, & 7. Metaph. diuiditur in materiam, formam, & compositum. Minor etiam est nota, nam quòd subsistentia non sit materia prima, est ex se manifestum, cùm nullam formam substantialem substentet, imò ipsa à natura substantiali substentatur; præterea quòd non sit compositum, ex hoc etiam est notū, quia ipsa nullas partes physicas habet, quarum vna sit per se potentia respectu alterius, & alia per se actus in ordine ad aliam. Et tandem neque forma substantialis, quia omnis forma substantialis est principium actiuum radicale alicuius operationis in composito, cuius est forma, quod non conuenire subsistentiæ est manifestum, & magis ex infra dicendis manifestabitur.

883 Primum argumentum, probans, subsistentiam esse rem, & non modum: subsistentia creata suppleta fuit à verbo diuino; sed verbum diuinum non potest supplere aliquā modalitatem; ergo non est modalitas, sed realitas. Minor patet inductiuè.

Resp. quòd verbum diuinum supplere non potest modalitatem, quæ sit forma inuoluens imperfectionē; benè tamen supplere potest modū, qui nō habeat imperfectionem: esse verò terminum per modum suppositi nullam habet annexam imperfectionem, præcipuèq; id dicitur, quādo tàm realitas supplens, quàm modus qui suppletur, habent idem nomen, & eundem effectum formalē, saltem in genere.

Secundum argumentum: Subsistētia facit naturam omninò terminatam,

natam,& independentem; ergo ipsa non poteſt eſſe modus, à natura dependens.

Reſp. negando conſequentiam; nam cauſa formalis non exercet ſuũ effectum formalem circa ſeipſam, ſed circa ſubiectum; albedo .n. non eſt alba, ſed facit album; ergo poteſt ſubſiſtentia reddere naturam independẽtem, quamuis ipſa dependeat à natura; ex quo ſequitur, naturam non eſſe in ſubſiſtentia, ſed potius ſubſiſtentiam eſſe in natura, vt eſt modus in re.

884 Tertium argumentum probans ſubſiſtentiam non eſſe aliquod poſitiuum: ſi ſubſiſtentia eſſet aliquid poſitiuum, faceret compoſitionẽ cum natura, cùm ab illa realiter diſtinguatur, vt infra probabim⁹; ſed hoc non: ergo neque illud. Probatur minor, quia vel illa compoſitio eſſet accidentalis; & hoc nõ, quia nulla pars illius eſſet accidens, vt deberet aliqua eſſe: vel ſubſtantialis, neque hoc, quia aliàs Angeli eſſent phyſice ſubſtantialiter compoſiti;& tunc non poſſet à Deo ſuppleri perſonalitas creata, quia non poteſt ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis, vt omnes fatentur.

Reſp. quòd licèt ſubſiſtentia adueniat naturæ ſubſtantiali ſingulari exiſtenti, non tamen facit compoſitionem cum illa; quia partes cuiuſcumque compoſitionis, vel vtraque debet eſſe res, vel vtraque modus; ſubſiſtentia eſt modus; natura verò ſubſtantialis, res; & ideò ſubſiſtentia non facit compoſitionem cum natura, ſed tantùm illam modificat vltimò illam terminando. Ad illud quod additur, ſcilicet, quòd non poſſet à Deo ſuppleri, eo quod non poteſt Deus ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis. Reſpondeo, quòd eſt diſpar ratio de forma, & de ſubſiſtentia, quia forma eſſentialiter vt talis eſt imperfecta, nã eſt quid prout ſic incompletum, & neque vt *quod*, neque vt *quo* eſt completa: ſubſiſtentia verò vt talis, vt *quo* eſt quid completum; & ideò vt talis non ſolùm non eſt quid imperfectum, ſed quid perfectiſſimum, vtpotè tribuẽs maximam perfectionẽ naturæ ſubſtantialis, ſcilicet ſuum complementum. Vndè nihil mirum, ſi Deus nõ poſſit ſupplere vicem formæ, benè tamen ſubſiſtentiæ.

885 Sed contra eſt: quod eſt contra rationem modi, quòd vt *quo* ſit quid completum; ergo nulla ſolutio. Antecedens patet, quia modus eſſentialiter eſt quid incompletum: ergo contra eius rationem eſt, quòd vt *quo* ſit quid completum.

Reſp. negando antecedens; ad eius probationem negatur conſequentia; nam multa ſunt formaliter, vt quod frigida, & tamen vt quo ſunt calida, vt patet in vino, & multis alijs: ita ſimiliter in præſenti, licèt ſubſiſtentia quatenus modus ſit quid incompletum, tamen vt ſubſiſtentia eſt, eſt quid vt *quo* completum.

Vltimum argumentum: Si ſubſiſtentia eſſet aliquid poſitiuum, non eſſet ſubſtantia, ſed accidens; ſed hoc eſt contra vltimam partem primæ partis noſtræ concluſioni; ergo ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitiuum. Probatur ſequela maioris: ſubſiſtẽtia realiter diſtinguitur à natura; natura realiter idẽtificatur cum differentia indiuiduali; & cum exiſten-

tia; ergo subsistentia aduenit naturæ singulari existenti; sed quod aduenit naturæ singulari existenti est accidēs illius; ergo si subsistētia esset aliquid positiuum, non esset substantia, sed accidens.

Resp. negando sequelam: ad eius probationem dicimus, quòd subsistentia aduenit naturæ substantiali singulari existenti, vt complementū illius; & ideò non potest esse accidēs prędicamentale; & ratio est, quia sicut omnia accidentia completa habent suum complementum intra proprium prædicamentum, ita multò magis hoc substātiæ, quæ est perfectior cunctis accidentibus, debet conuenire; vndè solùm id, quod aduenit substantiæ singulari existenti completæ est accidens prędicamentale. Per quod patet vltima particula primæ partis nostræ conclusionis.

886 Deinde secunda pars conclusionis, .s. quòd subsistentia terminādo naturam substantialem reddat illam in sensu composito; idest prout subsistentem ineptam, vt communicetur alteri, vt suppositāti patet; quia si natura prout suppositata non esset inepta vt supponitaretur, suppositalitas posset suppositari: sed suppositalitas nō potest suppositari, cùm ipsa sit ipsa suppositatio; ergo subsistentia terminando naturam substantiatialem reddit illam in sensu composito ineptam, vt communicetur alteri vt suppositanti. Præterea suppositalitas esset vltimus terminus, quia esset suppositalitas, de cuius ratione est, quòd sit vltimus terminus: & non esset vltimus terminus, quia vltimò non terminaret naturam.

Dices contrà: quælibet natura rationalis, retenta propria personalitate, potest hypostaticè terminari ab aliqua hypostasi diuina; ergo natura per subsistentiam nō redditur inepta vt terminetur hypostaticè.

Resp. quòd natura, retenta propria personalitate specificatiuè sumpta; idest natura personata propria personalitate potest assumi, non assumpta propria personalitate, non autem reduplicatiuè modo supra explicato, quod vt perfectè intelligatur.

887 Notandum est, quòd in natura cum propria subsistētia duplex reperitur negatio. Prima, logica, quæ tolli non potest: secunda, physica, quæ potest diuinitus auferri. Prima est, negatio indigentiæ alterius subsistentiæ, quæ tolli non potest; nam eo ipso quod natura habet vnam subsistentiam completam, negat indigentiam alterius: secunda est, negatio habendi aliam subsistentiam simul; & hæc potest diuinitus auferri, quia noua subsistentia solū arguit superfluitatem, quam Deus vincere potest, sicut v.g. nigredo habet in se negationem albedinis, quæ nec diuinitus tolli potest, non enim nigredo vnquam potest esse albedo; respectu verò subiecti habet nigredo negationem essendi simul cum albedine, quæ tamen diuinitus tolli potest, quia solùm contrariæ pugnant nigredo, & albedo in eodem subiecto.

Tandem circa vltimam partem conclusionis, scilicet, quòd subsistētia realiter modaliter à natura per ipsam subsistenti distinguantur, fatentur ferè omnes, quòd nullatenus

ratione

ratione naturali demonstrari potest; sed solùm ex principijs fidei diuinæ; licèt non desint aliqui, qui contrarium sentiũt,vt Lorca in 3. par. disp. 28. membr. 1. & Ioannes de S. Tho. qu. 7. Physicor. art. 1. attamen quia fundamenta illorum optimè à Mastrio soluentur disp. 11. metaph. q. 2. ideò ex principijs fidei probatur; Subsistentia distinguitur realiter à natura subsistente; sed non realiter virtualiter; ergo realiter actualiter; sed non realiter actualiter rei à re, ergo realiter modaliter. Maior patet, quia ea, quæ diuersis petunt cõcipi conceptibus, at minus realiter virtualiter distinguuntur: cùm autẽ ita se habeat natura, & subsistentia, vt de se patet, debent inter se aliqua distinctione reali distingui.

888 Deinde probatur minor,quia vt fides docet, verbum assumpsit naturam humanam, non autem subsistentiam humanam, ita vt verè, & realiter humanitas Christi caret propria subsistentia; ergo subsistentia creata, de qua loquimur, non distinguitur virtualiter tantùm à natura; nam ea, quæ ad inuicem sunt separabilia, plusquam virtualiter, necessariò distinguũtur, vt de se est notum. Prætereà minor subsumpta ex hoc constat,quia si distinctione reali rei à re distingueretur, posset subsistentia diuinitus cõseruari separata ab omni natura;sed hoc non, cùm intelligi non possit sine substantia,quam terminat;ergo neque illud.

Tandem probatur iterum prima minor nostræ probationis: Si subsistentia rei creatæ tantùm virtualiter à natura distingueretur, nulla res creata esset assumptibilis, quia tunc necessariò foret assumẽda ipsa subsistentia indistincta, quod implicat; nam subsistentia est vltimus terminus, vt supra diximus, quem vltimari repugnat; sed hoc est falsum; ergo subsistentia creata non distinguitur tantùm virtualiter à natura. Minor patet;tum quia,vt ex fide cõstat,de facto assumpta est natura humana Christi Domini,tùm etiã,quia de ratione substantiæ creatæ est, vt possit pendere à Deo omnibus modis, qui non implicant contradictionem.

Nec valet dicere, quòd sufficit distinctio virtualis inter naturam, & subsistentiam, vt natura creata assumatur,quamuis non assumatur subsistentia, sicut sufficit distinctio virtualis inter verbum, & essentiam diuinam,vt verbum dicatur terminare humanitatem, non verò essentia diuina.

885 Non,inquam,hoc valet,quia non quidquid contingit in diuinis, contingere statim debet in rebus creatis. Sufficit enim distinctio virtualis,vt verbum diuinũ primariò,& formaliter terminet humanitatẽ,nõ verò sic eã terminet natura diuina; hoc tamen non tollit quominus ipsa natura diuina secundariò, & idẽticè etiam terminet humanitatem,quod nullum est inconueniens. Vnde similiter si subsistentia virtualiter tãtùm à natura distingueretur,si natura primariò assumeretur; secũdariò etiam,& mediatè assumeretur subsistentia; quod tamen implicat,quia adhuc simpliciter, & à parte rei vltimus terminus terminaretur; & potest addi, quòd assumptio fit circa

rem secundùm se, terminatio non ita semper; potest enim gradus animalis Petri terminare visionē Pauli, quin illam terminet rationale (quando scilicet à longe propter distantiā ex solo motu cognoscitur solùm quà animal) qui in eodem indiuiduo virtualiter tantùm distinguuntur.

890 Pater Ioan. Martinon. tom. 4. disput. Theologicar. disp. 5. sect. 6. §. 64. sustinet, subsistentiam nullatenus realiter distingui à natura, quod probat tribus argumētis. Quorum primum sic se habet: Natura diuina non subsistit per modos ex natura rei distinctos à se; ergo subsistentia ex vi sui conceptus generalissimi non est modus ex natura rei distinctus à re subsistente. Et reddenda est ratio, cur natura creata, quæ est seipsa incommunicabilis pluribus sibi identificatis, non possit subsistere seipsam per simplicem vsum indistinctum suæ sufficientiæ, & aptitudinis ad existendum vi sua, idest ratione suæ perfectionis naturalis sine subiecto, aut supposito distincto, cui innitatur, vel à quo terminetur hypostaticè, atque ita se ipsa vltimò compleri, & terminari in esse suæ existentiæ: cùm tamen natura diuina, quæ est communicabilis tribus sibi identificatis, ad quæ quodammodo se se diffundit, sit nihilominus subsistens, & vltimò cōclusa, & terminata, atque vlterius incommunicabilis in sensu cōposito, prout est sic modificata, absque vllo modo ex natura rei distincto. Maximè cū ratio subsistentiæ dicatur in eo consistere generatim, quod sit vltimus terminus, & vltimum complementum naturæ substantialis, reddens illam in sēsu composito, idest simul cum tali modificatione ineptam vlterius terminari, & communicari alteri, vt terminanti hypostaticè, vel sustentanti.

891 Resp. quòd licet ex mysterio Sanctissimæ Trinitatis nō possimus colligere distinctionem realē actualem inter subsistentiam creatam, & naturam, (licèt aliqui contrarium sustineant) cùm personalitates diuinæ solùm distinguantur virtualiter à natura diuina; sed hoc, solùm nobis innotescit ex mysterio Incarnationis, vt supra ostendimus; tamen ex mysterio Trinitatis nullum argumentum efficax fieri potest ad probandum subsistentiam creatam, non distingui realiter à natura, quam facit subsistentem; nam id, quod dicitur in argumento, scilicet, quod debemus reddere rationem, cur posito quòd subsistentia ex vi sui cōceptus generalissimi non est modus ex natura rei distinctus; quare natura creata, quæ est seipsa incommunicabilis pluribus sibi identificatis, nō possit subsistere seipsa. Hoc enim iam ex dictis in probatione vltimæ partis conclusionis solutum est; & ex ibidem dictis, quis facilè potest ei reddere rationem, quam petit; est enim satis nota disparitas; nam natura diuina ob suam infinitatem est communicabilis multis realiter distinctis, quamuis illa multa sint idem realiter cum ipsa essentia, & non inter se: natura verò creata ob suam finitatem hoc non potest præstare; & cùm sit assumptibilis à quacunque, vel ab omnibus personis diuinis; & hæc assumptio non possit fieri

per

per identitatem, sed per veram, & realē vnionem; cùm natura assumptibilis necessariò distinguitur à subsistentia diuina assumente; vnde per realem, & superadditam vnionem assumeretur, & terminaretur vltimus terminus, s. subsistentia, si esset indistincta realiter actualiter à natura.

892 Secundum verò sic: Illud debet subsistere per se, quod est aptum per se subsistere. Alioquin aliud est aptum subsistere, & aliud subsistit: & non est idem, quod potest subsistere, & quod subsistit, quod est apertè impossibile. Sed natura substantialis est apta per se subsistere; ergo per se subsistit. Ergo non subsistit per modum ex natura rei distinctum; nam subsistere per aliud à se distinctum, non est subsistere per se: & cōtradictio est in terminis dicere, quod res subsistat per se, & tamen subsistat per modum à se distinctum. Vt si quis diceret, rem existere per se, & tamen existere formaliter per aliud à se distinctū; id est, habere formam, seu rationem formalem existentiæ per aliud à se distinctum.

Respond. quòd id per se subsistit, quod est ita completū, vt non egeat aliquo, in quo inhæreat, vel in quo supponitetur ad hoc, vt naturaliter subsistere valeat, quod nullatenus conuenit alicui naturæ creatæ, quia omnes illæ si sunt substantiales, egēt subsistentia realiter modaliter à se distincta; & quando dicuntur aptæ per se subsistere, nō est sensus, quod possint sine aliquo reali superaddito subsistere, vt supponit argumētum; sed est sensus, quòd naturæ substantiales possunt naturaliter existere sine aliquo alio diuersi prædicamenti ab illis, per quod maximè differūt à naturis accidentalibus, quæ naturaliter vt existant, petunt subiectum diuersi prædicamenti ab illis.

893 Vltimum tandem sic: Si subsistentia in rebus creatis est modus ex natura rei distinctus; ergo iuxta conditionem aliorum modorum, essentialem omnibus modis est entitatula tam imbecillis vt rei, tamquam subiecto inhęreat, & ne diuina quidem potentia possit ab illa auelli; ergo subsistentia innititur, & incumbit naturæ: Ergo natura subsistit formaliter per aliquid, quod ipsa sustentat, & fulgit, vt si diceres fundamentum stare, & subsistere per parietes, qui ipsi innituntur. Et si munus subsistentiæ est sustentare, vt quidam aduersariorum imaginantur; omninò hoc est fulcrum, & sustentaculum facere id quod imbecillius est, egetq; tamquam fulcro, natura ipsa, quæ tamen dicitur stare, & subsistere formaliter per talem reculam imbecillam sibi innixam, ab illaq; sustentari. Et contra rationem asseritur, entitatulam illā tam imbecillem, vt neque per Dei omnipotentiam sustentari queat sine fulcro subiecti, sustentare tamen subiectum suum; id est naturā substantialem, quæ est res vera, & solida, modo illo perfectior; & à qua modus ille pendet essentialiter, iuxta doctrinam aduersariorum.

Resp. quòd nō est inconueniens, quòd natura formaliter subsistat per subsistentiam, quam ipsa sustentat, quia ad hoc vt subsistentia naturam faciat formaliter subsistere, non est necesse,

necesse, vt supra dictum est, vt ipsa subsistat vt *quod*, sed tantùm vt *quo*; quod benè habet subsistētia, etiamsi à natura sustentetur; imò effectus formales semper proueniunt ab aliquo minoris entitatis illo, quem denominant, & in illo, quem formaliter denominant, vel in aliqua eius parte essentiali sustentantur, vt inductiuè patet; nam homo formaliter denominatur rationalis ab anima rationali, quæ est minoris entitatis, quā ipse homo, & ipsa sustentatur à materia prima, quæ est pars essentialis ipsius hominis. Et ipse risibilis formaliter etiam denominatur à risibilitate minoris entitatis, quàm ille, quæq; ab eo sustentatur.

894 Sed quæres, quomodo distinguantur subsistentia, seu hypostasis, suppositalitas, & personalitas; & consequenter quomodo differat subsistens suppositum, & persona?

Resp. quòd differunt vt superiùs ab inferiori, idest vt commune à minus communi, nam omnis personalitas est suppositalitas, & omnis suppositalitas est hypostasis, seu subsistentia; sed non vice versâ, sicut omnis homo est animal, & omne animal est viuens, & non vice versa. Itaque latius patet subsistentia, quā suppositalitas; & suppositalitas latiùs patet, quàm personalitas; quia subsistētia abstrahit à modo essendi per se totius, vel partis; suppositalitas verò dicitur tantùm de modo essendi per se totius substantialis completi, siue rationalis, siue irrationalis. Personalitas denique dicitur solùm de modo existendi per se totius rationalis, siue intellectualis.

Similiterq; subsistens dicitur de quocumque existente per se, siue sit totum, siue pars. Suppositum dicitur tantùm de toto substantiali completo, siue rationali, siue irrationali; siue animato, siue inanimato. Persona verò dicitur tantùm de toto substantiali rationali, siue intellectuali, vt de Deo, Angelis, & hominibus. Quamquam illa differentia potest esse solùm penes connotata, & non intrinsecè in ipsa hypostasi, siue subsistentia; nam subsistentia materiæ, si ipsa se sola existit, esset suppositalitas. Sic etiam si verbum assumeret naturam columbæ, non constitueret cum illa personam, sed suppositum, licèt eadem esset hypostasis, quæ terminando naturam rationalem, .s. humanam, facit cum illa personam.

895 Sed dices; Anima rationalis ex dictis disp. præter. sect. vlt. quæst. vlt. est substantia spiritualis completa; sed non est persona, quia aliàs in quocūque homine essent duæ personæ; ergo nullum est discrimen assignatum.

Resp. quòd anima rationalis secundùm se est persona, vt docet Magister sentētiarum in 3. distinct. 5. dicens: *Anima absoluta à corpore est persona sicut Angelus*; Et Hug. 2. lib. de Sacr. p. 1. cap. ante penult. licèt si consideretur prout actu animat, nō sit persona, sed subsistens, eo sanè modo quo philosophatur P. Martinon. tom. 1. disp. Theolog. disp. 26. de Trinit. sect. 1. de verbo diuino, quòd est vera persona Sanctissimæ Trinitatis, & tamen dicit, quòd loquendo de ipso, vt reipsa Christum componente, non debere dici personam, & suppositum, quatenus com-

componit, & quatenus est pars. Vnde in Christo non sunt duę personæ, quarum altera sit verbum, & altera Christus; sed vnica ex duabus naturis coniunctis in vna hypostasi: Est autem verbum in huiusmodi compositione id, à quo formaliter est ratio personæ, & à quo totum illud compositum constituitur in esse suppositi per diuinam eius hypostasim; & ideò Christus est suppositum diuinum.

896 Quæres secundò, vtrùm diuina subsistentia Christi impediat, quòd Christus in hoc prædicamento collocetur, seu an Christus collocetur in hoc prædicamento.

Resp. Pontius disput. 11. sect. 3. quòd si consideretur, Christum, vt est suppositum humanum præcisè, abstrahendo ab inclusione diuinitatis, sic poni in prædicamento substantiæ, non solùm in specie humana, in qua comprehenditur natura humana Christi tàm benè, quàm vlla alia natura, sed etiam quatenus est indiuiduum humanum distinctũ numero à quolibet alio indiuiduo humano, quia nihil prorsus impedit, & vt sic est ens finitum reale ę completum. Si verò consideretur vt includit diuinitatem, non ponitur in prędicamento, quia vt sic non dicit naturam finitam, sed infinitam. Hęc ille.

Vbi est notandum, quòd circa hunc modum loquendi Pontij, Mastrius in Logica disp. 7. quæst. 1. art. 1. secundæ editionis Venetæ 1646. hanc piè profert censuram: vbi omninò cauemodum loquendi Pontij valdè impropriuum, qui disp. 11. Logicæ in fine num. 50. ad hoc argumentum inquit: Christum poni in prædicamento substantiæ, si consideretur, vt est suppositum humanũ præcisè abstrahendo ab inclusione diuinitatis; hic sanè loquendi, modus valdè improprius est, ne dicã erroneus, quia, vt fides docet, in Christo vnum tantummodò suppositum reperitur, & hoc diuinum; quamuis ergo considerari possit vt suppositũ diuinũ in humana natura subsistens, nequaquã tamen considerari potest vt suppositum humanum: Hæc ille.

Mirum certè est, quòd Pontius, qui valdè conatur respondere ad ea, quæ à Mastrio ei obijciuntur: itaut ad hoc scripsit non paruam apologiam, in suo integro cursu philosophiæ nouiter excusso Parisijs anno 1649. non solùm ad hanc Mastrij cẽsuram non respondit, licèt ibi multas addat responsiones ad ea, quæ in multis locis ab ipso Mastrio contra suam doctrinam proferuntur: imò nec phrasim in hac re mutauit, nec illam aliquo modo explicare conatus est.

898 Secundò respondent Complut. quòd Christus ponitur in hoc prædicamento, quòd sic probant. Res collocantur in prædicamento ratione essentiæ, seu naturæ; sed natura humana Christi Domini in toto rigore, & proprietate est eiusdem speciei cum nostra: ergo verè, & propriè collocatur in hoc prædicamento. Quia tamen naturæ substãtiales non ponuntur in prędicamento significatæ in abstracto, sed in cõcreto quo modo connotant suppositũ, quòd in Christo est ipsum suppositum verbi diuini; ideò hoc ponitur in prędicamento non secundũ

se,

se, & absolutè, sed præcisè quatenus supponitat humanitatem Christi Domini.

Quam responsionem amplectimur vt bonam, & ideò vt illam magis explicemus est notandum, quòd Christus Dominus varijs nominibus appellatur; Primò appellatur Emmanuel, idest nobiscum Deus, quod nomen de formali significat naturā diuinam, innuendo suppositum diuinum, & naturam humanam. Quo modo, id est prout significatur hoc nomine, non ponitur in hoc prædicamento, vt ex supra dictis est satis manifestum. Deinde appellatur Iesus, quod nomen significat naturam humanam, innuendo subsistentiam diuinam; nam fuit nomen impositū Christo Domino, qua homo erat. Deinde appellatur Christus, quod nomen significat pariter naturam humanam de formali, connotando subsistentiam diuinam; Ratio est, quia Christus est nomen vnctionis, vnctio autem solùm data fuit in natura humana.

899 Preterea est notādum, quòd subsistentia secūdùm se in hoc prędicamento non ponitur; sed est cōditio necessariò requisita, vt natura ibi ponatur, vnde concreta substantialia dicuntur esse in prędicamento ratione principalis significati .s. naturæ, non autem connotati; Gerit autem hoc munus conditionis, sine qua non absolutè, quatenus subsistentia est, præscindendo ab hoc, quod sit finita, vel infinita; natura enim humana eo ipso constituit hominem, quòd terminatur subsistentia, siue hæc sit finita, siue infinita.

Ex quo deducitur non nisi accidentalissimè, vt sic dicamus, ac merè materialiter suppositum diuinum in Christo ad hoc spectare prædicamētum; tum quia subsistentia diuina est tantùm conditio, qua Christi humanitas in hoc reponitur prædicamento; tum etiam, quia tale munus gerit vt subsistentia præcisè, non vt diuina.

QVAESTIO VLTIMA.
Vtrùm detur de facto, vel de possibili aliqua substantia supernaturalis, quæ in hoc prædicamento collocetur.

900 Fateor, hanc quæstionem difficillimam esse; sed quia valdè necessaria est ad perfectam intelligentiam huius prædicamenti, & ad intelligentiam multarum rerū, de quibus in introductione ad apicē verorum Philosophorum agemus; ideò hìc breuiter examinatur, ad quam soluendam, implorato auxilio supernaturali diuinæ gratiæ, ab ente supernaturali sic incedam. Primò explicabo cōceptum rei supernaturalis, vt sic, & postea soluam propositam quæstionem, & ideò

Supposito, quòd omne ens naturale, vt tale subditum sit mutationi, & quòd inter illa, quæ minùs mutationi subduntur, perfectiora sunt, & quòd entia supernaturalia vt talia, sint longè perfectiora entibus naturalibus vt talibus, vtpotè ordinis diuini; ideò id est supernaturale, quod ita liber est ab omni mutatione, vt repugnet omninò aliquo modo mutari: huiusmodi est solus Deus optimus, maximus; vel quod ordinatur ad vniēdum aliquo modo aliquod ens naturale cum ente super-

natu-

naturali, vt tali: huius modi ſunt ea, quæ tribuuntur alicui enti naturali ſupra omnem ſuam capacitatem naturalem, ab ente ſupernaturali, vt tali, vt gratia, lumen gloriæ, &c.

901 Dices; omnes res naturales immediatè cõnectuntur cum Deo, quia omnes habent ordinem eſſentialem ad Deum, vt ad cauſam efficientem, finalem, & exemplarem; ergo malè explicatur à nobis ratio ſupernaturalis.

Reſp. quòd illæ connexiones cũ Deo non fiunt cum ipſo quatenus eſt agens ſupernaturale, & ideò non faciunt, vt res, quæ connectuntur, ſint ſupernaturales.

Dices ſecundò; modus exiſtendi corporis Chriſti in Euchariſtia, & modus perſeitatis accidentium, non vniunt aliquod ens naturale cum Deo; ſed ſunt modi ſupernaturales; ergo malè explicatur à nobis ratio rei ſupernaturalis.

Reſp. quòd prædicti modi ordinantur ad nos vniendos cum Deo per gratiam copioſiſſimam, quæ nobis tribuitur per hoc diuiniſſimum Sacramentum.

Dices tertiò: Actio, qua calor prodiret diuinitus à frigore, eſſet ſupernaturalis; ſed talis actio non vniret aliquod ens naturale cum Deo, ergo &c.

Reſp. quòd talis actio, quia nos duceret in cognitionem Dei, vt potẽtis facere opera, quæ ſuperat vires naturales, ordinatur ad nos vniendos intentionaliter cum illo, vt eſt agens ſupernaturale.

902 Dices tandem; Deus eſt ens ſupernaturale, quia eſt omninò immutabilis; ſed omne creatũ eſt mutabile, ergo nullum creatum eſt ſupernaturale.

Reſp. quòd ſicut omnia accidentia hominis dicuntur humana, quia ſunt ordinis humani, quamuis omnia eſſentialiter ab illo differant: ita & omnia creata, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, dicuntur ſupernaturalia, quamuis immutabilitatem Dei non habeant.

Prima concluſio; nulla datur de facto, vel de poſſibili ſubſtantia ſupernaturalis, quæ in hoc prędicamẽto directè collocetur. Probatur; Omnia, quæ directè in aliquo prædicamento collocantur, debent eſſe entia completa, vt oſtendimus diſp. præter. ſect. vlt. quæſt. vlt. ſed nulla datur de facto, neque de poſſibili ſubſtantia ſupernaturalis completa præter Deum optimum maximum, qui directè in hoc prędicamento nõ collocatur, vt ſuprà oſtenſum eſt; ergo nulla datur de facto, vel de poſſibili ſubſtantia ſupernaturalis, quæ in hoc prædicamento directè collocetur. Minor, quo ad vltimam partẽ ex dictis eſt nota; quo ad ſecundam verò ſic probatur; ſi aliquo modo daretur aliqua ſubſtantia completa ſupernaturalis, quæ non eſſet Deus, vel deberet eſſe omninò immutabilis, quod eſt impoſſibile, quia cùm illa ſubſtantia non eſſet Deus, eſſet creatura, quæ eſſentialiter eſt mutabilis, cùm eſſentialiter petat à Deo liberè creari, & conſeruari; vel eſſentialiter haberet aliquid ſupernaturale, per quod poſſit vnire ſe cum Deo ſupernaturaliter; ſed repugnat, aliquam creaturam hoc eſſentialiter habere, quia cùm gratia habitualis nequeat conuenire eſſentialiter alicui

cui puræ creaturæ, quia eo ipso, quod est creatura est serua, & gratia non potest esse seruo connaturalis, quia superat naturalem conditionē seruitutis; & talis gratia sit radix omnium supernaturalium, non potest prædicta creatura aliud connaturaliter habere.

903 Præterea illa substantia posset naturaliter intuitiuè intelligere diuinam essentiam in seipsa, quia omnia supernaturalia creata, quæ sūt in aliqua creatura rationali (qualis esset necessariò illa substātia creata completa supernaturalis, vt rectè aduertit Tellez in Metaph. disp. 54. sect. 1. nam cùm gradus supernaturalis sit supremus, substantia completa supernaturalis carere non debebat, hac perfectione intelligendi) ordinatur tamquam ad vltimum finem ad vniendam illam cum ente substantiali essentialiter supernaturali, per visionem intuitiuam; sed repugnat, quòd aliqua creatura possit naturaliter hoc præstare; ergo repugnat dari aliquam substantiam completam creatam supernaturalem. Minorem huius discursus, vt explicemus.

Debemus supponere ex his, quæ à nobis dicenda sunt in prima parte Theologiæ, quòd nostro modo intelligendi diuina natura constituitur ex essentia, & intellectione diuina, quæ à nobis consideratur veluti vltima differentia, quasi specificè constitutiua Dei in esse essentiali, suppositis alijs gradibus quasi genericis, seu superioribus diuinæ entitatis, à quibus diuersi procedunt, & participantur gradus creaturarum, vt gradus entis, substantiæ, viuentis, spiritualis, intellectualis, in quibus omnibus analogicè cōueniunt cum ipso Deo aliquæ creaturæ, vltimus gradus, quasi specificus Dei, est intellectio intuitiua diuinę essentiæ in seipsa, qui gradus proinde repugnat cōmunicari alteri naturaliter, qui non sit Deus.

904 Sed dices: Si propter aliquā rationem repugnaret communicare alicui creaturę naturaliter intellectionem intuitiuam diuinæ essentiæ in seipsa, maximè quia illa creatura esset Deus; sed hæc ratio est nulla, ergo talis gradus potest illi communicari naturaliter. Probatur minor, quia licèt gradus entis, substantiæ spiritualis, & intellectualis communicentur Angelo naturaliter, Angelus non est Deus; ergo quamuis ipsi communicaretur intellectio diuinæ essentiæ intuitiua in seipsa naturaliter, non propter hoc esset Deus. Hęc vltima cōsequentia patet; quia ideo Angelus v.g. non est Deus, quamuis à Deo ei communicata sint illa alia prædicata, ita vt illi sint naturalia, quia nō sunt illi communicata cum illa perfectione, quæ sunt in Deo; non enim entitas Angeli est à se, sicut entitas diuina, neque substantia alicuius Angeli subsistit triplici subsistentia sibi omnimodè idētificata, & nō viuunt vita actualissima, seclusa omni potentialitate, & motu physico, &c. ergo pariter quamuis Angelo communicaretur naturaliter prædicta intellectio, adhuc non esset Deus, quia talis intellectio nō communicaretur ei cum illa perfectione, quæ est in Deo; nam cognitio diuina est comprǽhensiua, & improducta, quod ista non haberet.

905 Resp.

905 Resp. quòd à Deo possint communicari creaturæ gradus quasi generici, non autem gradus quasi specifici, neque rationes indiuiduæ; & ratio est, quia Deus semper est causa æquiuoca creaturarum; causa autem æquiuoca non potest communicare suis effectibus suas rationes indiuiduas, neque gradum specificum, vt inductiuè patet in omnibus. At singuli illi modi, seu rationes, quæ annotantur in argumento in singulis illis gradibus diuinis, magis pertinent ad rationem indiuiduā, quàm ad specificā Dei; & ideò nihil mirum si prędicti gradus communicentur, non verò illi modi, seu rationes, nec gradus quasi specificus explicatus diuinæ naturæ. Videatur P. Franciscus de Lugo in Theolog. Scolast. in primā partem, lib. 1. disp. 7. cap. 4 & 5.

Secunda conclusio: Ad hoc prędicamentum reductiuè spectat aliquis modus substantialis supernaturalis, s. vnio humanitatis Christi Domini cum hypostasi verbi. Vbi est notandum, quòd hæc conclusio multas habet grauissimas difficultates; nam multi prædictum modum substantialem negant, dicētes, quòd humanitas formaliter, & immediatè vnitur per se Verbo, & è contrà. Ita Nazarius in 3. par. quæst. 2 art. 8 qui doctè iuxta principia D. Th. suam probat sententiam. Alij illam admittunt, sed negant esse substantialem; contra quos sic doctè arguit P. Ioannes Martinon. to. 4. disp. Theolog. disp. 5. sect. 9. Prædicta vnio est nexum duarum substantiarū ad constituendam vnam substantiam completam, & vnum ens per se substantiale, scilicet vnum suppositū, quod est Christus, Deus, & Homo. Quidquid autē est de ratione intrinseca, & de constitutione entis substantialis, substantiale est, cùm substantia non nisi ex substantijs, aut substātialibus constituatur: ex substantia verò, & accidente non fit nisi ens per accidens.

906 Et alij volunt, esse modum substantialem, sed realiter indistinctum à natura humana: ita citatus Martinon. ibid. sect. 7. & P. Tellez huic sententię videtur facere in Metaph. disp. 54. sect. 1. §. 20. contra quos eruditissimè agit Eminentissimus de Lugo in tract. de Incarnat. disp. 11. sect. 1. §. 2. cuius sententiā vt probabiliorem amplectimur, quā probabimus in tractat. de Incarnat. Deo dante, interim videatur ipse loco cit. quo notato.

Probatur conclusio: Omnis modus cuiuscumque substantię directè contentæ in hoc prædicamento reducitur ad hoc prædicamentum; sed prædicta vnio est aliquis mod' creatus, verè naturam humanam Christi Domini modificās, quæ in hoc prędicamento ponitur directè iuxta supradicta; ergo verè reductiuè ad hoc prædicamentum spectat. Maior patet ex dictis disp. præterita, sect. vlt. quæst. vlt. Minor verò ex supradictis, & consequentia ex se, & ex infra dicendis.

Primum argumentum contra primam conclusionem: De facto datur accidens completum supernaturale; ergo ad minus de possibili debet dari substantia aliqua completa supernaturalis. Antecedens est de fide, consequentia verò patet, quia omne

omne

omne accidens postulat subiectum proportionatum.

Resp. negando consequentiam: nam quòd detur tale accidens non implicat, benè tamen, quòd detur talis substantia, vt ostendimus. Ad probationem verò cōsequentiæ dicimus, quòd accidens non habet supernaturalitatem à subiecto, sed à Deo, cum quo aliquo modo vnit aliquod ens naturale, & ideò substantia naturalis est proportionatum subiectum accidentis supernaturalis.

907 Secundum argumentū: Substantia completa supernaturalis non repugnat neque ex præcisa ratione substantiæ, neque ex ratione supernaturalitatis; ergo absolutè non repugnat. Probatur antecedens, quia datur vnio substantialis hypostatica, quæ substantia supernaturalis est; deinde dantur plura accidentia supernaturalia; ergo ex neutro capite repugnat.

Resp. negando consequentiam; nam solùm repugnat dari substantiā completam supernaturalem, in qua solùm datur implicatio assignata, quæ non sequitur in modo substantiali supernaturali; sicut enim vnio hominis non est homo, licèt sit ordinis humani, ita vnio hypostatica non est Deus, licèt naturam humanam coniungat cum Deo physicè, & substantialiter, & quamuis sit eiusdem ordinis cum Deo.

Vltimum argumentum contra secundam conclusionem: Si vnio hypostatica naturæ humanæ Christi Domini esset modus substantialis supernaturalis, natura humana Christi esset supernaturalis; sed hoc non; ergo neque illud. Probatur sequela; ideò non potest dari intellectus supernaturalis, quia cùm dicat ordinē ad intrinsecum, necessariò supponeret animam supernaturalem, à qua emanaret; sed etiam vnio hypostatica dicit ordinem ad intrinsecum; ergo supponit naturā creatam supernaturalem. Resp. negando sequelam; ad eius probationem dicimus, quòd eius consequentia non est bona; nam debebat sic inferre; ergo supponit compositum supernaturale, cui sit intrinseca, quod verissimū est, non tamen supponit naturam creatam supernaturalem; Vnio .n. non est intrinseca partibus componentibus, sed tantùm composito; & ratio est, quia supponit partes, quarum est vnio; ergo cùm ante vnionem dentur partes, non est illis intrinseca.

908 Sed quæres, an possit dari aliqua forma substantialis supernaturalis? Resp. quòd non, quia forma substantialis essentialiter ordinatur ad faciendum vnū per se, quapropter si daretur, esset essentialiter pars entis completi supernaturalis, quod cùm repugnet, repugnabit quoque ipsa forma.

Pro complemento huius sectionis notandum est, quòd Aristoteles præuia diuisione substātiæ completæ prædicamentalis in primam, hoc est singularem: & in secundā, idest vniuersalem; sex proprietates substantiæ enumerat: prima est non esse in subiecto, seu non inhærere alicui. Pro qua vide quæst. 1. ad primum. Secunda, quòd secundæ substantiæ, & etiam differentiæ vniuocè essentialiter prædicantur de prima. Tertia, quòd prima substantia

signi-

significet hoc aliquid, ideſt ſemper in prædicatione habet rationem ſubiecti: ſecũdæ verò ſignificant quale quid, ideſt reſpectu primarum habent rationem prędicati, quòd ſolet dici qualitas ſubiecti, quia quodammodo adiacet illi. Quarta, quòd ſubſtantiæ nihil eſt contrarium contrarietate propriè dicta: Contraria .n. propriè dicta ſunt illa, quæ ſub eodẽ genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt. Quinta, quòd non ſuſcipiat magis, & minus, ideſt quòd non poſſit intendi, aut remitti; quia nulla ſubſtantia perficitur ſecundam eſſentiam; nam Petrus vno tempore, v. g. non poteſt eſſe minus homo, quàm in alio. Sexta, quòd eadem manens ſit contrariorum ſuſceptiua, ideſt ſit ſubiectum *quod* accidentium aliquo modo contrariorum cum ſui mutatione intrinſeca. Præterea eſt notandum, quòd ſecunda, & tertia ex his proprietatibus ſunt propria in primo modo, ex quatuor exceptionibus proprij explicatis diſp. 4. ſect. 5. quęſt. 1. Quarta, & quinta in ſecundo, & prima, & vltima in quarto.

SECTIO II.
De Prædicamento quantitatis.

Quia quantitas conuenit ſubſtantijs completis ratione primi ſubiecti ſubſtantialis, cuius eſt proprietas, & tale ſubiectum ſit prima pars eſſentialis prædictarum ſubſtantiarum, meritò Peripatetici cum ſuo Ariſtotile poſt explicationem prædicamenti ſubſtantiæ, de prædicamento quãtitatis agunt. Nos verò ordinem illorum ſequentes, licèt non totaliter doctrinam illorum, hoc idem breuiter in hac ſectione præſtabimus; & ideò ſit

QVÆSTIO I.
Quid ſit genus ſupremum prædicamenti quantitatis.

909 Suppoſito quòd hìc non agamus de quantitate virtutis, quæ eſt perfectio rei, ſecundùm quã vna res dicitur magis, vel minus perfecta, quàm alia, ſeu maioris, vel minoris, aut ęqualis perfectionis cũ alia re; quæ competit non ſolùm creaturis omnibus; ſed etiam ipſi Creatori, qui propterea in ſacra Scriptura ſæpè magnus appellatur: ſed loquimur de quodam accidenti realiter diſtincto à ſubſtantia, quod eſt vera proprietas primi ſubiecti ſubſtantialis, cuius eſſentiam vt explicemus, & propoſitam quæſtionem ſoluamus.

Sit concluſio. Genus ſupremum huius prędicamẽti eſt quantitas cõpleta, cuius ratio formalis conſiſtit in hoc, quòd reddat ſubſtantiam aptam ad recipiendum alia accidentia, ſeu in hoc, quòd ſit ſubiectum *quo* aliorum accidentium. Prima pars huius concluſionis nõ habet aliquã difficultatem, ſuppoſitis ijs, quæ diximus ſect. pręt. de genere ſupremo prędicamenti ſubſtantiæ. Secunda verò probatur. Ratio formalis generis ſupremi huius prædicamenti debet prędicari quidditatiuè de omni directè contento in hoc prædicamento; ſed ratio à nobis aſſignata ita ſe habet; ergo eſt vera ratio formalis generis ſupremi huius prædicamenti. Maior patet ex dictis lib. 2. introductionis, ſect. 2. vbi diximus, quòd de quocumque prædicatur defi-

definitum, debet & definitio eodem modo prædicari. Minor verò inductiuè fit manifesta.

910. Sed dices, habere partes extensas in ordine ad se, & in ordine ad locum, prędicatur de omni directè contento in hoc prædicamento; ergo in hoc consistit ratio quantitatis. Resp. quòd prædicta solùm prædicantur de speciebus quantitatis corporeæ, non autem de quantitate spirituali; in hoc enim prædicamento non solùm quantitas corporea, sed etiam quantitas spiritualis continetur, nō minus ac substantia spiritualis in prædicamento substantiæ, vt in seq. quæst. videbimus.

Dices secūdò ex Comptono disp. 15. Physic. sect. 2. vbi vt probabile defendit, quòd accidentia absoluta in sola materia, & non in quantitate subiectantur: munus accidentium est disponere subiectum ad receptionem formę substantialis; sed quātitas non est subiectum, nec partiale quidèm formæ substantialis, sed sola materia; ergo dispositiones sunt in sola materia, quæ disponi debet immediatè physicè ad formam, quam immediatè recipit, & addit; quòd licèt responderi posset sufficere ad rationem dispositionis vt sit in quantitate, quæ est in materia, lōgè tamen perfectiùs disponitur, si dicantur, accidentia illi inesse immediatè. Hæc ille. Ex quo videtur sequi hanc consequentiam; ergo quantitas non est subiectum *quo* aliorum accidentiū, & consequenter malè à nobis assignatur ratio formalis generis supremi prædicamenti quantitatis.

911. Resp. quòd non omnia accidētia sunt dispositiones formæ substantiales; sed multa sunt proprietates, & virtutes agendi illius, illa verò accidentia, quæ sunt dispositiones formæ substantialis, cùm essentialiter sint corporea, vel spiritualia: & corporea naturaliter petant subiectari in corpore, vel in subiecto corporeo, & nec corpus sine quantitate sua proprietate existere naturaliter valeat, nec aliqua substantia corporea existere possit, quæ non includat corpus cū quantitate, hinc est, quòd licèt quantitas nō sit subiectum formæ substantialis, est tamen id, medio quo prædictæ dispositiones inhærent materiæ; & consequenter est subiectum *quo* illarum, & proportione seruata, eodem modo est phylosophandum de accidentibus spiritualibus: vt magis infra constabit. Ad illud autē, quod addit in eodem argumento, dicimus; quòd dispositiones illæ, naturaliter non possunt recipi in materia nisi mediante quantitate, tùm propter dicta, tùm etiam propter ea, quæ ab ipso adducuntur in eadem columna, s. antecedens constat; nam agentia naturalia non possūnt agere, & consequenter nec producere formam substantialem, vel accidentalem nisi in subiecto quanto.

Dices tandem; quantitas est accidens; sed his non obstantibus immediatè inhæret substantiæ: ergo & alia accidētia immediatè quoque inhęrent substantiæ.

Resp. quòd sicut vnio substantialis primi subiecti cum forma substātialis est substantia, & recipitur immediatè in materia prima; his tamen non obstantibus, forma substantialis non potest in illa recipi nisi media-

illa

illa vnione, ita licèt quantitas sit accidens, & immediatè in materia prima recipiatur, non tamen alia accidentia hoc habere possunt nisi media illa; sicut enim forma substantialis est prima radix agendi, non autem immediata; ita primum subiectum substātiale est prima radix recipiendi, & formam substantialem, & alia accidentia à quantitate distincta. Quod recipit illa forma media prædicta vnione, & alia accidentia, media quantitate modo supra explicato; & ideo quantitas est verum subiectum *quo* omnium accidentiū modo dicto.

912 Pro complemēto huius quęstionis nota, quòd genus supremū huius prędicamenti sic debet describi; est quid completū in genere accidētis, quod est subiectum *quo* aliorum accidentium. In qua definitione, sicut in alijs ferè omnibus verba non dicunt actum, sed aptitudinem iuxta commune axioma Dialecticorum; nam Deus, qui sua omnipotenti virtute separat quantitatem à substantia, & sic separatam illam cōseruat in Augustissimo Sacramento Eucharistiæ; potest etiam illam ab omni accidenti ab ea realiter distincto, separari, & illam sic separatam conseruare, & tunc non erit actu subiectum, nec *quo*, nec *quod* alicuius accidentis, sicut quantitas panis cōsecrati actu non est subiectum *quo* alicuius accidentis.

Sed quæres, cur essentiam quantitatis explicauimus per hoc, quod est esse subiectum *quo* aliorum accidentium, non autem per hoc, quod est esse principium formale impenetrabilitatis: vel per hoc, quod est esse formalis ratio essendi in loco definitiuè, cùm hę duæ rationes cōueniant etiam quantitati vt sic, vt explicabimus quæst. seq.

Resp. quòd licèt hæ tres rationes conueniant quantitati vt sic, tamen esse subiectum *quo* aliorum accidentium, modo explicato magis intrinsecè conuenit quantitati, quàm illæ duæ aliæ rationes; & ratio est, quia cùm quantitas sit proprietas primi subiecti substantialis, cui essentialiter conuenit esse primum subiectū vniuscuiusque, & per hoc, quod quantitas sit subiectum *quo* aliorum accidentium, completur primum subiectū in esse primi subiecti aliorum accidentium; ideò prædicta ratio est magis intrinseca quantitati, quàm aliæ duæ assignatæ, quæ hoc non pręstant; & ideò per illam, & nō per aliquam ex his duabus vltimis essentiam quantitatis explicauimus.

913 Postquam scripsi hanc quæstionem, inueni P. Ioan. Martinon tom. 4. disp. Theolog. disp. 32. sect. 5. num. 57. dicentem, sententiam asserentem quantitatem non esse subiectum *quo* aliorum accidentium; sed illa immediatè subiectari in substantia esse conformiorem rationi, quod sic probat: Aristot. in Prædicam. cap. de substantia, docet, maximè proprium esse substantiæ, vt eadem numerò sit susceptiua contrariorum, idq; nulli alteri competere, quòd substantia non sit. Hoc autem falsum esset, si qualitates contrariæ reciperentur immediatè in quantitate realiter distincta à substantia.

Resp. quòd hoc argumentum frigidissimum est, tùm quia est ab authoritate humana, quod ad summū

generat opinionē, tùm etiam, quia, vt diximus in fine sectionis, & quæstionis præt. proprium est substantiæ esse susceptiuum contrariorum, vt *quod*, quod concedimus non cōuenire naturaliter quantitati. Aliæ rationes, quæ ab ipso adducuntur, partim solutè manēt, & partim nullam maiorem difficultatem habent, quàm præcedens; & ideò omittuntur.

Occasione verò sumpta ex Sacramento Eucharistiæ prędictus Martinon. hanc quæstionem tractat: ego verò è contra hanc meam doctrinā sic confirmo ex eodem Sacrosancto Sacramento: In pane consecrato omnia accidentia subiectantur immediatè in quantitate; ergo ante cōsecrationem ibi etiam subiectabantur; sed non vt *quod*, quia naturaliter sola substantia est subiectum *quod* omnium accidentium: ergo vt *quo*, & consequenter quantitas essentialiter est subiectum *quo* aliorum accidentium. Probatur maior. In pane consecrato est aliquod subiectum commune omnium accidentiū; sed hoc non potest esse aliud quā quantitas, quia non potest assignari aliqua ratio, cur vna qualitas v. g. alteram potiùs, quàm altera ipsam subiectet; ergo in pane consecrato omnia accidentia subiectantur immediatè in quantitate. Probatur maior; potest agens naturale producere naturaliter calorem, v. g. in pane consecrato, vt patet experientia; sed non potest ipsum producere absq; subiecto, in quo recipiatur, quia aliàs crearet, quandoquidem produceret formā absque dependentia à causa materiali, hoc est à subiecto, in quo reciperetur; ergo datur ibi subiectū caloris: Sed illud ipsum subiectum, in quo producitur calor, debet dici esse subiectum aliorum accidentiū; ergo accidentia in Eucharistia non sunt absque subiecto aliquo commune.

914 Dices: Agens naturale ęquè potest naturaliter producere calorē sine subiecto, ac formam substantialem; sed ignis potest producere in Eucharistia formam ignis, vt patet experientia, & non est ibi aliquod subiectum, in quo produceret formam ignis, cùm nihil substantiale, nec materia, nec forma panis, aut vini sit sub illis speciebus, in quo produceretur; ergo similiter potest producere formam caloris, quamuis non sit ibi subiectum, in quo illud producat.

Resp. distinguendo maiorem pro secunda parte: non est ibi subiectū, in quo produceretur forma ignis, ante illud instās, in quo producitur, cōcedo, in illo instanti nego; & similiter distinguo consequens; vnde in illo instanti, in quo producitur forma ignis, aut quæcumque alia forma substantialis sub illis speciebus, aut ex illis Deus ipse producit in loco, in quo debet illa forma produci materiam primam, & in ipsa quamuis non pręexistat tempore, agens naturale producit illam formam; & ideò agens naturale non producit nec formam substantialem, nec accidentalem absque subiecto, ex cuius potentia educatur.

Sed vrgebis, ergo saltem sicut nō pręexistit forma substantialis productioni materia; sed producitur à Deo in eodem instanti, potest similiter

liter dici, quòd non præexiſtit productioni caloris aliquod ſubiectum in eodem inſtanti, in quo calor producitur.

Reſp. negando ſequelam; quia non eſt vlla neceſſitas recurrendi ad productionem noui ſubiecti, quando producitur calor; nam poteſt dici, quòd illud ſubiectum, in quo producitur, fuerit productũ ante, cùm ſit accidens: eſt tamen neceſſitas recurrendi ad productionem noui ſubiecti, quando producitur forma ſubſtantialis; quia ex fide habemus non fuiſſe antecedenter ſub speciebus illis ſubiectum ſubſtãtiale, quod ſolùm poteſt ſufficere ad producendam formam ſubſtantialem agenti naturali, & cõſequenter in vtroque caſu idem non debet dici.

QVÆSTIO II.

Quænam ſint primæ ſpecies prædicamenti quantitatis.

915 Quantitas metaphyſicè cõpleta: quæ eſt genus ſupremum huius prędicamenti, vt oſtendimus quæſt. præter. immediatè diuiditur in corpoream ſpiritualem; vnde quantitas completa corporea, & quantitas completa ſpiritualis ſunt primæ ſpecies huius prædicamenti. In quo ſolùm eſt difficultas in hoc, quod admittimus quantitatem ſpiritualem verum accidens phyſicum in hoc prædicamẽto directè contentum; quod licèt ſit nouum apud Peripateticos, eſt tamen valdè notum Equitibus tabulę Smaragdinæ: vnde vt hoc explicem

Sit concluſio: Quantitas ſpiritualis eſt quantitas, per quam ſpiritus, cuius eſt proprietas, & ſpirituales ſubſtantiæ ſunt formaliter in loco; & poſſunt locum diuiſibilem indiuiſibiliter occupare; Vt hanc definitionem bonam eſſe oſtendamus, debemus probare, quòd ſubſtantię ſpirituales ſunt formaliter in loco per aliquod accidens ſpirituale ſuperadditum, quod eſt vera quantitas, ſeu eſſentialiter participat rationẽ quantitatis quæſt. præterita explicatam. Et primò primum ſic præſtamus: Id eſt ratio formalis eſſendi in loco cuiuſcumque rei, quod eſt fundamentum relationis indiſtantiæ ipſius rei à loco, in quo eſſe dicitur; ſed hoc in ſubſtantijs ſpiritualibus neceſſariò eſt aliquod accidens ſpirituale illi ſuperadditum; ergo ſubſtantiæ ſpirituales ſunt formaliter in loco per aliquod accidens ſpirituale illi ſuperadditum.

916 Maior patet, quia hoc ipſo, quod aliqua res eſt in loco habet prędictam relationem; ergo prædicta relatio fundatur in hoc, per quod res formaliter ſunt in loco. Minor verò probatur, ſcilicet quòd ſit aliquod accidens illis ſuperadditum; nam quod ſit ſpirituale, poſito quòd ſit accidens illis ſuperadditum, ex ſe eſt manifeſtum; quia omne accidens naturaliter inhęrens alicui ſubſtantiæ ſpirituali, vt facit iſtud, poſito quod detur, eſt ſpirituale: Per hoc fundamentaliter res indiſtant, per quod mutuò ſe immediatè tangunt; ſed ſubſtantia ſpiritualis non poteſt immediatè tangere ſuum locũ per ſuam ſubſtantiam; ergo neceſſariò hoc pręſtat per aliquod accidens illi ſuperadditum; & conſequenter fundamentũ relationis indiſtantiæ inter

substantiam spiritualem, & suum locum est aliquod accidens illi superadditum. Minor patet, quia id, per quod substantia spiritualis tangit immediatè locum, suscipit magis, & minus; nam Angelus modò tangit maiorem, modo minorem partem sui loci adæquati, vt omnes fatentur, & infra constabit; ergo substantia spiritualis non potest immediatè tãgere suum locum per suam substantiam.

Alia verò pars, .s. quòd prædictũ accidens sit vera quantitas, sic probatur. Quantitas est id, quod est subiectum *quo* aliorum accidentium, quæ in substantia, in qua inhæret, reperiuntur naturaliter; sed hoc conuenit illi accidenti supernaturali, superaddito substantiæ spirituali, per quod ipsa formaliter est in loco; ergo tale accidens est vera quantitas. Probatur minor. Accidentia spiritualia talia dicuntur, quia naturaliter petunt inhærere aliquo modo spiritui, vt ostendimus sect. præt. q. 2. Sed nullum accidens potest inherere aliquo modo spiritui naturaliter, nisi medio accidenti illo, per quod spiritus, & substantiæ spirituales sunt formaliter in loco: ergo accidenti illi spirituali, per quod substantiæ spirituales sunt in loco, conuenit esse subiectum *quo* aliorum accidẽtium spiritualium. Probatur minor: Accidẽtia propria alicuius rei prius necessariò debent illi conuenire, quàm accidentia communia; sed illud accidens, de quo loquimur, est maxima proprietas spiritus, & prima ex his, quæ sunt in genere accidentis; ergo nullum accidens potest naturaliter aliquo modo inhærere spiritui nisi medio illo spirituali accidenti, per quod spiritus, & substantiæ spirituales sunt in loco.

917 Tandem, quòd substantiæ spirituales per quantitatem spiritualem possint occupare locum diuisibilem indiuisibiliter patet; quia licèt proprius locus substantiarum spiritualium completarum sit spiritualis, vt euidenter ostendemus tom. 1. ad apicem &c. Tamen quia anima rationalis huius hominis existentis in hac aula, quæ est substantia spiritualis, verè est in aliquo loco; quia omne quod connaturaliter existit, in aliquo loco esse debet, & non in aliquo spirituali, vt de se est manifestũ; ergo in aliquo corporeo, seu diuisibili, & hìc non potest esse alius, quã locus corporis, quod informat; ergo cùm ibi formaliter non locetur per quantitatẽ illius corporis, quia aliàs diuisibiliter locum diuisibilem occuparet, quod est contra rationem substantię spiritualis, vt constabit loco cit. necesse est, quòd ibi formaliter locetur per suam quantitatem spiritualem; & consequenter substãtiæ spirituales per quantitatem spiritualem possunt locum diuisibilem indiuisibiliter occupare, ita vt tota substantia spiritualis sit in aliquo loco corporeo, & tota in qualibet parte illius loci per sui quasi replicationem.

Sed dices, licèt anima rationalis possit sic locari, non tamen aliæ substantiæ spirituales completæ; nam anima sicut informat corpus indiuisibiliter, ita potest locari prout sic indiuisibiliter in loco diuisibili; cùm autem aliæ substantiæ spirituales nõ possint corpus informare, hinc est,

quòd

quòd neque locum corporeum taliter occupare possunt.

Sed contra est, quòd licèt anima rationalis sit diuersæ speciei ab alijs substantijs spiritualibus, tamen quātitas spiritualis illius est eiusdem speciei cum quantitate spirituali aliarū substantiarum spiritualium, à qua formaliter habet esse in loco; cùm illi conueniat ratione primi subiecti spiritualis, quòd est eiusdem speciei in ipsa, & in alijs substantijs spiritualibus. Vnde eodem modo possunt locari omnes substantiæ spirituales; & ideò sicut anima rationalis per suam quantitatem spiritualem locatur in loco diuisibili indiuisibiliter quando informat corpus, & quando est separata à corpore, si benè se gesserit in illo, per eandem quātitatem locatur in loco proprio substantiarum spiritualium (quem esse spiritualem ostendam loco cit.) ita multæ aliæ substantiæ completæ spirituales ordinariè in proprio loco spirituali per suam quantitatem spiritualē locantur, & aliquando; quando scilicet à Deo mittuntur in hoc vniuerso corporeo ad aliquod ministerium per eandem quantitatem indiuisibiliter locum diuisibilem occupant.

918 Dices contra conclusionem primò. Angeli in illo loco solùm locantur, in quo aliquid operantur; ergo operatio est ratio formalis essendi in loco in Angelis. Resp. negando antecedens; nam sicut Sol, v.g. verè operatur in terra, vt constat experientia, & tamen in terra non est locatus; ita natura cōmunis, quæ est præcipua substantia spiritualis à Creatore condita, verè operatur in toto hoc vniuerso corporeo, tamquam legitima ministra Creatoris non solùm dirigendo inanimata ad proprios fines, sed etiam ad conseruationem vniuersi, de quibus loco cit. Tamen non est in toto hoc vniuerso locata.

Dices: Saltem locantur in illo loco, in quo incipiunt operari. Resp. quòd licèt hoc ita esset, tamen operatio non posset esse vllo modo ratio formalis essendi in loco prędictarum substantiarum; quia ratio formalis essendi in loco non pręsupponit rem esse in loco, sed illam formaliter in loco ponit. Operatio verò pręsupponit rem esse in loco, in quo operatur. Prӕterea impossibile est, vt aliqua substantia creata naturaliter existat, & non sit in aliquo loco; sed si substantiæ spirituales completæ essent in loco formaliter per operationem, cùm omnes illæ sint agētia libera, possent naturaliter existere sine hoc, quod essent in aliquo loco, quia liberè cessare possent ab omni operatione circa omnem locum, de quo latius loc. cit.

919 Dices secundò: Substantiæ spirituales non sunt in loco corporeo circumscriptiuè, sed tantùm definitiuè; ergo non sunt in prędicto loco formaliter per quātitatem spiritualem, sed immediatè per suam substantiam. Antecedens ex se est manifestum, cōsequentia verò probatur. Substantiæ materiales non sunt definitiuè in loco per quantitatem corpoream; sed immediatè per suam substantiam; ergo neque substantiæ spirituales sunt in loco definitiuè per quantitatem spiritualem, sed immediatè per suam substantiā.

Antecedens patet; nam dato casu, quòd Deus per suam omnipotentiā auferret ab hoc lapide omnem suā quantitatem, vt potest, quia in hoc nulla est implicantia, tūc adhuc substantia istius lapidis maneret locata definitiuè in hac aula, vt modò locata est; ergo modo definitiuè ibi nō locatur per quantitatem m...

Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad eius probationem negamus antecedens. Ad cuius probationem iterum negamus antecedens; nam substantia illius lapidis nullibi tunc erit, tamquam locatum in loco; quia deficeret ei ratio formalis, per quam est in loco, scilicet quantitas; hoc enim non percipere, est imaginationem non posse transcendere, vt rectè ait Albert. in suo Comment. ad lib. D. Dionysij de Cęlest. Hierar. cap. 13.

Contra solutionē dices: Si Deus relinqueret illam substantiam in sua natura, postquam ab illa abstulerit quantitatem, statim resultabit noua quantitas ab illa substantia, non secus ac in instanti productionis illius; sed illa quantitas non resultabit in alio loco, quàm in hac aula, & hoc nulla alia de causa, nisi quia substantia ibi mansit, & quantitas redundat in substantia in illo loco, in quo est ipsa substantia.

Resp. quòd ex illa substantia, in posito casu resultaret quantitas in hac aula; idest per resultatam quantitatem, lapis erit iterum in hac aula, & non alibi; non enim vt ibi resultet, requiritur pręsentia substātialis; sed sufficit antiqua praesentia, quae erat per quantitatem cum negatione distantiae ab eo, & ab omni alio loco, vt ab auctore naturae ob dictam causam determinetur magis ad talem locum, quàm ad alium, ne frustra multiplicentur miracula; hoc enim consonat magis ordini rerum.

920 Sed instabis cum P. Francisco Suar. lib. 4. de Angelis, cap. 3. & cū Arriaga disp. 14. sect. 4. nos nō possumus concipere creaturam nisi alicubi existentem; ergo non potest non alicubi existere. Optimè respōdet P. Ouiedo in Physica, controu. 15. punct. 7. vbi defendit, quòd creatura potest ab omni pręsentia absolui, & punct. 8. quòd creatura absoluta ab omni praesentia esset intimè Deo praesens, concedens antecedēs, & negans consequentiam, dicens: quòd multa sunt, quae non vt sunt, sed aliter semper apprehendit intellectus, & ne ex alia materia exempla trahamus, cuius rei in quacumque abundat, nos non possumus cōcipere pręsentiam nisi essentialiter relatam ad imaginarium spatium, & tamen nullum respectum dicit ad illud; sed est in se quaedā entitas aequè absoluta, ac albedo, vt docet idem Arriaga sect. 3. num 36.

Dices tandem: Si daretur praedicta quantitas spiritualis foret diuisibilis; sed diuisibilitas repugnat rei spirituali; ergo repugnat pręḋicta quantitas. Probatur sequela. Illa quantitas aliquando correspōderet loco diuisibili; ergo ipsa esset diuisibilis. Haec consequentia patet, quia quod est omninò indiuisibile, non potest correspōdere loco diuisibili.

Resp. negando sequelam. Ad eius probationem distinguimus antecedens. Illa quantitas aliquando correspondere loco diuisibili, diuisibiliter

liter

quia quantum spiritale potest tangere corporeum per modum informationis, ita ut res facta in se recipiat tangentem et hoc quia eius ex una parte sit ordinis superioris, et partes ordinis superioris ursi multa prestare valent inferioribus naturaliter: ut satis patet in astris qui sunt ordinis superioris ut pote incorruptibilis respectu sublunarium corruptibilium etc.

unde sicut quas spiritalis animae rationalis ex hoc quod corporis cuius est forma, et compositum quod constituit supernaturaliter elevantur ad statum beatorum habet impedire extentionem in ordine ad locum effectum eius positibus quantitas corporea, quatenus predicta corpora beatorum locantur a quantitate spiritali anime in loco spirituali connaturali illorum in tali statu: ut in introductione sententie fieri diximus, quod etiam contingit in corpore Cristi in Eucharistia: ita impenetrabilitas effectus eius negatibus ainsdem quantitatis innatae naturaliter a quantitate spiritali, ex hoc quod spiritualis ordinis superioris corporeitati iungat quanti ut sic; quatenus angeli in hoc corporeo mundo venientes, per suam quantitatem spiritales omnes quantitates corporeas penetrant.

Sequantur unus angelus sit alio perfectior neque tamen unus ... penetrare naliter eius sint quantitates spiritales illorum eiusdem

liter nego: indiuisibiliter per quasi sui replicationem concedo: & licèt ad hoc, vt aliquid correspondeat loco diuisibili diuisibiliter, debeat esse diuisibile, non tamen ad hoc vt indiuisibiliter correspondeat loco diuisibili; nam aliàs substantia Angeli, quæ per suam quantitatem spiritualem correspondet loco diuisibili, esset quoque diuisibilis.

921 Pro cōplemento huius quęstionis quæres primò, vtrùm substātiæ spirituales habeant à sua quantitate spirituali impenetrabilitatem, sicut & substantiæ corporeæ à sua quantitate corporea, nec ne?

Resp. quod sic; nam impenetrabilitas est proprietas quantitas vt sic; & ideò omni quantitati conuenire debet; vndè sicut duo homines, v.g. non possunt se naturaliter penetrare, benè tamen supernaturaliter, vt in citata introductione ex professo ostendam, ita neque duo Angeli possunt se ad inuicem penetrare: possunt tamen substantię spirituales penetrare substantias corporeas; & ratio est, quia cùm ex vna parte sint superiores substantijs corporis, & ad superiora spectet regimen inferiorum: & ex alia parte prædictæ substantiæ spirituales sint finitæ virtutis, cùm sint quid creatum, & in hoc mundo corporeo nullum detur vacuum, consequens est, vt tales substantiæ spirituales debeant posse penetrare corporeas; vnde multi Theologi cū D. Tho. tenent, quòd duo Angeli non possint esse naturaliter in codē loco, & licèt vnusquisque hoc probet iuxta sua principia, tamen Richard. de Media Villa in 1. distinct. 37. quæst. 4. optimam reddit rationem huius rei dicens: Respōdeo, quòd plures Angeli nō possunt simul esse in eodem loco virtute creata, quia quæcumque sunt simul in eodem loco, oportet quòd vnum penetret aliud. Vndè si duo corpora simul sunt in eodem loco, oportet, vt vnum penetret aliud; ita dico, quòd si duo Angeli simul essent in eodem loco, vnus alium penetraret; sed nullus spiritus virtute creata potest alium spiritū penetrare: & ideò duo Angeli virtute creata in eodem loco nō possunt simul esse. Hęc ille.

522 Confirmatur responsio. Impenetrabilitas non conuenit quantitati corporeæ, qua corporea; ergo conuenit illi, qua quantitas est; sed quod conuenit quantitati corporeę, qua quantitas est, cōuenit etiā quantitati spirituali, cùm istæ quantitates vniuocè conueniant in ratione quātitatis; nam quantitas est genus illarum; ergo substantiæ spirituales per suam quantitatem spiritualem redduntur impenetrabiles. Probatur maior: Si impenetrabilitas conueniret quantitati corporeæ, qua corporea est, omne corporeum esset impenetrabile; sed hoc est falsum, quia duæ substantiæ corporeæ præcisè sumptæ non sunt impenetrabiles; ergo ratio impenetrabilitatis nō conuenit quantitati, qua corporea.

Dices contra: Anima hominis est in qualibet parte corporis; sed malus spiritus aliquando subintrat humanum corpus; ergo simul est cū anima in eodem loco; ergo similiter vnus Angelus potest esse simul in eodem loco cum alio; maximè quia Marc. 5. legitur, quòd in quodam obsesso erat legio dęmonum, cùm

autem

autem legio constet 6666. videtur impossibile, quòd plures tunc non fuerint in eodem loco.

Resp. cum Richar. loco cit. quòd quamuis malus spiritus aliquando subintret corpus, non tamen simul est cum anima; quia malus Angelus cùm subintrat hominem, nō est pręsens per substantiam aliquam in parte corporis humani; sed vel in humoribus, vel in vacuis ipsius corporis: qui humores, vel quæ vacuitates ab essentia animæ non perficiantur, & voco hìc vacuitatem, concauitatem non infra quam nihil est; quia non est ponere vacuum, sed infra quam non est nisi aer, vel vapor subtilis, secundùm vulgarem modū loquendi, quo dicitur, quod vas est vacuum, in quo nihil est nisi aer, vel vapor subtilis; hæc ille.

Deinde multi illi dæmones existentes in eodem corpore humano, non erant in eodem loco, sed quilibet erat in diuersa parte illius corporis; quodlibet enim continuum, licèt non habeat infinitas partes actu, vel potentia, habet tamen multas indiuisibiles, vt infra videbimus.

923 Quæres secundò: An quælibet substantia spiritualis completa creata possit occupare omnem locum corporeum. Resp. quòd non, nam substantiæ spirituales, quæ non sunt anima rationalis, paulò ab illa differunt, iuxta illud Psal. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*. Ergo sicut animæ rationales solùm sunt in certo, & paruo corpore, ita & reliquæ aliæ substantiæ supradictæ solùm possunt locari in certo corpore, licèt aliquantulùm maiore eo, quod informare potest anima rationalis ob maiorem perfectionem illarum.

Pręterea si aliqua substantia spiritualis posset occupare omnem locū corporeum, esset magna confusio in proprio illorum loco; sed hoc nō est dicēdum, quia cùm sit perfectissimus omnium locorum, perfectissimè locare debet, ergo neque illud. Sequela patet; nam in illo loco est magna confusio, in quo nō possunt locari propria locata eo modo, quo naturaliter petunt locari; sed in proprio loco substantiarum spiritualiū non possent locari pręd ictæ substantiæ eo modo, quo naturaliter petūt locari, si aliqua posset occupare omnem locum corporeum; ergo si aliqua substantia spiritualis completa creata posset occupare omnem locum corporeum, esset magna confusio in proprio illorum loco. Probatur minor. Locus proprius substantiarum spiritualium, & spiritualizatarum, licèt sit maior quacumque parte mundi corporei, eo quod est extensum per sui quasi replicationem, supra superficiem connexā supremæ partis vniuersi corporei, non tamen est tàm magnus, quàm totum vniuersum corporeum: vt in citata introductione hæc omnia ostendentur; ergo si aliqua substantia spiritualis posset occupare omnē locum corporeum, non possit ipsa locari in proprio loco, eo modo, quo naturaliter peteret locari, & cōsequenter neque aliæ. Consequentia patet, quia licèt extra proprium locum substantiæ spirituales nō petant necessariò extendi vt possunt, quia ibi solùm vialiter reperiuntur, benè tamen in proprio, quia ibi per se sunt permanenter; & cùm sint impe-

impenetrabiles, vt supra ostensum est; necessariò sequeretur confusio in proprio loco substantiarum spiritualium, si aliqua illarum posset occupare omnem locũ corporeum.

924 Ex quibus sequitur, quòd nõ solùm impenetrabilitas est proprietas quantitatis vt sic, vt supra dictum est, sed etiam esse in loco definitiuè; cùm omni quantitati conueniat, vndè quantitas completa spiritualis sic propriè definitur: Est quantitas cõpleta, per quam spiritus, & res spirituales possunt locum diuisibilem indiuisibiliter occupare. De qua pro nunc dicta sint satis, latiùs de ipsa agemus in introductione sæpe citata Deo dante.

Vltimò pro complemento nota, quòd & si vsque modo non inueni aliquem Peripateticum admittentẽ, vel impugnantem quantitatem spiritualem; tamen P. Fasarius in disp. Philosophicis de quantitate tom. 1. disp. 1. diuis. 1. §. 5. sic eam insinuauit aliquo modo, dicens: Tandem ex similitudine quantitatis dictæ, & præsertim ex ea, quæ est molis, concessa est quantitas virtualis, quæ per quandam appropriationem applicatur, & attenditur passim in multis materijs, quæ est quoddã accidens spirituale simile quantitati materiali, per quod quasi extenduntur per quamdam æquiualentiam substantiæ purè spirituales, & coexistunt tãto, vel tanto spatio; quantitatem quandam virtualem similiter possumus attẽdere etiam in materialibus, attenta potentia Dei absoluta, vt videre est in corpore Christi Domini producto sub his, vel illis speciebus Sacramentalibus, quod totum in tota, & totum in qualibet parte Hostiæ existit: siue enim per aliquid accidens à se distinctum, siue per se ipsum toti Hostiæ modo dicto coexistat, semper stare potest veritas dicti huius; quod scilicet per quamdam quasi quantitatem, seu perfectionem æquiualentem quantitati, & non formalem, sed virtualem coexistat substantia materialis Christi toti Hostiæ consecratæ. Et P. Tellez par. 3. in metaph. disp. 60. sect. 2. sic ait. Et consequenter ad hanc doctrinam dicendum est, dari quantitatem spiritualem, non quidèm permanentem, sed successiuam, nempè motum, & tempus rerum spiritualium: alium nõ inueni ex illis de illa loquentem.

QVÆSTIO III.

An quantitas realiter distinguatur à substantia, & an substantia corporea ex se habeat partes.

924 Circa primum quæsitum notandum est, quòd quando quærimus, an quantitas realiter distinguatur à substantia, loquimur de quantitate vt sic; nam in hoc eadem est ratio vtriusque, vt de se est manifestum, & magis ex infra dicendis manifestabitur, & ideò

Sit prima conclusio. Quantitas realiter à substãtia distinguitur; quia hæc conclusio à multis modernis probatur euidenter absolutè ex Sacrosancto Sacramento Eucharistiæ; & contra Nominales contrarium sustinẽtes ex eodem mysterio; ideò omissa prædicta probatione Theologica, & etiã impugnatione supradictæ opinionis, quæ omnia apud

ipsos

ipsos videri possunt, sic breuiter probatur conclusio: Quantitas est proprietas primi subiecti, quæque est potentia proxima ipsius ad recipienda alia accidentia, cùm sit subiectum *quo* illorum, vt quęst. 1. ostendimus. Sed proprietates substantiæ, quæ sunt potentiæ ad aliquod actũ accidentale, sunt accidẽtia; vt ostendimus disp. 4. sect. 5. quæst. 1. sicut proprietas substantiæ, quæ est potẽtia ad actum substantialem; est substantia, vt potentia materiæ primæ ad recipiendas formas substantiales: & omnia accidentia vt talia realiter à substantia distinguũtur; ergo quãtitas realiter distinguitur à substantia; Pro quo vide loco cit.

Circa secundum quæsitum sit secunda conclusio. Substantia ex se habet partes substantiales realiter distinctas. Probat: In leone, v.g. pręcisa quantitate, substantia capitis nõ est substantia pedis, ita vt vna à parte rei afferet negationem alterius; ergo vna à parte rei distinguitur ab altera, & consequenter substantia ex se habet partes substantiales realiter distinctas. Probatur antecedens: quia substantia capitis realiter separatur à substantia pedis; nam quando separatur caput à corpore non tantùm separatur quantitas capitis, sed substantia, quæ erat sub illa quantitate; ergo hæc substantia realiter non est illa. Hæc consequentia patet, quia signum euidens distinctionis realis est realis separatio, ita vt si duo aliquando separantur; sequitur euidẽter ipsa semper distingui realiter.

926 Probatur secundò: Viuens per nutritionẽ denuò acquirit substantiam, sicut per augmentationem denuò acquirit quãtitatem, & idem viuens quotidiè deperdit vi caloris naturalis aliquam substantiam; sed substantia denuò acquisita, vel deperdita non potest esse idem realiter cum illa, quæ antea erat in ipso viuente, vel cum ea, quæ in ipso remanet, quia aliàs eadem entitas realis realiter esset, & non esset, quod est impossibile; ergo substantia ex se habet partes substantiales realiter distinctas.

Resp. Complutenses in libris de generat. quòd nõ est inconueniens, quòd id, quod modò est realiter indistinctum cum altero possit ab illo realiter separari, & è contra; id, quod modò non est realiter identificatum cum altero, possit cum illo realiter identificari. Et ad hoc explicandum astruunt triplicem distinctionem realem, scilicet realem virtualem, vt inter animal, & rationale in homine: & realem actualem, quæ versatur inter duas substantias totales, v.g. inter Petrum, & Paulum: inter istas autẽ distinctiones ponũt aliam quasi mediam, quam vocant realem potentialem, quem dicunt versari inter duas res, quæ realiter actualiter sunt idem, & possunt realiter distingui, seu separari.

927 Quo supposito, ad secundam nostram probationem dicunt, quòd ex separatione reali solùm infertur distinctio realis potentialis, & hanc esse inter substantiam, quæ aduenit, & quæ erat, & inter eam, quæ deperditur, & eam, quæ remanet sub eadẽ numero quantitate, licèt per separationem remaneant actualiter distinctæ realiter.

Sed contra est, quòd hæc solutio sun-

fundatur in distinctione reali potentiali, quæ est omninò fictitia. Primò, quia si talis distinctio daretur, non esset efficax argumentum ad probandum, quòd aliqua duo aliquo modo coniuncta realiter distinguantur: vt materia, & forma alicuius compositi substantialis; & partes quantitatis. Secundò, quia aliud est, quòd aliqua duo possint realiter separari, & actu non sint separata; aliud verò aliqua posse distingui, & actu non esse distincta. Primum multoties contingit, secũdum autem est impossibile; quia distinctio sequitur ad entitatẽ, ad quam sequitur vnitas transcendẽtalis, ratione cuius ipsa entitas est indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia; vnde ad entitatẽ singularem, à parte rei positã, sequitur sua vnitas singularis, à qua in se est indiuisa numericè, & diuisa numericè à qualibet alia; ergo entitas, quæ semel fuit distincta realiter ab alio, nõ potest realiter identificari cum illa, neque è contra, quæ fuit identificata realiter cum alia, potest ab illa realiter distingui.

Probatur consequentia; nam prędicta vnitas singularis semper, & indispẽsabiliter comitatur entitatem; sed distinctio realis prouenit à prædicta vnitate singulari, ratione cuius entitas est diuisa à qualibet alia; ergo entitas, quę semel identificatur cum alia, semper identificatur cum illa; nam entitas non distinguitur realiter actualiter ab alio per aliquid realiter superadditum, sed per suam entitatem, quæ ex se non est alia, vnde si eadem entitas perseuerat, impossibile est modò distingui realiter actualiter, modò non distingui.

928 Probatur tandem conclusio: quando quantitas in substantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota substantia, & pars in parte; vel tota in tota substantia indiuisibiliter, ita vt omnes partes ipsius quãtitatis applicentur eidem entitati indiuisibili substantiæ; si primum, ergo pluralitas partium substantialium præcedit quantitatem; si secũdum, ergo accidẽs diuisibile recipitur in subiecto indiuisibili, quod repugnat.

Confirmatur. Sicut forma præsupponit subiectum, & non efficit illud, ita etiam partes formæ materiales supponũt distinctas partes subiecti, è quibus educantur, & non illas efficiunt; ergo partes quãtitatis supponunt partes substantiæ sicut totã quantitas supponit totam substantiam; ergo quantitas ex se habet partes substantiales realiter distinctas.

Dices contra. Ante quantitatem in substantia corporea nulla potest dari compositio partium; ergo nulla potest dari distinctio. Probatur antecedens, quia talis compositio esset accidentalis; ergo non datur in substantia ante quantitatem. Probatur antecedens; quia talis compositio non esset ex actu, & potentia simpliciter, cùm vna pars non constitueret aliam, aut daret illi esse, aut reciperetur in ea, neque essent inter se primò diuersæ, sed eiusdem rationis; ergo esset compositio accidentalis.

929 Resp. negando antecedens. Ad eius probationem negatur antecedens. Ad eius probationem dicimus, quòd ad compositionem substantialem sufficit, quòd partes sint in genere substantiæ, & vnio etiam sit substantialis, & iuxta diuersum mo-

modum partium, & vnionis diuersificantur composita. Cùm igitur in nostro casu partes componentes, & vnio earum sint in genere substãtiæ, hinc est, compositionem esse substantialem, & compositum esse substantiale; quòd autem vna pars se habeat vt actu, & vt constituens, & altera vt potentia, & constituta, pertinet ad specialem modum compositionis substantialis, nõ autem requiritur ad omnem.

Dices tandem. Si substantia materialis ex se haberet partes entitatiuas realiter distinctas, non esset vnũ per se in genere substantiæ; sed hoc est absurdum; ergo & id, ex quo hoc sequitur. Probatur sequela, quia in tali casu essent duo tota substantialia. Primum constans ex materia, & forma substantiali, quod dicitur totum physicum, & aliud constans ex partibus prædictis substantialibus, quod dicitur totum entitatiuum; sed ex duobus totis completis substantialibus nõ potest fieri vnum per se; siquidẽ quod aduenit toti completo substantiali, accidentaliter aduenit illi; ergo si substantia materialis ex se haberet partes substantiales, non esset vnum per se in genere substantiæ.

930 Nec valet si dicas, prædicta duo tota distingui sola ratione, ac proinde posse constituere vnum per se in genere substantiæ. Non, inquam, hoc valet; nam si prædictæ partes substantiales assignantur in substantia, debent realiter distingui à partibus physicis, scilicet à materia, & forma; ergo totum resultans ex illis partibus, distinguitur realiter à toto resultante ex istis. Consequẽtia patet, nam tunc tota distinguuntur realiter, quando partes constituentes ipsa distinguuntur realiter; ergo si partes huius distinguuntur realiter à partibus alterius, ipsa tota etiam realiter distinguuntur.

Resp. quòd benè dicitur in argumento, prædicta tota non distingui realiter, sed sola ratione; etenim entitas materiæ, & entitas formæ cum vnione sunt ipsæ entitates reales, quæ à nobis dicũtur partes substantiales, & istæ sunt ipsa materia, & forma, in quo sola distinctio rationis interuenit, quatenus illud idem realiter totum consideratur vt compositum ex materia, & forma, & sic dicitur totum physicum, & vt consideratur vt compositum ex alijs partibus substantialibus entitatiuis, & dicitur totum entitatiuum. Ad impugnationem respondemus, quòd si partes vnius accipiantur simul sumptæ, nõ distinguuntur realiter à partibus alterius, etiam simul acceptis, & hoc sufficit vt tota resultantia nõ distinguãtur realiter, quidquid sit de comparatione vnius partis ad totũ, v. g. si comparatur caput cum materia prima, distinguitur realiter ab illa, & etiam à forma distinctione realí includentis ab incluso, vnde distinctio prędictarum partium non obstat, quominus ipsa substantia sit totum per se in linea substantiæ.

QVAESTIO IV.

Quid sit quantitas corporea; & quæ sint eius species.

931 QVantitas corporea, vel potest considerari vt sic, quomodo comprehendit tã com-

completam, quàm incompletam, vel in particulari, scilicet pro quantitate corporea completa, quæ est vera, & immediata species generis supremi huius prædicamenti; vnde vt ordinatè procedamus, primò agemus de quantitate corporea, vt sic: deinde de quātitate corporea completa, & ideò

Sit prima conclusio. Quantitas corporea vt sic est id, quod ex se extēsum est, vel quod ex se natum est, cum alio solo numero diuerso extensionem facere. Probatur. Hæc descriptio conuenit omni quantitati corporeæ, & non conuenit alio ab ipsa; ergo est bona. Antecedens quoad primam partem patet; nam prima pars illius cōuenit omni quātitati corporeæ diuisibili; & secunda omni quantitati corporeæ indiuisibili; ergo hæc descriptio conuenit omni quantitati corporeæ. Antecedens huius probationis ex statim dicendis fiet manifestum, sicuti etiā prima pars primi antecedentis, & ideò.

Dices contra. Substantia corporea ex se habet partes substantiales, & est diuisibilis in illas, vt patet ex dictis quæst. præter. ergo ex se est extensa; & consequenter ei conuenit definitio quantitatis corporeę adducta; & ideò talis definitio non est bona.

Resp. negando consequentiam; nam partes illæ substantiales ex se non sunt extensę actu, sed solùm per quantitatem corpoream actu extēduntur. Ratio est, quia illæ partes propriè sunt extensæ, quæ tantùm sunt vnitæ secundùm extremitates, quòd solùm potest conuenire partibus impenetrabilibus, vt de se est manifestum; cùm autem partes substantiales ex se non sint impenetrabiles, eò quod impenetrabilitas est proprietas quantitatis, vt suprà dictū est, hinc est, quòd ex se propriè non faciunt extensionē, sed se totis vniūtur, & ideò dicuntur ex se esse confusæ, & non extensæ.

932 Sed instabis. Partes quantitatis primæ in compositione, & vltimæ in resolutione sunt indiuisibiles, vt quæst. seq. dicemus. Sed prædictæ partes non possunt vniri secundùm extremitates, quia in indiuisibilibus nullę sunt extremitates; ergo nulla solutio.

Resp. quòd licèt prædictæ partes non possint vniri secundùm extremitates, vt benè probat argumentū; tamen quia sunt verè quantitates, sunt impenetrabiles, & vt impenetrabiles vniuntur, ac proinde faciūt veram extensionem: quod non habere partes substantiales ex se est manifestum.

Iterum instabis. Prædictæ partes se totis tangunt; ergo se penetrant; & consequenter nulla solutio. Resp. quòd licèt se totis tangant, quia sunt indiuisibiles, cum tamen sint verè quantitates, nullatenus se penetrāt; quod his exemplis manifestatur: Si Deus, vt potest, auferret quantitates duarum substantiarum spiritualium ab illis, & eas contiguaret, tunc illæ quantitates se totæ tangerent, & tamen non se penetrarent; quia, vt vidimus quæst. 2. huius sect. prædictæ substantiæ sunt impenetrabiles, eò quod ipsarum quantitates sunt impenetrabiles. Et corpus perfectè sphericum positum supra corpus per-

perfectè planum, tunc, vt quæst. seq. videbimus, solùm se tangunt in indiuisibili, & licèt illa indiuisibilia se tota tangant, non tamen se penetrant, cùm vnum sit intrinsecum vni ex illis corporibus, & extrinsecum alio; contactus .n. prædictorum indiuisibilium nō est per modum informationis, ita vt res tacta debeat in se recipere tangentem, circa quod vide quæst. seq.

933 Dices tandem: Secunda pars propositæ descriptionis conuenit quantitati spirituali; ergo talis descriptio non est bona. Consequentia patet ex dictis in introductione lib. 2. sect. 2. Antecedens verò probatur, quia Deus potest separare à duabus substantijs spiritualibus suas quantitates, vt suprà dicebamus, & sic separatas potest illas vnire; sed tunc quælibet illarum faceret extēsionem cū alia solo numero diuersa; ergo secunda pars prædictæ descriptionis conuenit quantitati spirituali.

Resp. quòd in tali casu prædictæ quantitates facerent extensionem, non ex se, quia ex sua natura ad hoc nō ordinantur, cùm sint naturaliter inunibiles: at duæ quantitates corporeæ indiuisibiles ex sua natura ordinantur ad faciendam extensionē, media modali vnione, quia sunt quantitates substantiæ extensibilis, de quo latè infra; & ideò illis non conuenit secunda pars descriptionis quantitatis corporeæ à nobis adductæ, benè tamen istis.

Ex dictis facilè quis formare potest definitionem quantitatis corporeæ completæ, quæ est immediatè species generis supremi huius prædicamēti, hoc modo scilicet; quantitas corporea completa est quantitas completa ex se extensa, vel nata ex se facere, cum alia solo numero diuersa, extensionem. Ex supradictis hæc definitio est manifesta; & ideò ad maiorem intelligentiam illius.

934 Dices contrà; quòd essentialiter conuenit alicui, nec diuinitus ab eo potest separari; sed extensio separatur diuinitus à quantitate corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, cùm ibi non sit extensa, sed tota in toto, & tota in qualibet parte Hostiæ; ergo malè à nobis explicatur essentia quantitatis corporeæ.

Resp. quòd extensio in ordine ad totum neque diuinitùs à quantitate corporea diuisibili potest separari, benè tamen extensio in ordine ad locum, quæ est proprietas prædictæ quantitatis, quæq; separatur diuinitùs à quantitate corporis Christi in Eucharistia, non verò illa.

Solent communiter diuidere Doctores quantitatem corpoream, primam speciem huius prædicamenti in continuam, & discretam. Primam dicunt esse illam, cuius partes copulantur aliquo termino communi, v.g. linea &c. secundam verò dicunt esse illam, cuius partes non copulantur aliquo termino communi, v.g. numerus, & oratio. Meo tamen iudicio meliùs facerent si dicerent, quòd quantitas diuisibilis potest cōsiderari in duplici statu, scilicet, sub vnione suarum partium, quo modo dicitur continua: & sub diuisione earum, quo modo dicitur discreta; nam quantitas discreta nō est aliqua species quantitatis. Quod sic

935 Probatur. Si aliqua quantitas discreta esset species quantitatis, maxi-

maximè numerus quantitatiuus; ſed talis numerus non; ergo nulla. Probatur minor: Numerus quantitatiuus eſt ens per accidens; ergo talis numerus non eſt ſpecies quantitatis. Hæc conſequentia ex ſe eſt manifeſta, antecedens verò probatur. Numerus tranſcendentalis eſt ens per accidens, quia eſt multitudo vnitatū tranſcendentalium, quæ ſunt ipſa plura entia numerata; ergo & numerus quantitatiuus, quia eſt multitudo vnitatum quantitatiuarum, quæ ſunt ipſæ plures quantitates numeratæ, erit quoque ens per accidens. Conſequentia patet ex paritate rationis, & poteſt ſic confirmari: Sicut vnitas tranſcendentalis eſſentialiter prædicatur de vnitate quantitatiua; ita numerus tranſcendens de numero quantitatiuo; ſed numerus tranſcendens duarum quantitatum non eſt vnum ens, ſicut neque numerus duarum ſubſtantiarum; ergo neque numerus quantitatiuus erit vnum ens. Hæc conſequentia patet, quia à ſuperiori ad inferius tenet conſequētia deſtructiuè; nam benè valet, non eſt vnum ens, ergo neque vnus homo.

Dices contrà. Numerus tranſcēdentalis non eſt ens per ſe, quia non eſt aliquid ſuperadditum rebus numeratis, eò quòd vnitates tranſcendentales, ex quibus conſtituitur, non ſunt aliquid ſuperadditum entitatibus, quarum ſunt vnitates; ſed vnitates quantitatiuæ, ex quibus conſtituitur numerus quantitatiuus, ſunt aliquid ſuperadditum quātitatibus, ſeu rebus quantis; ergo & numerus quantitatiuus; & conſequenter ipſe eſt ens per ſe. Probatur minor. Id, quod aliqua res poteſt amittere, vel denuò acquirere, eſt illi ſuperadditum, ſed quantitates poſſunt amittere vnitates quātitatiuas, vel denuò illas acquirere; ergo prædictæ vnitates ſunt aliquid ſuperadditum quantitatibus, vel rebus quantis. Probatur minor. Si vna aqua in duas partes diuidatur, ſtatim vnaquæque illarum habebit ſuam vnitatem quantitatiuam, & ſi iterum continuentur, ſtatim illas amittunt; ergo quantitates poſſunt amittere vnitates quantitatiuas, vel denuò illas acquirere.

936 Reſp. ad minorem, quòd vnitas quantitatiua nihil addit poſitiuū quantitatibus, vel rebus quantis; ſed ſolùm puram negationem cōtinuitatis, & quando partes illæ reuniūtur, præter illam negationem, nihil prorsùs amittunt, & in hoc ſenſu dicunt amittere dualitatem, quia ſicut quantitas continua intelligitur eſſe vna præcisè ex indiuiſione, ita quantitas diſcreta intelligitur eſſe numerus præcisè ex diuiſione continui.

Dices tandem. Numerus eſt proprium, & per ſe obiectum arithmeticæ; ergo non poteſt eſſe ens per accidens, de quo non datur ſcientia; ergo cùm arithmetica ſit ſcientia realis, neceſſe eſt vt numerus ſit ens reale per ſe vnum.

Reſp. quòd ſi hoc argumentum aliquid probaret, vtiq; probaret numerum tranſcendentalem, eſſe ens per ſe, quia arithmetica non alligatur numero quantitatiuo, cùm proportiones numerorum, & proportionalitates æquè benè demonſtret in numero tranſcendenti; vnde ad ipſum reſpondemus, quòd arithmetica non eſt ſcientia realis; nam ſi

naturam illius benè perpendamus, planè percipiemus, quòd eius demonstrationes ita benè procedunt in supputatione entium rationis, sicut realium; Vnde ablatis omnibus entibus realibus adhuc arithmetica remaneret, & exerceri posset in ipsa multitudine entium rationis. Consideret enim arithmetica numerũ, velut in actu signato, quomodo dicitur vnum per se conceptum; sic enim etiam dicimus, ipsum ens per accidens, quatenus tale, in communi consideratum, esse scibile.

937 Ex quibus colligitur, quòd quantitas discreta est aggregatum quantitatum, & quòd numerus quãtitatiuus, & continuum non differũt nisi sicut vnum, & plura vna, quia talis numerus fit ex diuisione continui; & ideo non magis differunt, quã vnum album, & plura alba; & sicut album, & alba non differunt specie, ita neque numerus, & continuum.

Vnde quantitas corporea completa immediata species generis supremi huius prædicamenti diuiditur in diuisibilem: & in indiuisibilem. Prima est quantitas corporea completa, quæ cùm ex se extensa sit, habet aliquas partes inter se termino communi vnitas, in quas diuidi potest: secunda verò est quantitas corporea completa, quæ cùm extensa non sit, licèt ex se nata sit, facere extensionem cum alia solo numero diuersa, nullas habet partes, in quas diuidi possit; & ideò antequàm species istarum quantitatum explicemus, volumus inuestigare ex quibus partibus quantitas diuisibilis componatur, & ideò sit

QVÆSTIO V.

An quantitas diuisibilis componatur ex partibus semper diuisibilibus, vel ex indiuisibilibus.

938 VT quantitatis diuisibilis naturam perfectè intelligamus, partes illius explicare debemus, nec non & continuatiua illarũ, quod tamen licèt sit satis difficile, quia tamen est valdè necessarium, qua potuerimus breuitate, & facilitate hic præstabimus, latiùs in introductione sæpè citata Deo dante, pro quo

Supponendum est, quòd in omni quantitate diuisibili, seu continua, sunt aliqua indiuisibilia realia, & positiua, (quidquid dicant Nominales, & noster Lalemandet cum illis in Metaph. disp. 9 pattit. 5.) hocque à nobis supponitur; tum quia omnes Thomistæ, & Scotistæ, ac etiam cæteri alij, extra Scholam Nominaliũ, hoc idem diligenter, & latè probant, ita vt facilè quisque possit apud aliquẽ ex illis plures probationes huius rei videre; tum etiam quia ex infra dicendis satis hoc constabit: Quare solùm breuiter conabimur respondere rationibus nostri Lalemandet, quatenus procedunt contra sententiam Stoicorum, quam sequimur, & ideò

Dices primò cum Lalemand. loco cit. Si propter aliquam rationem deberemus admittere indiuisibilia realia positiua in continuo, maximè propter contactum corporis perfectè sphærici cum corpore perfectè plano; sed propter hoc non sunt admittenda; ergo nullatenus admitti debent.

debent. Minor patet, quia illud corpus sphericum non tangeret in puncto; sed in parte diuisibili, quia non tangeret illud per omnimodam indistãtiam; nam inter planum, & perfectè sphericum semper mediat aer diuisibilis, qui efficit vt non se tangat in puncto; sed in parte diuisibili.

Resp. negando minorem; ad eius probationẽ dicimus, quod id, quod in ea dicitur, scilicet quod inter planum, & perfectè sphericum semper mediat aer, est voluntariè dictum; nam graue naturaliter tendit deorsum, si non est impeditum, & naturaliter vincit medium, illud diuidit, & frangit, vel secum defert: aer autẽ ille intermedius, cùm sit eiusdem rationis cum alio à globo diuiso, non est tantæ actiuitatis, vt possit impedire descensum prædicti globi vsque ad corpus perfectè planum, neque corpus illud planũ potest talem descensum impedire, quia ad hoc requiritur contactus; nam expulsio vnius quantitatis ab alia fit per contactum, & si à corpore illo plano impediretur, posset papyrus impedire motum deorsum corporis spherici ferrei, quòd est ridiculum.

940 Prædictus Doctor cõtra probationem minoris sui argumẽti sic instat: Sed dices. Deus in vacuo faciat tangi planum à spherico, iam tunc nulla erit solutio data; ergo se tangent in puncto. Responderi aliter non potest nisi, quòd se tangent in parte minima, quæ pars minima nõ impediet, quia globus ille sit perfectus; aut dicam, quòd illud sphericum quasi comprimet partem plani, & sic se se tangent in parte. Adde quod, vt rectè docet Aristoteles in physicis propter rationem aliquam sophisticam, aut imaginationi conformem, qualis est prædicta in fauorem Mathematicorum, non debet deseri veritas alijs varijs rationibus euidens.

Sed istæ tres solutiones omnes sũt insufficientes; Quod sic ostendo. In primis prima, scilicet quòd prædicta corpora se tangant non in aliquo indiuisibili; sed in aliqua parte diuisibili minima est omninò falsa; nam si corpus sphericum tangeret planum in aliqua parte diuisibili, non esset perfectè sphericum contra suppositionem; quia illud corpus est perfectè sphericum, à cuius centro omnes lineæ rectæ ad circumferentiam ductæ sunt æquales; sed si ducerentur tres lineæ à cẽtro circuli ad duas extremitates, & ad mediũ illius partis, secundùm quàm fit contactus, longiores essent lineæ ductæ ad extremitates, quàm ad medium, vt de se notum est: ergo corpus sphericũ non potest tangere vllo modo planum in aliqua parte diuisibili.

941 Deinde secũda nõ est minus falsa, quã præcedens; nam si corpus illud sphericum sit ligneum, & illud planum sit æreum, non possum aliquo modo percipere quòmodo fieret naturaliter illa compressio. Tandem vltima nõ est responsio; & ideò ad reuerentiam tanti viri nihil ei respondeo.

Dices secundò cum eodem ibidẽ: Sicut repugnat etiam diuinitus dari aliquam substantiam spiritualem quantitatiuè diuisibilem; quia hoc est contra naturam rerum spiritualium, ita repugnabit dari aliquod corporeum entitatiuè, & quocũque

alio modo indiuisibile; ergo repugnabit dari indiuisibilia positiua in continuo.

Resp. quòd sufficiens disparitas reperitur inter substantiam spiritualem in indiuisibilitate: & corporeũ aliquod indiuisibile; nam spirituale non solùm nõ habet partes integrales; sed etiam non potest esse pars integralis alicuius: corporeum verò indiuisibile, licèt careat partibus integrantibus, ipsum verò natum est esse ex se pars integrans alicuius cõtinui. Vndè licèt concedamus repugnare substantiam spiritualem quãtitatiuè diuisibilem, non tamen concedere debemus, quòd repugnet dari aliquod corporeum indiuisibile, maximè quia quantitati corporeæ indiuisibili conuenit definitio quantitatis corporeæ à nobis adducta.

942 Dices tandem cum eodem: Variæ vitantur difficultates per reiectionem prædictorum indiuisibiliũ, quæ certè penitùs nugæ censendæ sunt, haustæ ex imaginatione Mathematicorum, quam aliquod habeant in vera philosophia fundamẽtum; ergo debent reijci.

Resp. quòd omnia inconuenientia, quæ ab ipso notantur; & alia, quæ ab alijs obijciuntur, multò faciliùs soluentur in sententia Zenonis, quã sequimur, quàm in sententia Peripateticorum Nominalium, quos in hac quæstione ipse sequitur, vt ex supradictis incipit patere; & magis ex infra dicendis constabit. Quo notato

Sit conclusio. Continuum componitur ex partibus finitis indiuisibilibus. Probatur primò. Partes cõtinui vniuntur vnione positiua realiter modaliter ab illis distincta; sed talis vnio est indiuisibilis; ergo partes ipsius continui sunt quoque indiuisibiles; & consequenter partes cuiuscumque continui sunt finitæ. Hæc vltima cõsequentia patet; quia si omnis extensio cuiuscumque cõtinui actu existentis, vel possibilis est finita, vt ostendemus in introductione ad apicem verorum Philosophorum, necesse est, vt indiuisibilia componentia quodcumque continuum sint quoque finita; nam per additionem cuiuscumque illorum crescit extensio continui. Maior etiam est nota; quia ad hoc, vt aliquid dicatur continuum, debet habere partes copulatas, & vnitas vnione continuationis; quia cõtinuum est vnum per se tali vnione: contiguum verò defectu illius vnionis est vnum aggregatum per accidens; & cum illæ partes sine tali vnione esse possint, non autem è contra consequens est, vt partes continui vniantur vnione positiua realiter modaliter ab illis distincta.

943 Minor verò probatur. Quia si illa vnio non esset indiuisibilis, necessariò esset diuisibilis; & consequenter habebit partes; ergo illæ debent vniri; quia si ipsa vnio sit aggregatum tantùm per accidens, ipsum compositum non potest esse vnum per se. Deinde de hac vnione quærimus, an sit indiuisibilis, & sic vel procedendum erit in infinitum in vnionibus vnionum, quod est absurdum, vel tãdem sistendum in aliquo indiuisibili.

Tandem probatur consequ. argumenti. Vnio partium subiectatur in partibus; sed accidens indiuisibile naturaliter non potest subiectari in

subiecto

subiecto diuisibili; ergo neque partes continui possunt esse diuisibiles, si vnio earum est indiuisibilis. Quod magis sic manifestatur; nam pars cõtinui diuisibilis habet in se vniones, quibus componitur, & formaliter vt diuisibilis includit vniones; sed quatenus dicit formaliter vniones, non potest vnionem terminare; quia vnio ad vnionem non terminatur; ergo nõ potest terminare vnionem formaliter vt diuisibilis. Tandem id, quod vnionem terminat, adęquatè ab vnione distinguitur; ergo terminus vnionis vt terminus vnionis non includit vnionem; ergo vt terminus vnionis formaliter est indiuisibile illud, quod vnionem terminat, quia quidquid non includit vnionẽ, essentialiter est indiuisibile.

944 Pro maiori intelligentiam dicendorum notandum est, quòd sicut diuisibilitas est triplex, ita indiuisibilitas illi respondens, similiter est triplex: nam alia est diuisibilitas secundùm trinam dimensionem, seu longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ; & indiuisibilitas huic correspondens, est superficies: alia est diuisibilitas secundùm latitudinem tantùm, quæ est ipsa superficies; & indiuisibilitas huic correspondens, est linea. Tertia demum est indiuisibilitas omnium minima, seu secũdùm longitudinem tantùm, quæ est linea; & huic correspondet indiuisibilitas omnium maxima, nempè pũctum, quod vocatur simpliciter indiuisibile. Superficies est indiuisibilis versùs vnam dimensionem, scilicet profunditatem; sed diuisibilis quoad longitudinem, & latitudinẽ: linea est indiuisibilis versùs latitudinem, & profunditatem; sed diuisibilis versùs longitudinem: punctum verò est versùs omnem dimensionem indiuisibile; quo notato

Probatur secundò cõclusio: Globus perfectè sphęricus tangit perfectè planum in puncto, seu in indiuisibili; ergo si moueatur, vel circumrotetur per totum planum, non nisi in indiuisibili tanget planum; ergo corpus planum vltimatè constat ex solis indiuisibilibus. Antecedẽs patet ex supradictis. Prima verò consequentia etiam liquet; quia illud indiuisibile globi moti non potest immediatè post, tangere partem plani; quia indiuisibile non potest correspondere parti diuisibili; nec datur maior ratio, cur magis huic, quàm illi parti correspondeat, siquidem partes sunt infinitæ, vt dicunt aduersarij. Dato igitur hoc motu globi per indiuisibilia plani; planè sequitur secunda consequentia; nam si globus circumuoluatur per totum planum, tangendo semper indiuisibilia, planum profectò est, quod continuum plani ex solis indiuisibilibus constet.

945 Ad hanc rationem respondent Complutenses disp. 25. physic. quæst. 2. ad primum. Quòd licèt corpus illud sphęricum continuò moueatur per aerem, circumdantẽ corpus planum; per ipsum tamen planum non mouentur nisi per saltus de puncto in punctum: ita vt inter vnum, & aliud tantisper eleuetur à plano. Quod confirmari dicunt experientia; nam videmus pilam per planũ per illos saltus moueri. Quod si aliquãdo prædictus globus ad manũ traheretur per planũ, tunc etiam

motus fieret per saltus, licèt non ita perceptibiles. Quam responsionem etiam amplectitur Ioann. de S. Thoma, quæst. 10. art. 3.

Sed contra illos stat Mastr. in physica, disp. 9. quæst. 2. art. 4. vbi sic ait: Sed sanè potiùs Complutenses saltant, vt argumentū istud prætereant, non verò globus sphericus, præsertim quando trahitur super planum, & vt excludatur motus iste per saltus globi super planum, ad quem dicere possent, cōferre figuram sphæricam sit columna perfectè rotunda, cylindus dicta, quę super planum moueatur, aut corpus quadratū, & perfectè cubum, quòd secundùm latus angulare desinat in linea, trahatur per planum, tangens illud tantùm secundùm latus angulare vtique in his casibus saltus horum corporum fingere non licebit, & tunc argumētum procedit sicut de corpore sphęrido; Tum quia esto verum sit globum moueri per aerem quocūque circumfusum, & hunc ab ipso non tangi in puncto, adhuc tamen negari nequit moueri quoque continuè per planum, illudque continuò tangere; neque sensus, neque ratio demonstrat cur, & à quo globus ille interpolatè debeat eleuari à plano, sicut homo pedes eleuat in motu, quo exemplo vtitur Ioannes de S. Thoma.

946 Deinde Pererius lib. 10. cap. 14. ad tertium sic ait: Verùm est, corpus sphęricum, cùm tangit planum, tangere in puncto, & ita si discretè, & distinctè tangeret planum, cùm mouetur super ipsum, semper tangeret in punctis; sed quia mouetur continuè, tactus illius est vnus numero, & continuus, idem planè cum motu ipsius; quare tali tactui, & motui, qui fit in longum, debet respondere in plano aliquid etiam longum, & continuum, & indiuisibile secundùm latitudinem; hoc autem non est punctum, quia non est longum, neque puncta, quia hæc & sunt multa, & non sunt continua; respondet igitur linea, quare tale sphęricum non mouetur per puncta, sed per lineam. Hæc solutio parùm distat ab illa, quàm tradit Mastrius ex propria sententia loc. cit. Ad quam

Respondet P. Tellez in Summa vniuer. Philosophi. par. 2. in physic. disp. 35. sect. 1. dicens: Respondet quartò P. Pereria in sua Philosophia lib. 10. cap. 14. ad tertium: Globum, scilicet, non tangere planum in puncto cùm mouetur; sed solùm cùm quiescit: sed meo consilio, quiescat P. Pereria cum hac sua solutione, nedum globus mouetur, nos moueat ad risum; nam de hoc ipso est quæstio, cur scilicet non debeat tangere planum in puncto, cùm mouetur. Hæc ille: relictis alijs solutionibus, quæ apud citatum videri possunt.

947 Probatur tandem conclusio: Substantiæ spirituales possunt occupare locum diuisibilem indiuisibiliter per sui quasi replicationem, vt quæst. 2. ostendimus: sed hoc non esset verum, si partes cōtinui primæ in compositione, & vltimæ in resolutione non essent prorsus indiuisibiles; ergo continuum componitur ex partibus indiuisibilibus. Probatur minor. Demus v. g. quòd aliquis Angelus in hoc vniuerso corporeo nolit se aliquo modo quasi

repli-

replicare, vt benè potest, & fortè multoties cōtingit,& forsitan in illo casu de illa legione adducto quęst. 2. tunc certè manebit in loco corporeo proportionato suæ substantiæ, & quantitati spirituali; sed tàm substantia Angeli, quàm eius quantitas spiritualis sunt prorsùs indiuisibiles; ergo tunc manebit locatum in puncto, quod est omninò indiuisibile. Deinde demus, quòd posteà quasi se replicet semel,tūc per illam quasi replicationem, cùm non fiet diuisibilis, solùm aliud punctum occupabit,& si millies se quasi replicauerit, solùm tanget mille puncta &c. ergo substantiæ spirituales non possent locum diuisibilem occupare, si partes cōtinui primæ in compositione, & vltimæ in resolutione non essent prorsus indiuisibiles.

Fortè reuerteris ad saltus Complutensium,dicendo,quòd Angelus primò tangit vnum punctum, deinde per sui quasi replicationem tangit aliud,non tacta parte intermedia. Sed si hoc dicis,nihil absurdius dicere potuisti; nam ex hoc sequeretur, quòd anima rationalis nō informaret partes corporis humani; sed tantùm vniones illarum;& consequenter quòd nō informaret corpus humanum,quod falsissimum est,& cōtra fidem, vt in introductione sæpè citata ostendam. Circa sequelam huius argumenti vide quęst. 2. huius sectionis.

948 Primum argumentum. Sententia nostra est ab Ecclesia damnata;ergo non debet sustineri. Consequentia est optima. Probatur antecedens, ex Concilio Cōstantiensi, quòd sess. 15. notauit non solùm errores, quos habuit Ioannes Huss hæreticus contra fidem; sed etiam quos habuit contra veram philosophiam, quatenus docuit: Continuū cōstare ex solis indiuisibilibus,cuius sessionis hæc sunt verba: *Linea aliqua mathematica continua componitur ex tribus, vel quatuor punctis immediatis; aut solùm ex punctis simpliciter finitis; vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex solis instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint, taliter componantur &c.* Mox additur censura his verbis: *Prima pars est error in philosophia; sed vltima errat contra diuinam potentiam.*

Ad hoc argumentum respondet P. Tellez loco cit. hoc modo: Hoc argumento vtitur P. Rub. in Physic. de compositione Continui quæst. 2. §. *Oppositam partem*; cui in hac parte amicabiliter adhęrent Patres Disc. calc. in suo Cursu Complut. 6. Physic. disp. 25. §. 2. num. 17. & aliqui meticulosi, minusq; diligentes, existimantes,citata verba continere definitionem aliquam præfati Concilij: at.n. qui meæ sententiæ adhæserint, bono animo esse possunt; primò quia talia verba non inueniuntur in prioribus editionibus huius Concilij, nec item in Summa Conciliorum.

949 Secūdò, quia licèt inueniantur in editione Coloniæ Agrippinæ anno 1567. tom. 3. Conciliorum, sess. 15. Concilij Constantiensi, pag. 836 non tamen sunt verba Concilij; sed cuiusdam Henrici de Piro Promotoris, & Procuratoris, qui tunc accusabat Ioannem Huss,vt euidentissimè patebit legenti dictum Concil. sess. 15. pag. 834. vbi distinctis, & di-

& disertis caracteribus habetur eius petitio, in qua ponit articulos; quos petebat damnari ab Ecclesia contra prædictum Hæreticum, inter quos posuit, tamquam errorem in Philosophia, prædictam propositionem. Quam tamen Concilium, vel Ecclesia non censurauit; præfata enim sess. 15. pag. 838. & 839. numerans triginta errores Ioannis Hus, nullam mētionem fecit illius propositionis. Et meritò quidèm, quia, vt rectè aduertit Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 224. num. 12. & Valent. tom. 3. disp. 1. punct. 7. §. 41. in respons. ad 4. Concilia solùm definiunt eam propositionem, quæ colligitur vel ex sacra Scriptura, vel ex traditione Ecclesiæ, vel ex principijs fidei, per discursum Theologicum: sed illa propositio, Linea componitur ex solis indiuisibilibus finitis, nulli loco sacræ paginæ, aut Ecclesiæ traditioni, aut cōclusioni ex principijs fidei deductæ repugnat; ergo non debebat à Concilio definiri: siquidèm expressè dicitur de tali propositione, quòd sit error in Philosophia.

Confirmatur; quia Martinus V. Summus Pontifex sess. 45. & vltima dicti Concilij enumerans omnes errores Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus, condemnandoq; illos, nullam huius propositionis mentionem fecit, vt videre licet tom. 3. Concil. pag. 917. dicta editione Colon. anno 1567. Adde cum Bellarm. tom. 1. Controu. lib. 2. de Concil. auctorit. cap. 19. & cum Patre Arriaga in Physic. disp. 16. sect. 8. sub sect. 6. nu. 113. Concilium Constant. non fuisse legitimè congregatum; quia, nullius Sum. Pontificis auctoritate fulciebatur; licèt postea approbatum fuerit à Martino V. quoad decreta fidei. Accedit, quòd non omnia, quæ cōtra reum opponuntur à promotoribus iustitiæ, acceptantur à iudicibus tamquam sint res culpabiles, immò quando non reprehenduntur, signū est, quòd non merentur condemnationem, sed potiùs tacitè approbantur. Quare licèt præfatus promotor contra nostram sententiam adeò insurrexerit acriter, nemo nobis iure succenseat, si potiùs tacitam Concilij approbationem sequamur, quàm eiusdem promototis expressam reprobationem.

950 Neque me à loco mouet P. Rub. 6. Physic. tract. de composit. Continui, quæstion. 2. §. *Oppositam* asserens; Sanctos Patres, qui de hac re loquuti sunt, opinionem Aristotelis, tamquam certam in Philosophia veritatem habuisse, & ibi pro se solùm affert S. August. verba, 11. de Trinit. cap. 12. At enim D. August. si attentè legatur, solùm vult, minutissima etiam corpuscula posse per phantasiam, vt ibi loquitur, hoc est per rationem infinitè diuidi: diuisio verò per rationem non est realis; & Physica, de qua loquimur, sed formalis. Neque Hugo tom. 8. Bibliothecæ Patrum, lib. 2. de hęresibus, cap. 8. videtur sentire, contra me; solùm enim dicit, continuū esse, quod constat partibus vnitis, quod nos etiam defendimus. Neque tandem contra nos pugnat D. Basil. in Exameron, Homil. 1. litera D. quatenus ait: *Id quod semel dissecatum est, in alia rursus segmina intercidi potest*: solùm enim loquitur de corpore physico, & sensibili, quod item sēsibili modo potest

potest diuidi,& eodem modo explicari potest D. Thom. vbi supra, & aliàs sæpè.

Huic argumento ex auctoritate petito solito lentiùs satisfeci,vt constet, quàm inconstanter in Constantiensi Concilio sine debito consilio decipiantur aliqui Recentiores, qui fortè religione moti, à nostra sententia recesserunt: inter quos Hurt. in physic. disp. 15. sect. 5. subsect. 1. nu. 50. ait, placuisse illam solis duobus,vel tribus Recentioribus,qui,vt ipse addit, *Suscitarunt hanc opinionem apud inferos iamdiu sepultam:* veriùs tamen diceret, eam fuisse apud antiquos Philosophos communissimã, & postea à multis Philosophiæ, ac Theologiæ magistris inculcatam, & propugnatam. Quęro tamen ab illo, quis vnquam talem opinionem ad inferos condemnauit? Ipse ne Hurtadus? certè caret auctoritate detrudendi ad inferos Doctorum, ac Catholicorum hominum opiniones: Aristoteles fortasse, qui tanto stomacho,infestoq; animo illam est insectatus? Ipse tamen apud inferos iamdiù iacet: Concilium, Ecclesia, vel Summus Pontifex? Iam ostendi nullam mentionem eius fuisse factam. Quid ergo restat? deceptos fuisse viros alioquin doctos, opinionemq; nostram, de compositione continui ex solis indiuisibilibus, nõ apud inferos sepultam conticuisse; sed viuentem adhuc, ac spirantem, in ore omnium, ac luce, inter superos efflorescere. Hæc ille,qui est in nostra sententia,pro qua multos Peripateticos citat, qui videri possunt apud ipsum.

Secundum argumentum. Ex nostro Lalemandet disp. 9. partit. 5. in Metaph. Si linea v. g. constaret ex solis punctis, daretur linea nouem pũctorum; & cùm de ratione lineæ sit,posse diuidi in duas medietates,& diuidatur de facto, illa certè debebit diuidi in duas partes, quarum quælibet constet ex quatuor punctis cum dimidio; sed hoc repugnat; nam pũctum essentialiter est indiuisibile; ergo repugnat, quòd linea constet ex solis punctis.

Resp. quòd non est de ratione lineæ,vt possit diuidi in duas medietates æquales, licèt Euclides,lib.8.Element. proposit. 10. doceat, quamlibet lineam posse diuidi in duas partes æquales, quod dictum solùm est verum,de lineis constantibus ex partibus æqualibus; vndè tertia solutio ipsius Lalemand. circa contactum corporis sphærici suprà adducta,potiùs huic argumento congrueret, quàm illi.

Vltimum argumentum. Ex eodem Lalemandet ibidem. Punctũ additum puncto non auget lineam: ratio est, quia quòd v. g. lapis adueniens cumulo lapidum,augeat illum cumulum, prouenit ex hoc, quòd lapis adueniens non tangat secundũ se totum alios lapides; sed tantùm secundùm exteriores partes: at pũctum, cùm sit indiuisibile, non tanget secundùm suas partes, sed se toto aliud punctum; ergo nihil augmenti affert lineæ,& sic linea decem pedum non poterit dici maior linea quinque pedum. Item dentur duæ lineæ quælibet decem pedum,& addantur vni ex illis varia puncta; proinde tamen illam non augebunt.

952 Resp. negando,quòd punctũ addi-

additum puncto non faciat lineam. Ratio autem, cur lapis adueniens cumulo lapidum, augeat illum cumulum, est quia non penetrat alios lapides; & licèt verum sit, quòd non possit alium lapidum penetrare, nisi illum totum tangat, tamen non omnia, quæ se tota tangunt, se penetrãt, vt contingit in punctis, & alijs indiuisibilibus; nam ad hoc vt vnũ punctum tangat aliud, sufficit, vt sit illi vnitum, vel saltem contiguum; & cùm aliunde non dentur partes diuisibiles, eo ipso quòd primum punctum contiguum sit secundo, censetur illud tangere secundùm se totum. Ad hoc verò vt censeantur non penetrari, sufficit, quòd vtrique puncto respõdeant in spatio extrinseco diuersa puncta, vt reuera correspondent, siquidem est vnum pũctum positũ immediatè post aliud; nam contactus eorum non est per modum informationis; sed per continuationem; circa quod vide quæst. præterita.

Licèt enim tale argumentum videatur fundatum in illo axiomate, scilicet *indiuisibile additum indiuisibili non facit maius*, tamen, vt rectè ait Telez loco citato: axioma illud non debet transire cancellos peripateticos, sicut dici solet de articulis Parisiensibus, qui non transeunt Sequanam; potest tamen commodè explicari hoc modo: Indiuisibile, qui est modus additum indiuisibili, qui est res, non facit maius, quomodo est verissimum. Alia argumenta, quæ contra conclusionem nostram obijci solent, videri possunt soluta apud Telez, & Oniedum in Physica contr. 17. apud quos etiam inuenies varias impugnationes opinionis contrariæ Peripateticorum.

953 Ex quibus colligitur, quòd in continuo sunt duo genera indiuisibilium, seu punctorum, quædam n. sunt modi, & quædam sunt res, & partes ipsius continui: indiuisibilia modi vniunt inter se indiuisibilia, quæ sunt res; vnde omnes partes cuiuscumque continui duobus indiuisibilibus vniuntur; nam cùm neutra habeat rationem formæ, vel materiæ respectu alterius, nulla etiam datur maior ratio, vt vnio sit in vna, & non in alia, quapropter vtraque vnitur cum alia sua propria vnione; istæ enim vniones, cùm non sit quantitates, licèt sint quantitatiuæ, seu modi quantitatis, non sunt per se in loco, neque occupant distinctum locũ à quantitate punctorum, quorum sunt modi. Puncta verò, quæ sunt res, quia non se penetran, & sunt veræ quantitates indiuisibiles iuxta suprà dicta naturaliter occupãt diuersa loca.

Et notá, quòd lineæ non vniuntur inter se ad constituendam superficiem, media aliqua linea modali, neque superficiens inter se connectũtur ad constituendum corpus, media aliqua superficie modali; sed puncta, seu partes vnius lineæ connectuntur cum punctis, seu partibus alterius, medio puncto modali, sicut & superficies inter se connectuntur, quatenus puncta linearum, ex quibus componuntur inter se punctis modalibus vniuntur; vnde licèt aliqua puncta ex his, quæ componunt corpus, nectetur cum quatuor alijs, tamen non habent quatuor puncta, quæ sint modi; sed vnicum tantùm,

medio

medio quo nectuntur cum illis quatuor punctibus; in parte superiori cum vno, & in inferiori cum alio, & ad vnum latus cũ altero, & ad aliud cum quarto; quia punctum, quod est modus additum puncto, quod etiam est modus non facit maius; & consequenter non potest dari aliqua linea, quæ sit modus; quia illa non posset cõstare ex alijs partibus, quàm ex punctis modis; & consequenter neque aliqua superficies, quæ sit modus; quia ista constare deberet ex lineis, quæ essent modi.

QVÆSTIO VLTIMA.

De speciebus quantitatis corporeæ diuisibilis, & indiuisibilis.

954 PRima conclusio. Quantitas diuisibilis adæquatè diuiditur in lineam, superficiem, & corpus: quæ sunt species infimæ. Tres partes habet hæc cõclusio, quarum prima est, quòd linea, superficies, & corpus sint verè species quantitatis diuisibilis; secunda, quòd non detur aliqua alia species quantitatis diuisibilis præter istas tres; tertia, quòd istæ tres sunt species infimæ. Prima pars probatur. Linea, superficies, & corpus essentialiter includunt rationem quantitatis diuisibilis, & vnaquæque illarum addit illi diuersam differentiam essentialem; ergo linea, superficies, & corpus verè sunt species quantitatis diuisibilis. Antecedens quoad primam partem patet; nam tam linea, quàm superficies, & corpus essentialiter ex se sunt extensæ, ac proinde habẽt aliquas partes termino communi vnitas, in quas diuidi possunt; sed in hoc consistit essentia quantitatis diuisibilis, vt in fine quæst. 4. diximus; ergo linea, superficies, & corpus essentialiter includunt rationem quantitatis diuisibilis. Deinde idem antecedens quoad secundam partem etiam est notum; quia partes extensionis lineæ, in quas diuidi potest, sunt prorsus indiuisibiles. Partes verò extensionis superficiei, in quas diuidi potest, sũt diuisibiles tantùm secundùm longitudinem; & tandem partes extensionis corporis sunt essentialiter diuisibiles non solùm secundùm longitudinem; sed etiam secundùm latitudinem. Ergo linea, superficies, & corpus vnaquæque addit diuersam differentiam essentialem quantitati diuisibili.

Secunda pars conclusionis sic ostẽditur à Nicolao Forest Duchesne in Florilegio vniuersali tom. posteriori, discertat. 6. quæst. 4. art. 1. Quia non possunt dari dimensiones plures tribus, vt ostendit Aristot. lib. 1. de Cęlo, textu 2. & demonstrant Mathematici ex eo, quòd non possint esse plures quàm tres lineæ sibi inuicem perpendiculares, ita vt quęlibet incidat duabus alijs perpendiculariter, siue ad angulos rectos.

955 Confirmatur ex numero sex positionum physicarum; nam v. g. in homine sursum, & deorsum faciunt longitudinem; dextrum, & sinistrum latitudinem, quæ sunt antrorsum, & retrorsum profunditatem.

Demum tertia pars conclusionis etiam est nota: nam cùm non subdiuidãtur essentialiter, scilicet penès diuersitatem extensionis, aut diuisibilitatis; consequens est, vt sint species

cies

cies infimæ quantitatis diuisibilis. Diuiduntur tamen penès quendam situm accidentalem partium; quod compendiosè ostendit idem Forest Duchesne loc. cit. ex Mathematicis sic: Linea subdiuiditur in rectam, & curuam: Curua in circularem, spiralem, ellipticam, parabolicam, hyperbolicam, & innumeras irregulares.

Superficies subdiuiditur prout variè terminatur: Vel vnica linea curua, & est circulus, aut ellipsis; Vel vna curua, & vna recta, & est aut parabola, aut hyperbola, aut semicirculus, aut semiellipsis, aut segmentũ circuli ex arcu; & chorda, aut segmentum ellipsis; Vel vna curua, & duabus rectis, & est aut sector circuli ex arcu, & binis semidiametris, aut sector ellipsis; Vel tribus rectis, & est triangulum, aut æquilaterum, aut isosceles, aut scalenum; Vel quatuor rectis, & est aut quadratum, aut parallelogramum, altera parte longius, aut rhombus, aut rhomboides, quibus addantur innumeræ figuræ irregulares quadrilateræ, quæ dicuntur trapezia; Vel quinque, aut pluribus rectis, & quando figuræ sunt æquilateræ potius denominãtur ab angulis polygona pentagonum, hexagonum, heptagonum, octogonũ, &c. sicuti etiam in prioribus dicuntur trigona, & tetragona.

956 Corpus solidum subdiuiditur prout variè continetur: Vel vnica superficie curua, & est sphæra, aut sphæroides; Vel vna curua, & vna plana, & est conus, aut conoides, tàm parabolicum, quàm hyperbolicum, quibus adde horum omnium segmenta; Vel vna curua, & duabus, aut pluribus planis, & est *cylindrus*, aut sector sphæræ; Vel pluribus planis rectilineis, & est tetraedron, seu pyramis, aut hexaedron, seu cubus, aut octaedron, aut dodecaedron, aut icosaedron, quę dicuntur quinque corpora platonica, quibus adde obeliscum, seu piramidem longiorem, & prisma, & paralellepipedum rectangulum, & alia.

Dices contra primò. Linea, & superficies sunt quid incompletum; ergo non sunt species quantitatis diuisibilis. Consequentia patet; quia species quantitatis diuisibilis directè in prædicamento quantitatis collocantur; sed omnia, quæ directè in aliquo predicamento collocantur, debent esse entia completa, vt ostendimus disput. preced. sect. vlt. quæst. vlt. ergo cùm linea, & superficies sint quid incompletum; non erunt species quantitatis diuisibilis.

Resp. quòd sicut partes integrantes homogeneæ, v. g. partes aquæ, licèt prout actu cõponant, sint quid incompletum, extra tamen compositionem sunt quid completum, vt diximus loco cit. in argumento: ita etiam licèt lineæ, & superficies, quatenus illæ immediatè componunt istas, & istæ corpus, sint quid incompletum; extra tamen talem compositionem sunt qd completũ. Ratio est, quia quantitas diuisibilis, seu cõtinua, quæ est vera species intermedia huius prædicamenti, directè, & essentialiter de illis prædicatur; quo etiam modo ipsæ præd cantur de suis indiuiduis, quę extra illam compositionem sunt aliquid physicè cõpletum, quatenus scilicet naturaliter existere valent sine cõsortio alterius

eiusdem

eiusdem prædicamenti, vt ex professo ostendemus in introductione ad apicem verorum Philosophorum.

957 Dices secundò. Locus proprius rerum quantarum quantitate diuisibili est vera quãtitas diuisibilis; sed non est linea, superficies, vel corpus; ergo datur alia species quantitatis diuisibilis præter lineam, superficiem, & corpus. Maior patet, quia sicut nulla res est aliquo modo in loco; nisi formaliter per quantitatem, vt quæst. 2. innuimus. Ita nulla res potest aliam locare nisi formaliter per quantitatem, & cùm locus proprius cuiuscumque rei necessariò sit proportionatus locato; ideò locus proprius rerum quantarum quantitate diuisibili est vera quantitas diuisibilis. Minor etiam est nota, quia si locus identificatur cum aliqua ex prędictis speciebus, maximè cum superficie, vt de se patet; sed cum superficie non, quia multæ sunt superficies, quæ non sunt locus; ergo superficies, linea, & corpus non sunt locus.

Resp. quòd locus nō est propriè, & per se species quantitatis diuisibilis; sed reducitur ad eam ratione superficiei, quam includit; nam locus, eo quòd est vltima superficies corporis cōtinentis præter superficiem includit relationem, seu aptitudinē ad continendum corpus locatum, quæ per accidens se habet ad propriam, & essentialem rationem superficiei, & consequenter locus prout sic est ens per accidens; & ideò non potest esse vera species quantitatis, & cùm non habeat vllam aliam extensionem præter extensionem superficiei non potest constituere distinctam speciem quantitatis diuisibilis; sed reducitur ad superficiem.

Dices tandem. Quantitas diuisibilis immediatè diuiditur in permanentem, quæ est illa, cuius partes simul existere possunt, vt linea, superficies, & corpus: & successiuam, quæ est illa, cuius partes non possunt simul existere; sed sunt talis naturæ, vt vna succedat alteri, vt tempus, & motus; ergo malè à nobis diuiditur in lineam, superficiem, & corpus.

958 Resp. quòd nullum ens successiuum potest esse species quantitatis; nam partes entis successiui, immediata tantùm successione annectuntur; & ideò nullum successiuũ est vnum ens per se; nam vbi non intercedit physica vnio, & reperiuntur partes diuersæ, vnum per se reperiri non valet. Quod autem partes successiui nullam habeant physicam vnionem ex professo ostendam in introductione sæpè citata.

Vltima conclusio. Quantitas corporea indiuisibilis, seu punctum diuiditur in hoc, & in illo puncto. In hac conclusione solùm est difficultas in hoc, quòd punctum sit vera species quantitatis corporeæ; nam quòd sit species infima, posito quòd sit species illius, est res per se manifesta. Quòd autem sit vnica species quantitatis indiuisibilis ex infrà dicendis constabit, vnde illud, sic probatur: De puncto essentialiter in quid prędicatur quātitas corporea; ergo est vera species quantitatis corporeæ. Cùm autem quantitatis corporeæ diuisibilis definitio de ipso prædicari non valet, benè tamen definitio quantitatis corporeę indiuisibilis; cōsequēs est, vt sit vera species quan-

quantitatis corporeæ indiuisibilis. Antecedens patet, quia hæc est essentialis prædicatio in quid. Punctū est quantitas corporea, seu id, medio quo partes indiuisibiles substantiæ corporeæ recipiunt partes indiuisibiles aliorum accidentium corporeorum; punctum enim essentialiter est quantitas, quæ ex se nata est facere extensionem cum alio solo solo numero diuerso ab illa.

959 Dices contra. Instans temporis est vera quantitas corporea indiuisibilis; ergo malè dicimus, quòd punctum sit vnica species quantitatis corporeæ indiuisibilis. Respond. quòd sicut supra diximus, tempus non est species quantitatis diuisibilis, ita modo negamus instans esse speciem quātitatis indiuisibilis, quia ex se natum non est constituere cōtinuum cum alio solo numero diuerso ab ipso, vt facit punctū. Quod constat ex supradictis in solutione ad vltimum. De instanti, & de tempore pro nunc dicta sint satis; nam cùm explicatio eius sit valde difficilis, ita vt dicat D. August. 11. Confessionum, cap 14. *Quid est tempus? Si nemo ex me quærat scio: si quærenti explicare velim, nescio*. Ideò illā prout imbecillitas nostri ingenij permittit, adducemus in introductione sæpè citata.

Pro complemento huius sectionis notandum est, quòd Arist. in 3. & vlt. parte cap. t. s de quantit. tres proprietates quantitatis enumerat, scilicet non habere contrarium; nō suscipere magis, & minus; & vt secūdùm quantitatem rei dicātur çquales, vel inæquales. Duæ primæ sunt proprietates quantitatis in secundo modo, iuxta dicta in fine sect. præced. Tertia verò in quarto; nam æqualitas, & inęqualitas sunt relationes cōsequentes quantitatem, & in illa fundatæ.

Vbi est notandū cū Cōplut. in Annot. circa caput de quantitate; Quod sicut per similitudinem ad verā quātitatem, perfectio, seu virtus cuiuscumque rei appellatur quantitas: ita per similitudinem ad verā çqualitatem, vel inæqualitatem conuenientia omnimoda, vel excessus rerum secundùm perfectionem dicitur æqualitas, vel inæqualitas. Quo sensu duas albedines eiusdem intensionis appellamus æquales; si verò altera sit remissior, inæquales: & Christus Dominus dicitur æqualis Patri secundùm diuinitatē; inęqualis verò secundùm humanitatem. Ex quo fit, vt seruata eadem proportione, sicut vera æqualitas, vel inæqualitas est passio consequens verā quantitatē: ita similitudinaria çqualitas, vel inæqualitas est quasi proprietas cōsequens quantitatem virtutis, quæ per quamdam similitudinem appellatur quantitas.

SECTIO III.
De Relatione.

960 *Licèt qualitas nobilior sit relatione, cùm relatio minimæ entitatis sit inter cætera omnia entia, tamen, his non obstantibus, priùs de relatione, quàm de qualitate recto ordine vnà cum Aristotele agemus. Nam cùm relatio sit vicinior, & intimior substantiæ, quàm qualitas; quia eo ipso, quòd substantia est substantia, antequam in ea intelligatur qualitas, est eadem, vel diuersa cum aliquo ente; & cum*

& cum identitas, & diuersitas sint quædam relationes prædicamentales, vt infra dicemus; consequens est, vt relatio sit vicinior ipsi substantiæ, quā qualitas; ideoq; post explicationem prædicamenti substantiæ, antequàm de qualitate agatur, recto ordine prædicamentum relationis explicatur; pro quo sit

QVAESTIO I.

An detur aliquod prædicamentum relationis: & si datur, quid sit eius supremum genus.

961 CVM relatio prædicamentalis inter alias res sit debilissimæ entitatis, hinc multi Philosophi inter modos eam quærentes, & non inuenientes, cùm sit quid completum, & cum rebus illam associatam esse, percipere non potentes, hoc tertium prædicamentum omninò negarunt. Nouissimè omnes relationes reales prædicamentales negat P. Ioannes Martinon. to. 1. disput. Theologicar. disp. 25. de Trinit. sect. 2. vbi in fine sic ait: Cōcludo itaq; nullas esse nec in diuinis, nec in creatis relationes veras, & reales præter trāscendētales. In quo habemus consentientes Aureolum in 1. dist. 30. art. 2. Durandum eadem distinct. quæst. 2. Gabriel ibid. quæst. 1. & sequent. Gregoriū distinct. 28. Ochamum distinct. 30. quæst. 2. & alios, quibus è recentioribus accedit Hurtad. disput. 15. metaph. sect. 2. vbi fusiùs exponit, & confirmat hanc sētentiam. Tamen omnes Accademici, & cuncti alij Peripatetici illas libenter admittunt, & nos cum istis hoc idem facimus; & ideo vt soluamus vtrumque quæsitum tituli.

Notandum est primò. Quòd relatio vt sic, prout scilicet comprehēdit, tàm omnes relationes reales, quàm rationis, est habitudo vnius ad aliud, vel ad alia. Cùm autem habitudo ista, vel sit ficta ab intellectu, vel realiter à parte rei reperiatur, & sic, vel sit identificata cum illo, quod per ipsam ad aliud, vel ad alia ordinatur, vel illo realiter distincta; hinc est, quòd relatio sic accepta diuiditur in relationem rationis, seu in habitudinem ab intellectu fictam inter ea, quæ à parte rei non se respiciunt, & in relationem realem, seu in habitudinem à parte rei existentem, per quam vnum à parte rei ad aliud, vel ad alia ordinatur.

962 Deinde relatio realis subdiuiditur in transcendentalem, seu in illam, quæ realiter identificatur cum illo, quod per ipsam ad aliud, vel ad alia refertur, quæ etiam relatio secūdùm dici solet appellari: & in prædicamentalem, seu in illam, quæ realiter distinguitur ab illo, quod per ipsam ad aliud, vel ad alia refertur. Vnde, vt ostendamus dari relationes prædicamentales, & ipsas constituere peculiare prædicamentum, & essentiam generis supremi illius explicemus, debemus notare, discrimen, quod versatur inter huiusmodi relationes prædicamentales ex vna parte; & transcendentales; & rationis ex alia. Quod vt faciamus

Notandum est secundò, quòd relatio secundùm dici, seu transcendentalis per hoc maximè differt à relatione secundùm esse, seu prædicamentali: quod principale significatum relationis secundùm dici, nō est relatio; sed aliquid aliud, ad quod

sequitur

ſequitur relatio; nam quando principale ſignificatum alicuius eſt ipſa relatio, & non aliquid abſolutum, tunc eſt relatio ſecundùm eſſe, ſeu prędicamentalis. Vnde relatio tranſcendentalis non eſt forma aduenięs rei abſolutę; ſed illi imbibita, connotans tamen aliquid extrinſecum, à quo pendet, vel circa quod verſatur, vt materia ad formam, caput ad capitatum, creatura ad Deum. Relatio autem rationis differt à relatione prędicamentali, quia iſta habet fundamentum reale, cum coexiſtentia termini; relatio verò rationis caret fundamento.

Notandum eſt tandem, quòd in relatione prędicamentali tria debēt concurrere, .s. ſubiectum, fundamētum, & terminus: Subiectum, quod eſt commune omni accidenti, eſt illud, quod denominatur à relatione; fundamentum requiritur tamquam ratio, & cauſa, vnde relationes iſtæ ſortiūtur entitatem, & eſſe. Terminus tamquam id, ad quod tendit, & in quo ſiſtit eſſe reſpectus, & licèt ad omnem entitatem, & formam requiratur cauſa, ſpecialiter tamen ad relationem dicitur requiri fundamentum, quia aliæ formæ ſolùm requirunt cauſam, vt producantur in eſſe, & exiſtant; Relatio autem propter ſuam minimam entitatē, & quia ex proprio conceptu eſt ad aliud, requirit fundamentum non ſolùm vt exiſtat; ſed etiam vt ſit capax exiſtendi; ideſt vt ſit entitas realis; nam relatio propter minimam entitatem non pręcisè dependet à ſubiecto ſicut aliæ formæ abſolutæ; ſed ſe habet vt entitas tertia, ex coordinatione duorum extremorum cōſiſtens, & ideò vt ſit in rerum natura, debet dependere à fundamento coordinãte illam ad terminum, & non ſolùm à ſubiecto, & cauſa productiua.

963 Ad prædictam autem relationem requiruntur quinque conditiones: duæ ex parte ſubiecti, duæ ex parte termini, vna ex parte relatiuorum. Ex parte ſubiecti, quod ſubiectum ſit ens reale, & fundamentum, ſeu rationem fundandi realem habeat: Ex parte termini, quòd terminus ſit res aliqua realis, & realiter exiſtens; & quòd ſit diſtincta realiter ab alio extremo: Ex parte verò relatiuorum, quòd ſint eiuſdem ordinis, defectu cuius Dei ad creaturam nō eſt relatio realis, nec menſuræ ad menſuratum, ſi ſit diuerſi ordinis: quo notato

Sit concluſio. Verè dantur relationes prædicamentales, quæ ſunt accidentia realia realiter diſtincta à ſuis ſubiectis, quæque ſuum peculiare prędicamentum conſtituunt, cuius genus ſupremū eſt quid metaphyſicè completum, cuius totum eſſe eſt ad aliud. Prima pars concluſionis probatur. Dantur à parte rei in creaturis denominationes purè relatiuæ; ergo à parte rei dantur puræ relationes; ſed puræ relationes à parte rei exiſtentes, ſunt relationes prędicamentales; ergo à parte rei dantur relationes prędicamentales. Prima conſequentia patet; quia effectus formalis non eſt niſi ipſa forma ſubiecto participata. Antecedens verò probatur; quia duæ albedines à parte rei denominātur ſimiles, & duæ quantitates palmares denominantur æquales, &c. ſed iſtæ denominationes ſunt purè relatiuæ;

ergo

ergo in creatis à parte rei dantur denominationes purè relatiuæ.

Nec valet si dicas, prędictas denominationes esse extrinsecas. Non, inquam, hoc valet, quia omnis denominatio extrinseca realis semper desumitur ex aliqua forma reali existente in aliquo subiecto, vt inductiuè patet; & consequenter huiusmodi denominationes extrinsecæ purè relatiuæ sumi debent à forma alicui subiecto intrinseca; & hæc necessariò debet esse forma purè relatiua; nam forma absoluta denominationem relatiuam dare non potest, quia denominatio proportionari debet formæ denominanti.

964 Præterea respondet P. Martinon. loc.cit. Duo alba esse similia, vel duo quanta esse æqualia, nihil aliud est, quàm vtrumque habere albedinem, aut vtrumque habere, v.g palmarem extensionem. Hoc enim ipso, quod vtrumque habet albedinem, aut palmarem extensionem; est simile, & æquale quocumque alio dempto re, vel ratione distincto. Quare non constituitur simile, aut æquale per aliquid re, vel ratione superueniens, per modum respectu reàlis: sed vtrumque absolutum, est album, & album; palmare, & palmare. Dicitur verò simile, & æquale nomine comparatiuo, & cõnotatiuo propter actum intellectus vtrumque comparantis.

Sed contra est, quia quidquid est in duab⁹ albedinibus simul existẽtibus, totũ est in duabus succedentibus sibi inuicẽ; ergo si similitudo nõ dicit aliqd reale supra entitates absoluta illarũ, ita similis erit vna albedo existens alteri futuræ, sicut alteri eodẽ tempore existenti; quod non admittit ipse Martinon. Consequentia patet; nam numerus duarum albedinum, quia nihil dicit super entitates absolutas illarum, pręsertim secundùm Nominales, quos ipse sequitur; ita saluatur in illis simul existentibus, sicut sibi inuicem succedentibus; ergo etiam ita in proposito; quia similitudo nihil dicit pręter entitates absolutas illarum albedinum.

965 Deinde secunda pars conclusionis, scilicet, quòd sint accidentia realia realiter distincta à suis subiectis, sic probatur. Potest augeri albedo, similitudoq; minui; sed hoc esset impossibile si essent idem realiter; ergo relatio prędicamentalis est accidens superadditum realiter distinctum à suo subiecto. Maior patet; quia si vnum ex duobus corporibus æquè albis, crescat in albedine, minuitur similitudo illorum; ergo &c. de quo infrà magis.

Præterea tertia pars eiusdem conclusionis constat; quia omne ens reale completum habens sub se aliquas species, si est primò diuersum à generibus supremis aliorum prædicamentorum, suum peculiare prędicamentum constituit; sed relatio est ens completum, habens sub se plures species, estq; prima diuersa à nouem alijs generibus supremis; ergo suum peculiare prædicamentum constituit. Minor patet, partim ex dictis disput. præter. partim verò ex infrà dicendis constabit.

Demùm vltima pars eiusdem cõclusionis, scilicet, quòd genus supremum prędicamenti relationis optimè describatur per hoc, quod sit quid metaphysicè completũ, cuius

totum suum esse sit ad aliud, constat ex dictis in initio quæst., scilicet ex discriminibus relationis prædicamẽtalis cum transcendentali, & cum relatione rationis, & etiam ex conditionibus requisitis ad relationem prædicamentalem, quas ibidem adduximus.

966 Contra primam partem conclusionis dices cum Martinon. ibid. Relationes categoricæ, quę dicuntur aduenire, sunt superfluæ; ergo non dantur. Antecedens patet; quia illæ res, sublata omni relatione, distincta re, vel ratione, non minus sũt seipsis similes, aut æquales: ac prius sunt similes, aut æquales per seipsas, quàm resultet, aut concipiatur resultare in ipsis relatio similitudinis, aut æqualitatis. Quando res autem habet aliquid per se formaliter, superuacaneè additur illi alia forma distincta, qua dicatur constitui talis.

Resp. negando antecedens. Ad eius probationem dicimus, quòd duo alba, & duo palmaria, seclusa quacumque relatione prędicamentali, non sunt similia, & æqualia nisi fundamentaliter; non autem formaliter, sicut humanitas, præcisa risibilitate, non est formaliter risibilis, sed tantùm fundamẽtaliter; ratio huius rei sumitur ex probatione primæ partis nostræ conclusionis.

Dices tandem contra eamdẽ partem ex eodem Martinon. ibid. Relationes prædicamentales sunt per se incredibiles; nam per se improbabile apparet, posita vel vnica re noua in rerum natura, resultare in omnibus alijs relationes similitudinis, vel dissimilitudinis, per quas fiat illi similes, vel dissimiles, excepto solo Deo, qui tamen non minus est per se dissimilis, aut diuersus à tali creatura, sed multò magis. Et quælibet res, hoc ipso, quòd est talis naturæ, est seipsa formaliter similis omnibus tali natura constantibus: & dissimilis, seu diuersæ rationis ab omnibus habentibus aliam naturam: estque planè impossibile, non esse diuersæ rationis, sublata quacumque ratione, vel formalitate, quæ fingitur aduenire.

967 Optimè respondent Complutenses in Logica disput. 14. q. 5. ad aliud simile argumentum dicentes: in vno subiecto non posse esse plures relationes eiusdem speciei, vt infra dicemus. Vnde ex positione vnius albi non resultant in alijs albis plures relationes similitudinis; sed per relationem, quæ in vnoquoque erat, modò referuntur ad illud, quod de nouo ponitur. Esto autem, hoc esset falsum: nullum esset inconueniens ex positione vnius albi resultare tot relationes. Non enim repugnat vnam conditionem, sine qua non deseruire pluribus causis; qualis est positio termini in nostro casu. Nam si Verbum diuinũ esset vnitum mille naturis humanis, & simul dimitteret illas ex vnica dimissione, resultarent mille subsistentiæ in illis naturis. Ad illud autem, quod dicit de Deo, ex conditione requisita ad relationem prædicamentalem ex parte relatiuorum supra explicata, patet quid sit dicendum.

Dices contra vltimam partẽ conclusionis. Relatio est modus; sed modus est quid incompletum; ergo malè dicimus, quòd relatio est quid metaphysicè completum. Probatur maior;

maior; quia in vbi, & situ, alijsq; modis potest fundari relatio, v. g. similitudinis, aut dissimilitudinis, effectus, vel causæ &c. ergo tunc relatio non erit realitas, sed modus: siquidem nō potest esse perfectior entitas fundata, quàm fundans. Si autem semel vna relatio est modus, reliquæ erunt etiam modi, cùm omnes sint eiusdē generis, & ad idem prædicamentum pertineant, & ad vnum prædicamētum non possunt per se, & directè pertinere entitas, & modus. Probatur idem antecedens. Nam relatio ita debilissima est in suo esse, vt nequeat separata consistere à suo subiecto, etiam si interueniat potentia Dei absoluta: sed hoc est proprium modi, vt distinguitur à re, nēpè ita inhærere subiecto, cuius est modus, vt contradictionem implicet, sine illo subiecto consistere; ergo relatio modus est, & non res.

958 Resp. negando maiorem. Ad eius probationē dicimus, quòd vbi, & situs sunt res, cùm sint in diuersis generibus rerum; nam decem prædicamenta sunt decem genera rerum, & non modi: qui verò modi dici solent, solùm per quādam similitudinem, & ita possunt fundari in illis relationes, quę sunt res imperfectæ, eo quod in suo esse dependet relatio ab aliquo extrinseco, scilicet à termino. Et nota, quòd nullum est incōueniens, quòd in modis pertinētibus ad lineam absolutam fundetur res aliqua pertinens ad relatiuam lineam, quæ & si sit res, est tamen ita imperfecta, vt excedi possit à modo alterius generis perfectioris. Vnde modus ad lineam absolutam spectans potest comparari cum relatione in ipso fundata, & tunc ad inuicem se excedunt: & excessus in perfectione absoluta est sufficiens ad fundandam relationem, quæ & si sit res, propter sui debilitatem, & imperfectionem fundari potest in aliquo modo.

Ad vltimam verò probationem respondemus; Ex illa solùm inferri relationem propter sui imperfectionem assimilari modis, non autem esse verè, & propriè modum. Nam de ratione essentiali modi est esse quid incompletum in aliquo genere rerum, ad quod reductiuè pertinet, & hoc non verificatur de relatione, nec de aliquo alio prædicamento.

QVÆSTIO II.
Quænam sint primæ species huius prædicamenti.

989 CVM relatio suam vnitatem accipiat à fundamento, inde etiam magna ex parte sumit suā specificationem, & ideò quot fuerint genera fundamentorum, tot erunt genera subalterna relationis; vnde

Communiter diuidunt genus supremum huius prædicamenti in relationem fundatam in vnitate, vel numero, quam appellant relationē primi generis; & in relationem fundatam in actione, vel passione, quam dicunt relationem secundi generis: & in relationem fundatam in mensura, vel mensurabili, quam nominant relationem tertij generis.

Et nota, quòd per vnitatem nō intelligūt vnitatem perfectissimam, seu numericam, cùm ad relationem

requiratur distinctio fundamenti à termino; nihil autem distinguitur à seipso; imò nullum simile est idem: per vnitatem igitur intelligunt quãcumque cõuenientiam realem siue in quantitate, siue in qualitate, & sic ait Aristot. Similia sunt, quorũ vna est qualitas: siue in substantia. Et sic etiam ait, eadem sunt, quorum substantia est vna; siue in quantitate, & sic æqualia vocat, quorum vna est quantitas. Præcipua autem similitudo fundatur in conuenientia specifica. Per numerum intelligunt diuersitatem, quæ facit distinctionem, seu numerum.

970 Primum igitur genus diuidunt in relationem ęqualitatis, & inæqualitatis; similitudinis, & dissimilitudinis; conuenientiæ, & diuersitatis; proportionis, vt duplum, subduplum &c. quæ omnes sunt species athomæ. Secundum genus diuidũt in relationem causæ, & effectus; actionis, & motus, seu mutationis; propinquitatis, & recessus, secundũ quod ista ex motu pendent. Et vnaquaque potest diuidi in varias species, secundùm varias rationes causæ, & effectus, sicut alia est relatio causæ efficientis, vel materialis, vel formalis &c. & alia est relatio fundata in motu generationis, vel alterationis &c.

Tertium genus diuidunt in relationem ad mensuram, quæ est obiectum, vel quæ est exemplar, seu prototypus. Relatio ad obiectum in relationem potentiæ, vel habitus, aut actus; & vnaquaq; in varias species, secundùm quod est potentia actiua, vel passiua; cognoscitiua, vel appetitiua; & illa in varias species cognoscitiui, vt ad visibile, audibile, intelligibile &c. & similiter exemplaria diuersas species relationis fundare possunt, prout diuerso modo exemplare, & ideare dicuntur.

971 Multæ sunt difficultates circa hanc diuisionem; nos autem vt titulo huius quæstionis satisfaciamus; solummodò explicare conabimus an diuisio relationis in hæc tria genera sit bona, nec ne. Reliquæ verò principaliores difficultates infrà explicabuntur. Vnde

Sit conclusio. Genus supremum huius pręedicamenti diuid tur in relationem fundatam in vnitate, vel numero, quæ appellatur relatio primi generis, & in relationem fundatam in actione, vel passione, quæ dicitur relatio secundi generis, & in relationem fundatam in mensura, vel mensurabili, quæ nominatur relatio tertij generis, & in relationem fundatam in certa, & determinata cognitione, quæ appellari potest relatio quarti generis. Probatur. De his omnibus generibus relationum essentialiter, & immediatè in quid prædicatur directè genus supremũ huius prædicamenti; ergo sunt veræ species immediatè illius. Antecedens ex se est manifestum, magisq; manifestabitur ex solutionibus sequentium argumentorum, vnde sit

Primum argumentum. In relationibus primi generis non inuenitur ratio fundandi distincta à subiecto, sicut in relationibus secundi generis; ergo relationes primi generis non sunt veræ species huius prædicamenti.

Resp. negando antecedens absolutè intellectum. Nam in relationibus

nibus similitudinis accidentalis verè inuenitur ratio fundandi distincta à subiecto, vt de se patet. In similitudine verò essentiali non requiritur, quòd ratio fundandi distinguatur à subiecto; sed solùm requiritur distinctio realis inter extrema relationum; nam vt benè ait Ioannes de S. Thoma hic, quæst. 17. art. 3. Si à diuinis ad creata fas est argumentari, ibi inuenitur ratio fundandi, v. g. potentia generatiua indistincta à patre, & tamen fundat relationem realem.

972 Secundum argumentum. Si relationes primi generis essent prædicamentales, sequeretur, vnam relationem posse fundare aliam; sed hoc non; ergo neque illud. Sequela patet; quia non minus sunt similes duæ paternitates, quàm duæ albedines. Ergo si duæ albedines sunt similes per aliquam relationem prędicamentalem in illis fundatam, ita duæ paternitates erunt similes per aliquam relationem prędicamentalem in illis fundatam. Minor verò probatur; quia si vna relatio fundaret aliam, sequeretur processum in infinitum in relationibus; nam si paternitas v. g. fundaret relationem similitudinis ad aliam paternitatem, etiam fundaret relationem dissimilitudinis ad filiationem, vel ad aliam relationem, & rursus illa relatio dissimilitudinis fundaret aliam similitudinis ad similem speciem relationis, & relatio similitudinis fundabit dissimilitudinem ad aliam speciem, & sic alternando in infinitum, similitudo fundabit dissimilitudinem ad aliud, & dissimilitudo ad simile. Dari autem infinitas relationes est inconueniens tum propter generalem rationem ponendi infinitum in actu, tum propter specialem rationem, quia in causis respectu effectuū non potest dari processus in infinitū; quia infinitum non est pertransibile, neque per motum, neque per causalitatem; non enim erit assignabilis vltimus effectus, si infinitæ causalitates, & effectus præcedunt; fundamēta autem relationum sunt causæ, seu principia, ex quibus resultant; ergo in illis non datur processus in infinitum.

Resp. negando sequelam; Nam duæ paternitates, v. g. tantùm habent similitudinem quasi transcendentalem, non autem prædicamentalem, & hoc ne sequatur processus in infinitum, vt sequeretur si è contra res se haberet, vt benè probat argumentum.

973 Sed instat Tellez par. 3. in metaph. disput. 42. sect. 4. dicendo, quòd ex hoc, quod vna relatio aliam fundet, non sequitur processus in infinitum; nam licèt duæ relationes, v. g. duæ paternitates fundent alias duas relationes similitudinis, vel idētitatis specificæ, sistendum tamen hìc est, neque admittendæ plures, nedum infinitæ relationes. Rationem cur hìc sistēdum sit affert Scot. in 2. distinct. 1. quæst. 4. quia scilicet secunda illa relatio similitudinis, vel oppositionis refertur per se ipsam; & ideò non indiget alia relatione. Ratio vniuersalis est, quia omnis forma habet in se vt *quo* illud, quod tribuit formaliter subiecto; nam albedo v. g. ita facit subiectum album, vt non indigeat alia albedine, vt sit alba; sed per seipsam est alba, vt *quo*, & similiter quantitas nō indiget alia

quantitate; sed per seipsam est extẽsa vt *quo*; similiter ergo cùm illa secunda relatio similitudinis sit id, quo paternitas est similis alteri paternitati formaliter, non indiget alia relatione similitudinis; sed ipsa per se est similis alteri, quamuis ibi concedamus relationes rationis, quas curiosus per otium poterit ibi effingere in infinitum vsque ad fastidium, donec defatigetur.

Resp. quòd hæc instantia, sicut & ea, quæ à Ioann. Sanchez in Logica quæst. 48. adducuntur contra eandẽ solutionem excluditur per probationem minoris præcedentis argumenti; nam in ea non dicitur, quòd in vna relatione solùm fundaretur relatio similitudinis, quæ seipsa, & non per relationem superadditam similitudinem haberet ad alias; sed etiam dicitur vna relatio fundare relationem dissimilitudinis, sicut fundaret similitudinis; & tunc alternando sequitur processus in infinitum, cùm super relationem similitudinis fundaretur dissimilitudo; & super relationem dissimilitudinis fundaretur similitudo. Et iterum commutando inueniretur semper noua relatio, & processus in infinitum, quod hæc instantia non euacuat, quæ solùm loquitur de relatione vnius rationis.

974 Instabis tandem. Relatio transcendentalis identificatur cum suo fundamento; sed similitudo duarum paternitatum non identificatur cum suo fundamento; nam similitudo huius paternitatis perit, dum perit paternitas, ad quam terminatur, remanente paternitate, in qua fundatur; ergo duæ paternitates non sunt similes tantum similitudine transcendentali; sed referuntur ad inuicem similitudine prædicamentali. Consequentia patet; quia, quæ ita se habent, vt vnum pereat, remanente alio, necessariò realiter distinguuntur inter se, quod cùm non cõueniat relationi transcendentali, respectu sui fundamenti, benè tamen similitudini duarum paternitatum respectu sui fundamenti; consequẽs est, vt prædicta similitudo non sit relatio transcendentalis, sed prædicamentalis.

Resp. negando minorem. Ad eius probationem dicimus falsum esse, prædictam similitudinẽ perire, dum perit paternitas, ad quam terminatur; quia relatio transcendentalis nõ petit, vt suus terminus realiter existat, sicut prædicamentalis. Quòd autem similitudo duarum paternitatum non sit relatio prædicamentalis, optimè ostendit Nazarius in p̄ p. quæst. 42 art. 1. dicens: Secundò aduerte, fundamentum omne relationis respicere subiectum, quod relatiuè denominatur, & refertur, & relationem, velut effectum ex eo promanantem, & in eo receptum: Relatio verò etiam realis, vt relatio realis est, idest prout dicit *ad reale*, nec recipit subiectum, in quo est, nec vim habet productiuam, & multò minus alterius entitatis receptiuam; respectus .n. vt sic etiam realis importatus, exempli gr. nomine paternitatis formaliter sumptæ, hoc ipsum, quod est, ad alterum est, scilicet ad correlatiuum, qui est filiatio, vt correlatiuum est formaliter. Vis autem productiua productum respicit, vt effectum: receptiua verò recep-

receptibile respicit, sicut potentia proprium actum, quæ secundùm se cõuenire relationi nullo modo possunt; cùm ex omnibus entibus ad prędicamenta redactis relatio sit vltimum adueniens substantiæ, vt docet D. Thomas; non esset autem vltimum relatio ex sui ratione formali, si ex relatione reali pullularet alia relatio, & reciperetur in ea; oportet enim id omni relationi conuenire, quod rationem formalem relationis comitatur.

Ex his sequitur, non solùm respectus in relationibus intimè inclusos nõ esse realiter ab ipsis relationibus distinctos, vt oppositio, & diuersitas paternitatis, & filiationis; sed etiam nec eos respectus, qui sunt ad alios terminos, & præexistentibus, accidunt relationibus, vt respectus similitudinis vnius paternitatis ad aliam.

975 Tertium argumentum. Inter relata tertij generis intercedit relatio transcendentalis; nam, destructo scibili, adhuc scientia refertur ad illud; ergo inter illa nulla est relatio prædicamentalis. Consequentia patet; quia superflueret; natura autem nihil superfluum facit.

Resp. quòd non est superflua relatio prędicamentalis vbi adest transcendentalis; imò plerumque prędicamentalis in transcendentali fundatur, vt in effectu relatio ad causã. Et deseruit etiam transcendentalis; quia adhuc remoto, & destructo termino, manet transcendentalis ordo, non prædicamentalis. De quo magis infrà.

Quartum argumentum. Relationes quarti generis non possunt directè ad hoc prędicamentum continere; ergo relatio quarti generis malè à nobis assignatur, vt species immediata generis supremi huius prædicamenti. Antecedens patet; quia, vt diximus disput. præt. sect. vlt. sola entia realia directè ad prædicta spectant; sed prædictæ relationes non sunt entia realia, sed rationis; ergo directè ad hoc prædicamentum spectare non possunt.

Resp. negando antecedens: Ad eius probationem dicimus, quòd sola entia rationis ficta à directa collocatione huius prædicamenti reijciũtur; non autem entia rationis resultata, qualia sunt prædictæ relationes; nam ista valdè accedunt ad naturam entium realium, & relatio realis, quę est genus supremum huius prædicamenti, de illis essentialiter prædicatur; pro quo vide quæ diximus disp. 2. quæst. 1.

976 Vltimum argumentum. Istæ relationes multoties versantur inter ea, quæ non existunt, & inter ea, quę realiter non distinguuntur, & inter ea, quæ sunt diuersi ordinis; sed omnia ista contradicunt relationi prędicamentali, vt patet ex dictis quæst. præter. ergo prædictæ relationes nõ sunt prædicamentales. Antecedens patet; nam quando ego formo hanc propositionẽ, Cicero fuit eloquens, statim in extremis huius propositionis resultant in vno relatio subiecti, & in alio relatio prædicati; sed extrema ista modò non existunt; ergo istæ relationes multoties versantur inter ea, quæ non existunt. Deinde quando cognosco naturam humanam in ordine ad Petrum, & Paulum, statim resultat in illa natura relatio vniuersalitatis, & in Petro, & Paulo relatio subij-

subijcibilitatis; sed extrema istarum relationum non distinguuntur realiter; ergo istæ relationes multoties versantur inter ea, quæ realiter non distinguuntur. Demùm cùm formamus hanc propositionem, Deus est Creator hominum; Deus refertur ad homines relatione prædicabilitatis, & homines ad Deum relatione subijcibilitatis; ergo multoties istæ relationes versantur inter ea, quæ sunt diuersi ordinis.

Resp. negando antecedens. Ad probationem primæ partis illius dicimus, quòd sicut prædictæ relationes nõ denominant res, prout à parte rei existunt; sed solùm prout cognoscuntur ab illis cognitionibus, à quibus resultant, ita non petunt, vt res denominatæ per illas à parte rei existant; sed solùm vt obiectiuè sint præsentes intellectui, dum elicit illas cognitiones, ex quibus resultant; quod benè possunt habere etiamsi actu non existant, & etiam si sint impossibiles. Ad secundam verò probationem eiusdem antecedentis dicimus, quòd sicut extrema denominata per has relationes, prout sic nõ petunt existere à parte rei, ita non petunt distingui à parte rei actualiter; sed solùm per intellectum. Et tandem ad vltimam probationem antecedentis dicimus, quòd licèt Deus in se sit diuersissimi ordinis ab hominibus; tamen quia à nobis cognoscitur per speciem eiusdẽ rationis, ac cognoscimus homines, hinc est, quòd extrema illarum relationũ adductarum in argumento sunt prout sic eiusdem ordinis.

977 Pro complemento huius quæstionis est notandum, quòd relatio quarti generis diuiditur in relationem resultatam ex certa cognitione primæ operationis intellectus: & in relationẽ resultatam ex aliqua cognitione secundæ operationis intellectus: & in relationẽ resultatam ex tertia operatione intellectus. Relatio resultata ex certa cognitione primæ operationis intellectus alia est vniuersalitas, & alia subijcibilitas; Vniuersalitas alia est essentialis, & alia accidentalis. Essentialis alia est genereitas, alia specieitas, & alia differentialitas. Accidentalis verò alia est proprieitas, & alia accidentaleitas &c.

Deinde relatio resultata ex certa cognitione secundæ operationis intellectus alia est subijcibilitas, & alia prædicabilitas &c. Demum relatio resultata ex tertia operatione intellectus alia est antecedentis, & alia consequentis &c.

QVAESTIO III.

Vtrùm relatio formaliter terminetur ad absolutum, vel ad relatiuum.

978 SVpposito vt certũ apud omnes, quòd relatio quædam sit mutua, & quædam non mutua. Prima est quando ex parte vtriusq; extremi datur ad inuicẽ relatio eiusdẽ ordinis, seu entitatis, idest si sit relatio realis, quòd ex parte vtriusque extremi realis sit, & ita pater, & filius mutuò referuntur &c. secunda verò est quando in vtroque extremo nõ est relatio eiusdẽ entitatis, v.g. scientia ad scibile. Deinde relationes mutuæ aliæ sunt æquiparantiæ, & aliæ disquiparantiæ: primæ sunt illæ, quæ sunt eiusdem denominationis, vt rela-

relationes similitudinis duarum albedinum, quæ vtrumque extremũ denominant simile; secundæ verò sunt illæ, quæ sunt diuersæ denominationis, v. g. paternitas, & filiatio; quo supposito,

Notandum est, quòd terminus relationis denominatiuè acceptus est aliquid absolutum, v. g. pater non respicit pro termino denominato filiationem; non enim est pater filiationis, sed substantiæ à se genitæ; & Petrus non est similis relationi, quæ est in Paulo; nam potiùs est illi dissimilis cùm sit alterius generis, sed est similis ipsi indiuiduo hominis, qui est Paulus. Quæstio ergo est de ratione formali, à qua res aliqua denominatur esse terminus relationis, an sit aliquid absolutum, vel relatiuum; nam sicut in patre v. g. inuenitur subiectum, & fundamentum, seu ratio fundandi, quæ omnia sunt absoluta, ad quæ sequitur ipsa relatio paternitatis; ita in filio inuenitur subiectum, & ratio fundandi, quæ sunt absoluta, & ipsa relatio filiationis; vnde inquirimus, an ipsa relatio paternitatis terminetur formaliter ad id, quod est absolutum in filio, vel ad ipsam relationem filiationis; quo notato

976 Sit prima conclusio. Omnes relationes siue mutuæ, siue non mutuæ formaliter terminantur ad relationẽ, quæ est in termino; & ad absolutum illius terminantur materialiter. Probatur primò. Relatio debet opponi relatiuè cum suo termino formali; sed non potest opponi relatiuè cum absoluto, quod est in termino, sed cum sola relatione; ergo terminus formalis relationis non est aliquid absolutum, sed relatio. Maior patet; nam oppositio relatiua non potest exerceri inter alia extrema nisi inter relationẽ, & eius terminum formalem; & minor probatur, quia oppositio relatiua nihil est aliud, quam respectus vnius, ad alterum, ita vt alterum terminet relationem illius, ad quod ipsum refertur, v. g. filius opponitur relatiuè patri; quia terminat relationem patris, ad quam ipse etiam refertur; sed terminare relationem, & simul referri, non potest reperiri in absoluto, quod est ex parte termini; ergo oppositio relatiua non potest reperiri inter relationem, & absolutum, quod est in termino.

Nec valet si cum Mastrio in Logica disp. 8. quæst. 6. art. 3. qui cum Scoto, & cum omnibus Scotistis tenet, omnem relationem formaliter terminari ad absolutum, dicas: concedimus, vnam relationem oppositam aliã respicere, & ab ea vicissim respici, hinc tamen non sequitur illã terminare, à qua respicitur; quia vnũ propriè terminare respectum alterius est ita ab eo respici, vt illud vicissim non respiciat; quia terminare non est tendere, nec vllo modo illud essentialiter includit; sed essentialiter est sistere tendentiam alterius ad seipsum, & ideò propriè munus est entitatis absolutæ, quæ vt sic ad aliud non tendit.

580 Non, inquam, hoc valet, quia formalis, & essentialis ratio oppositionis relatiuæ debent inueniri intra lineam ipsius relationis; sed ratio essentialis oppositionis relatiuæ petit vtrumque munus, & terminandi, & referendi; ergo ratio terminandi nõ exer-

exercetur formaliter per aliquid absolutum, sed per ipsam relationem. Maior patet, quia vnaquæque oppositio inuenitur quoad eius rationem essentialem intra illam lineam, in qua est oppositio. Minor verò probatur; quia hæc est natura oppositionis relatiuæ, vt versetur inter illa, quorum vnū refertur ad aliud, quod refertur ad ipsum; sicut enim ad inuicem vnum refertur ad aliud, etiā ad inuicem vnum terminat respectum alterius, & hoc per eandem rationem, qua refertur, terminat; & illa, per quam terminat, refertur; ergo ratio essentialis oppositionis relatiuæ petit vtrumque munus, & terminandi, & referendi.

Vnde vtraque ratio terminandi, & referendi adęquatè constituit vnā speciem oppositionis relatiuæ, ac proinde intra lineam relationis debet inueniri ratio terminandi, & referendi, ita vt terminare, & referri sint duæ rationes inadęquatæ eiusdē oppositionis; & consequenter ipsa relatio formaliter accepta terminat, & refert.

Probatur secundò, Relatio, & eius terminus formalis sunt simul natura; sed relatio non est simul natura cum absoluto, quod reperitur in termino; ergo absolutum non est terminus formalis relationis, & consequenter erit relatiuum. Minor patet; nam prius intelligitur in fundamento ratio proxima fundandi, quàm ipsa relatio; & in termino prius intelligitur ratio proxima fundandi, quàm relatio subsequatur, v. g. in patre prius intelligitur generatio actiua, quàm relatio; & in filio prius intelligitur generatio passiua, quàm relatio; imò posita vtraq; generatione actiua ex parte patris, & passiua ex parte filij, statim resultat paternitas in patre, & filiatio in filio; ergo totùm, quod absolutum est in filio, præsupponitur ad relationem patris, sicut præsupponitur ad relationem filij, quæ est simul natura cum illa; & consequenter paternitas non est simul natura cum absoluto filij.

981 Nec valet si cum nostro Lalemandet in metaph. contrarium sustinente disp. 11. partit. 13. dicas, quòd illud commune dictum, scilicet relata sunt simul natura, non est intelligendum de relatis simpliciter, seu vt relata sunt; sed vt correlata sunt. Non, inquam, hoc facit contra nostram probationem; nam licèt relatio vt relatio; idest prout est ratio referendi fundamentum ad terminum, non sit formaliter ratio terminandi aliam rationem; tamen vt correlatio est, vtrumque formaliter pręstat: cùm autem omnis relatio prædicamentalis sit essentialiter correlatio, vt ex supradictis constat, & magis ex infra dicendis constabit, hinc est, quod sicut fundamentum formaliter refertur ad terminum per relationem, seu correlationem, ita formaliter terminat relationem per eamdem correlationem.

Multò minus facit contra nostrā doctrinam, quod dicit Morand. tract. de prædicamentis, quæst. 12. scilicet, quòd si terminus formalis relationis esset respectiuus, daretur processus in infinitum; nam si terminus vt terminat est respectiuus; ergo prius respectiuus, quàm terminat, ergo alicuius termini est respectiuus; & ille

ille terminus rursus est respectiuus; ergo alius termini; & ille alius iterum alterius, & sic in infinitum.

Non, inquam, hoc aliquid contra dicta facit; nam terminus formalis non prius est respectiuus, quàm terminat; nec prius terminat, quàm sit respectiuus, cùm relatio, & eius terminus formalis, quod est correlatiuo, sint simul natura.

982 Vltima conclusio. Terminus relationis non mutuæ est relatio rationis resultata in termino materiali, ex hoc, quod ab intellectu cognoscitur in ordine ad fundamentũ relationis non mutuæ, v. g. relatio prædicamentalis scientiæ ad scibile terminatur ad relationem rationis resultatam in scibile ex hoc, quod in ordine ad scientiam cognoscatur, eiq; inhæret prout sic cognito. Probatur. In termino formali cuiuscumque relationis debet assignari aliquid relatiuum, cum quo opponatur relatiuè ipsa relatio, & cum quo sit simul natura, vt suprà dictum est; sed in termino relationis non mutuæ non potest poni aliqua relatio realis, vt supponitur; quia aliàs non esset nõ mutua; ergo terminus formalis relationis non mutuæ est relatio rationis resultata in termino materiali, ex hoc, quod ab intellectu cognoscatur in ordine ad fundamẽtum relationis non mutuæ.

Nec valet si cum aliquibus dicas, terminum formalem relationis non mutuæ esse quandam extrinsecam denominationem prouenientem à relatione reali alterius extremi. Nõ, inquam, hoc valet, quia etsi admittamus, quod prædicta relatio extrinsecè denominet terminũ, v. g. relatio scientiæ denominet extrinsecè ipsũ scibile, tamen hæc ipsa denominatio extrinseca non potest constituere terminum formalem illius relationis; nam ad illam extrinsecam terminationem præsupponitur terminus formalis; ex eo enim, quod relatio terminetur ad suum terminum formalem, resultat ipsam denominari extrinsecè à tali relatione, v. g. ex eo; quod relatio scientiæ terminetur ad scibile, denominatur scibile extrinsecè à relatione scientiæ; ergo per talem extrinsecam terminationem, seu denominationem nõ potest constitui formaliter terminus; sed potius ad illam præsupponitur.

982 Primum argumentum contra primam conclusionem. Ex Põtio hic, disput. 25. vbi contrariam defendit sententiam, & dicit, quòd Complutenses, qui nostram defendent sententiam, addunt eam esse proculdubio Aristotelis, & congruentiorem Christianæ Philosophiæ, ac Theologiæ, inuitãtes scilicet hoc specioso encomio ad eam amplectendam, quos rationibus adducere nequeunt: ideò album, vt album non posset terminare relationem similitudinis fundatæ in altero albo; sed debet ipsam terminare sub conceptu relatiui; quia potest esse in rerum natura absque eo, quod terminet, & quia eo ipso, quod concipitur terminare aliud, concipitur modo relatiuo; sed fundamentum potest esse in rerum natura absque eo, quod fundet, & eo ipso, quod intelligitur fundare relationem ad aliud, intelligitur tàm benè per modum relatiui, quàm intelligitur terminus

per modum relatiui quando intelligitur terminare; ergo ſi hoc non obſtante, fundamentum fundat ſub ratione abſoluta, terminus etiam terminabit ſub ratione abſoluta, quæ ratio mihi videtur valde vrgere. Hęc ille.

Reſp. quòd non ideò album formaliter non valet terminare relationem ſimilitudinis ad aliud album; quia poteſt eſſe ſine formali terminatione; ſed ſolùm propter dicta in duabus probationibus eiuſdem primæ cõcluſionis, vnde nihil mirum, quòd fundamentum poſſit eſſe in rerum natura abſque eo, quod actu fundet, & quod fundet per aliquid abſolutum; & quòd terminus materialis relationis prędicamentalis poſſit eſſe in rerum natura abſque eo, quod actu terminet, & tamen formaliter non terminet per aliquid abſolutum, ſed per relationem. Ad illud, quod additur, ſcilicet quòd terminus eo ipſo, quod concipitur terminare relationem, concipitur modo relatiuo, eſt verum; quia formaliter terminat per relationem in ipſo exiſtentem; fundamentum verò, quia formaliter non fundat per relationem, eo ipſo, quod fundat, non intelligitur relatiuum; quia conſtituitur in eſſe relatiui per id, quod fundat, quod poſterior eſt ipſo.

984 Secundum argumentũ contra eandem primam concluſionem. *Poſito fundamento, & termino, ſtatim reſultat relatio*, vt docet commune axioma: ergo terminus præſupponitur ad relationem reſultantem; & conſequenter non poteſt conſtitui in eſſe termini per illam.

Reſp. quòd illud axioma ſic debet intelligi, ſcilicet, quòd poſito fundamento proximo in vno extremo, & ſimul in alio, ſtatim ſequitur relatio, v.g. poſita albedine in hoc, & illo pariete, ponitur vnitas in albedine, quę eſt fundamentum proximum ſimilitudinis, & ſtatim reſultat relatio. Dicitur autem vnum ex his extremis terminus alterius, & idcircò dicitur poſito fundamento, & termino, ſtatim reſultat relatio in vtroque extremo, hoc eſt dicere, poſita ratione formali fundandi relationem in vno, & proxima ratione fundandi formalem terminationem in altero, ſtatim ſequitur in vtroque ipſa relatio, itaut vna dicatur relatio, & altera correlatio.

Tertium argumentum contra ſecundam concluſionẽ. Relatio realis exiſtens in vno extremo, illud denominat realiter, & intrinſecè relatum, & alterum extremum denominat extrinſecè relatum, maximè in relationibus non mutuis; ſed hæc extrinſeca denominatio ex parte alterius eſt ſufficiens ad conſtituendũ terminum formalem; ergo per illã iſte ſic conſtituitur. Minor patet; quia illa extrinſeca denominatio cõſtituit illud relatiuum, ſiquidem ex eo, quod terminet relationem realem, dicitur, quòd totum eius eſſe eſt ad aliud, & habet oppoſitionem relatiuam cum illo. Maior verò probatur, quia fieri poteſt, vt forma intrinſecè exiſtens in vno denominet extrinſecè aliud, vt patet in omni extrinſeca denominatione; ergo etiam fieri poteſt, vt relatio exiſtens intrinſecè in vno extremo, denominet extrinſecè aliud, & ſic relatio exiſtens realiter in ſcientia, denominabit

extrin-

extrinſecè ſcibile relatum.

985 Reſp. negando maiorẽ, quia non poteſt relatio extrinſecè terminari ad extremum, in quo non ſit formalis eius terminus; quapropter ſi in alio extremo non eſt altera relatio, formaliter oppoſita, non eſt formalis eius terminus; & ideò ad illud non poteſt terminari, nec extrinſecè illa relatio; terminatio enim illa extrinſeca ſupponit id, quod cõſtituit terminum formalem relationis. Ad probationem verò eiuſdẽ maioris dicimus, verum eſſe, quòd forma in vno intrinſecè inhærens, denominet extrinſecè aliud, at hoc intelligitur reſpectu illius, quod eſt capax terminandi talem formam, v. g. viſio denominat parietem viſum; quia in ipſo eſt ratio coloris, ad quem formaliter terminatur ipſa viſio; ſi autem in pariete non eſſet talis ratio coloris, non terminaretur ad ipſum viſio, ac proinde non denominaret illum neque extrinſecè, viſum. Ita contingit in præſenti; nam ſi ab altero extremo auferatur relatio, aufertur ratio formalis terminãdi; & ideò ad tale extremum nec extrinſecè terminatur, nec illud extrinſecè denominat.

Vltimum argumentum contra eandem concluſionem. Relatio realis, qualis eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile non poteſt terminari ad ens rationis; nam ſpecificatiuum non debet eſſe minoris perfectionis, quàm ſpecificatum. Præterea cùm relatio realis debeat eſſe à parte rei; conſequens eſt, vt terminus relationis nõ mutuæ nõ ſit aliqua relatio rationis.

986 Reſp. quòd ſicut relationes reſultatæ terminant cognitionem intellectus, licèt non ſint in eodem genere cum illa; ſed in alio imperfectiori, ita nihil mirum, quòd terminent aliquam relationem realem quamuis ſint aliquantulum imperfectiores illa, cùm ſint in eodem prędicamento cum illa, vt dictum eſt. Ad illud antem, quod additur in eodem argumento dicimus, quòd dũ intellectus actu non conſiderat terminum materialem relationis non mutuæ, in ordine ad fundamentum prædictæ relationis, ex qua conſideratione reſultat relatio rationis oppoſita, non conſurgit relatio realis prædicamentalis. & hoc prouenit ex defectu termini formalis. Itaque ſciẽtia refertur ad ſcibile à parte rei, nullo intellectu conſiderante, at huiuſmodi relatio eſt tranſcendentalis; nam prædicamentalis non cõſurgit niſi intellectus formet alterã ex parte termini.

QVAESTIO VLTIMA.

Vnde ſumatur diſtinctio ſpecifica relationis: & an vna relatio poſſit recipere plures terminos, quorum quilibet ſufficienter illam terminet.

987 Circa primum quæſitum notandum eſt, quòd non quęrimus à quo relatio formaliter, & intrinſecè ſumat ſpecificationẽ, quia certum eſt, quòd omnis relatio ſic ſumit ſpecificationem à ſua differentia ſpecifica in ipſa eſſentialiter, & intrinſecè incluſa, ſicut homo ſumit ſuam ſpecificationem à rationalitate. Sed quærimus, vnde ſumat ſuam ſpecificationem extrinſecam, ſeu vnde nos colligimus, vnam relationem eſſe diſtinctam ſpecie ab alia

rela-

relatione; nam cùm essentiam relationis non videamus in se, oportet vt habeamus aliqua indicia, vnde colligamus, vnam esse distinctam specie ab altera, quo notato

Sit prima conclusio. Ad specificationem relationis cõcurrit & fundamentum, & terminus formalis: diuersimodè tamen; nam fundamẽtum in genere causæ efficientis: & terminus, vt purè terminus. Prima pars probatur. Relatio est respectus ortus ex fundamento in ordine ad terminum, ita vt tota entitas illius sit à fundamento in ordine ad terminum; ac proinde petit essentialiter fundamẽtum, ex quo oriatur & terminum, in ordine ad quem sit totũ eius esse; ergo ab vtroque sumit speciem.

988 Secunda pars etiam est manifesta; nam relatio oritur à fundamento vt a causa efficienti; & consequenter in hoc genere causæ specificatur ab illo. At respicit terminum, vt purè terminum, eo quòd sicut relatio est purus respectus, ita eius terminus debet esse purè terminus, idest ita exercere munus terminandi, vt nullum aliud munus causæ exercet, quapropter, ly, purè debet intelligi in sensu exclusiuo, excludente omne aliud munus pręter terminare, sicut relatio excludit omne aliud munus præter respicere. In quo modo specificandi nulla causalitas interuenit, ac proinde relatio specificatur à termino, vt à specificatiuo formali, seclusa omni causalitate; Vnde rectè dicunt aliqui, quòd non est dicendum, relatiuum definiri per aliud, sed ad aliud: nam ly, per, denotat causalitatem; & ly, ad, dicit solum respectum.

Dices primò contra secundam partem conclusionis. Correlatiua sunt simul natura; ergo vnum non se habet vt priùs altero; ergo neque vt specificatiuum illius; quia specificatiuum est prius specificato, vtpotè causa illius.

Resp. quòd terminus formalis relationis licèt sit simul natura cum relatione ad illum terminata, tamen ab illo dependet specificatio ipsius relationis, non vt à principio illam causante; sed vt à terminante, & cõplente, & sic tota prioritas causę specificantis se tenet ex parte fundamenti.

Dices secundò: Terminus est oppositus relationi; sed ab opposito nõ sumitur species; quia sumeretur species opposita; ergo relatio nullatenus specificatur à suo termino formali. Resp. quòd à termino opposito oppositione relatiua potest sumi specificatio vt à terminante, & complente, licèt non vt causante illam, quia oppositio relatiua est minima inter omnes oppositiones; nõ enim tollit alterum extremum; sed ponit, vel supponit, & ita ad illud specificatio eius ordinari potest.

989 Dices tertiò: In filio est vna tantùm relatio ad patrem, & matrẽ; nam in illo est vna tantùm natiuitas, atque adeò vna filiatio, quæ natiuitatem sequitur, & terminatur tamen ad terminos specie diuersos, scil. ad paternitatem, & maternitatem, quæ diuersæ relationes sunt, sicut & fundamenta ad generandum omninò sunt diuersa; ergo vnitas specifica relationis stat cum terminis speci diuersis, & sic non sumitur ex illis.

Respon-

Respondet Mastrius hic disp. 8. quæst. 10. art. 1. dicens: Vel negandum est, relationes paternitatis, & maternitatis esse specie diuersas, vel si id concedatur ob diuersum modum concurrendi vtriusque parentis; consequenter in filio quoque geminandæ sunt habitudines specie distinctæ ad singulos parentes in eadem ratione proxima fundatæ, vel in diuersis iuxta varios dicendi modos. His tamen non obstantibus.

Respondeo ad argumentũ, quòd duplici relationi partiali correspondere potest vnus terminus, seu correlatiuum totale, non duplici relationi totali; Pater autem, & mater, & plures causæ eiusdem ordinis ad eundem effectum concurrentes, sũt diuersæ quasi partialiter, & omnes integram causam constituunt, & vnicum terminum totalem, licèt partialiter sint plures.

990 Dices tandem contra primã partem conclusionis. Idem fundamentum potest seruire ad diuersas relationes; nam eadem albedo est fundamentum similitudinis ad niuem, & dissimilitudinis ad coruum.

Resp. quòd idem fundamentum proximè, & formaliter non potest seruire ad relationes specie diuersas, sicut album sub formalitate conuenientiæ fundat similitudinem, & sub formalitate disconuenientiæ dissimilitudinem.

Vbi tamen notandum est cum Complutensibus hic disput. 14. q. 7. quòd ex ratione fundandi, & terminandi quasi completur integrũ specificatiuum, à quo sumitur vnitas, & multiplicatio specifica relationum. Vnde, quia vnitas habet rationem boni, multiplicatio verò rationem mali: bonum autem coalescat ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu; ideò ad vnitatem specificam relationum requiritur vnitas specifica vtriusque, scilicet fundamenti, & termini totalis. At verò, vt relationes specificè multiplicentur, sufficit diuersitas specifica alterutrius. Quare, etiam si ratio fundandi sit vna in specie, si tamen rationes terminandi specificè distinguantur, relationes erunt diuersæ speciei, vt patet in albo, cuius similitudo ad alterum album, & dissimilitudo ad nigrum distinguuntur in specie. Et similiter è contra, etiam si ratio terminandi sit vna; si tamen rationes fundandi sint diuersæ, erunt etiam diuersæ relationes, vt patet in relationibus correspõdentibus, quas album, & nigrum dicunt ad secundum album.

991 Dices contra cum Comptono disp. 11. Metaph. sect. 16. vbi dicit, quòd sibi videtur probabilius eãdem numero relationem posse referre fundamentum ad terminos etiam specie distinctos, vnde existimat, eandem numero relatione parietem, v. g. referri ad omnes alias res absolutas, quibus est vel similis, vel dissimilis; quod sic probat: Sicut datur ratio vegetatiui tantùm, vt in planta, & ratio rationalis tantũ vt in Angelo, ac demùm ratio vegetatiui simul, & rationalis, vt in homine: ita si existerent à parte rei duæ tantùm res omninò similes, posset dari inter illas relatio, quæ esset similitudinis tantùm, & si duæ res tantũ existerent omninò dissimiles, daretur inter illas relatio dissimilitudinis tantùm;

tantùm; si verò res variæ existant, quarum aliquæ sunt similes sibi inuicem, aliæ dissimiles, dari poterit vna relatio in vnoquoque fundamẽto, quæ simul sit relatio similitudinis, & dissimilitudinis respectu omnium.

Resp. quòd in primis non est omninò certum, quòd in homine vnica tantùm anima reperiatur, imò potius ego contrarium defendam; nempè quòd in vnoquoque homine sint tres animæ non quidem rationales; sed altera rationalis, altera sensitiua, & altera vegetatiua; & probabo euidenter in introductione ad apicem verorum Philosophorum; & data communi opinione, adhuc nihil probat argumentum, cùm sit satis dispar ratio inter animam, & relationem; nam cùm animæ sint quid incompletum, & anima rationalis sit altioris ordinis alijs, forsitan poterit illas eminenter continere. Relationes verò similitudinis, & dissimilitudinis cùm sint quid completum, & eiusdem ordinis, certè vna nullatenus potest in alia aliquo modo contineri, vel vtraque in alia tertia. Pro quo vide disput. præter. sect. vlt. q. 2. ad primum. Miror certè, prædictum Doctorem in 2. conclus. loci citati tam parcum esse in multiplicandis relationibus in ordine ad terminos specie diuersos, cùm in eadem sect. conclus. 1. valde liberalem se præbeat in multiplicandis relationibus solo numero diuersis in eodem subiecto ad multiplicationem numericam terminorum.

992 Vsquemodò ostendimus, quomodo possimus colligere, quænam relationes ex illis, quæ realiter distinguuntur, inter se comparatæ, sint eiusdẽ, vel diuersæ speciei: nũc, vt secundum quæsitum tituli satisfaciamus, ostendere conabimur quænam relationes inter se numerò distinguantur. Et in primis supponũt omnes relationes reales simplices, quæ subiectantur in diuersis numerò subiectis, esse diuersas numerò, quia naturaliter idem numerò accidens nequit esse simul in diuersis subiectis; vnde eo ipso, quòd cognoscimus hoc numerò albũ habere similitudinem ad aliud albũ, & aliud album habere similitudinem ad illud album, possumus colligere illas duas similitudines esse distinctas numerò; & ideò diuersitas fundamenti se solo sufficit ad colligẽdam distinctionem numericam relationum in illis diuersis fundamentis subiectatarum.

Certum etiam est apud omnes, idem reale fundamentum posse fundare plures relationes distinctæ speciei; & consequenter distinctas numerò ad diuersos specie terminos; nam idem album refertur per similitudinem ad vnum album, & per dissimilitudinem ad nigrum: & istæ duæ relationes similitudinis, & dissimilitudinis sicut sunt distinctæ speciei, ita sunt distinctæ numerò, vnde ad colligendum, aliquas duas relationes esse distinctas numerò, nõ requiritur, quòd cognoscantur esse in diuersis subiectis: nec ad colligendum, quòd sint eædem numero sufficit, quòd cognoscantur esse in eodem subiecto.

993 Difficultas ergo huius secundi quęsiti est, an quando idem subiectum refertur ad plures terminos eiusdem

eiusdem rationis, quorum quilibet sufficienter illam terminat, vt vnum album ad plura alba, vel vnus pater ad plures filios sit eadem numero relatio, qua refertur ad omnes; an verò tot sint relationes distinctæ numerò in ipso, quot sunt termini distincti numerò, ad quos refertur; nā si sint tot numerò relationes, quot termini, multiplicatis terminis, multiplicātur numerò relationes in eodem fundamento, & non poterit ex vnitate fundamēti colligi vnitas numerica relationum, etiam eiusdem speciei, sicut non potest colligi ex vnitate eius vnitas numerica relationum distinctæ speciei. Si verò non sint tot numero relationes, sed vnica tantùm, qua refertur ad omnes, tunc non multiplicabuntur relationes in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum, & ex idētitate fundamenti colligi poterit idētitas relationum eiusdem speciei, quo notato

Sit conclusio. Relationes non multiplicantur ad multiplicationem terminorum eiusdem speciei; & benè colligitur vnitas numerica relationum eiusdem speciei ex vnitate fundamenti. Probatur, quia si res aliter se haberet, sequeretur in qualibet re reperiri multitudo pęnè infinita relationum, quę est omninò incredibilis: ergo sicut filius vnica relatione attingit patrē, & matrem, ita pater vnica paternitate plures filios à se genitos.

994 Nec nos terret, quod dicit Mastrius hìc disput. 8. quæst 6. art. 2. scilicet, quòd si Thomistæ territi hoc argumento, idcircò dixerunt, vnam relationē posse ad plures terminos eiusdem rationis referre, magis eis expediens erat negare prorsus relationes cum Nominalibus, quàm illis admissis, negare quod necessariò sequitur ad positionem illarum; vnde benè inquit Auersa, magis consequenter loqui Scotistas, quàm Thomistas, dum admissis relationibus, concedunt, vnam posse super aliam fundari, & multiplicari ad multiplicationem numericam terminorum, quæ omnia negant Thomistæ minùs consequenter ad positionem relationum, in quo nobiscum conueniunt. Hæc ille.

Licèt pęnè infinita multitudo relationum, & frequens mutatio rerū quoad esse relatiuum, quæ ex contraria sententia sequuntur, nos amoueat à contraria sententia; tamen non nos terret dictum Mastrij, quia falsum esse existimamus, quod constabit in solutionibus sequentium argumentorum.

Primum argumentum. Pater habens vnum filium, superueniente alio, incipit realiter referri ad illum: si verò moriatur, desinit realiter respicere ipsum, manente paternitate circa alium; ergo verè dantur plures relationes paternitatis in illo. Antecedens patet; quia ante generationem secundi filij pater non referebatur realiter ad illum, posita verò generatione iam refertur realiter ad eum; ergo denuò incipit referri. Similiter vtroque filio existente, pater verè respicit ipsos, altero verò pereunte iam non refertur ad illum; ergo desinit realiter respicere ipsum. Consequentia etiam est manifesta, quia quando vnum aduenit realiter altero iam existēte, vel perit realiter

ergo & noua relatio, quę cum generatione identificatur.

Resp. cum Ioanne de S. Thoma hìc quæst. 17. art. 6. quòd licèt ponatur noua generatio respectu noui filij, eò quòd diuerso tempore ex diuersa materia fit (aliàs enim benè possent eadem generatione plures filij nasci) tamen relatio non identificatur cum actione; nec fundatur in illa, nisi quatenus determinat potentiam generatiuam, & hæc vnica est. Vnde sicut quando plures filij nascuntur ex eodem partu, relatio patris non potest esse nisi vnica, quia in eadem actione fundatur, ita etiam quando per plures actiones producuntur; nam per accidens se habet, quòd plures actiones, vel vnica actio eiusdem potentiæ eam modificent ad relationem eiusdem rationis.

997 Pro complemento huius disputationis quæres, vtrū post resurrectionem erunt homines patres, & filij sicut prius. Ad hoc quæsitum respondet Comptonus disput. 11. Metaph. sect. 18. quòd sic; nam Deus intuitu prioris productionis iterum relationes illas reproducet; vnde sicut ob primam generationem manet per totam vitam relatio paternitatis, & filiationis, licèt generatio illa dudum desierit, quia scilicet entitas filij semper conseruatur intuitu illius, ita & in reproductione, quia etiam intuitu primæ illius generationis filius saltem mediatè reproducitur, quod sic confirmat. Beatissima Virgo nunc est proprijssimè Mater Christi, nō minùs quàm ante Christi mortem, vel suam; ergo idē erit in alijs matribus respectu suorū filiorum. Vtrùm autem eadem numero relatio resultauit in B. Virgine respectu Christi, quæ erat ante mortem, vel alia (idem est de relationibus aliarum matrum) dubitari potest: si dicatur Deum vnà cum substantia simul reproducere in resurrectione omnia eadem accidentia, affirmari poterit, sin minùs negari.

998 Tandem pro complemento disput. notandum est, quòd Arist. in 2. par. cap. de relat. quinque proprietates relatiuorum adducit. Prima est habere contrarium, quòd nō cōuenit relationi secundū se, sed ratione fundamenti quando est qualitas. Secunda est, quòd relatio suscipit magis, & minus, quæ etiam proprietas non conuenit relationi secū dùm se, sed tantùm ratione fundamenti, quando est qualitas; nam relationes consistunt in indiuisibili; ac proinde quando augetur, vel minuitur quantitas, vel qualitas, non augentur, aut minuuntur relationes, sed variantur, ita vt priores deperdātur, & acquirantur aliæ. Tertia est, quòd relatiua dicuntur ad conuertentiam, hoc est, quòd vnum relatū explicatur per ordinem ad aliud in obliquo positum: Quæ proprietas præcisè sumpta non conuenit relationi prędicamentali quarto modo, sed secundo, quia conuenit etiam relatiuis secundùm dici. Quarta est, quòd relatiua sunt simul natura, de qua satis egimus quæst. antecedenti, quæ est proprietas in quarto modo. Vltima demùm est, quòd relata sūt simul cognitione; nam ex eo, quòd relata formaliter sumpta sint simul natura; consequens est, vt vnum debeat definiri per aliud, secundùm quod relatiuū est; ac proinde repugnauit,

gnauit, vnũ sine alio cognosci, quòd est esse simul cognitione. Et dicta sint satis de tota hac sectione.

SECTIO IV.
De Qualitate.

Cùm qualitas sit nobilior non solùm relatione, sed etiam quantitate, vt in initio duarum præcedentium sect. annotauimus, non est modò dubitandum, cur ipsam anteponimus alijs sex imperfectioribus prædicamentis; & ideò breuiter, more solito, essentiam illius in hac sectione explicabimus. Pro quo sit

QVÆSTIO I.
Quid sit qualitas, & quid genus supremum huius prædicamenti, & quæ species immediatè illius.

999 Qualitas multis modis sumitur. Primò pro differentia essentiali alicuius rei, in quo sensu Porphyrius cap. de specie dixit, quòd differentia prædicatur in quale essentialiter, & qualitas hoc modo accepta diuagatur per omnia prędicamenta, quia in omnibus reperiuntur differentiæ essentiales, per quas superiora diuiduntur in inferiora. Secundò sumitur qualitas pro quocumque accidenti, in quo sensu Porphyr. cap. de accidenti dixit, quòd accidens prædicatur in quale accidentaliter, & qualitas hoc modo accepta etiam diuagatur per nouem prędicamenta accidentium. Tertiò, & ad nostrum propositum sumitur pro peculiari accidenti, cõstituens hoc quartum prædicamentum, cuius naturam, & essentiam inuestigamus in hac quæstione.

Semper difficilè fuit, essentiam qualitatis explicare, vt D. August. testatur in suo Cathegoriar. libro; & certè vsque modò nullus differentiã essentialem qualitatis perfectè, & clarè explicauit. Multi .n. varias definitiones excogitarunt, quas omnes adducunt, & impugnant in hoc loco Complutenses, Mastrius, & Pontius, & ad inuicem suas impugnant; nam Pontius impugnat definitionẽ Mastr. & Mastrius in secunda dictione suæ logicæ respondet ad impugnationes Pontij, & aliqua obijcit contra Pontianam definitionem qualitatis: nos verò consideratis prædictis impugnationibus, vidimus, nullam ex prædictis definitionibus solidam esse; vnde confitentes, quòd differentiam essentialem qualitatis vt sic, seu potiùs propriam rationem qualitatis non percipimus, illam meliori modo, quo poterimus in sequenti conclusione explicare conabimur; & ideò

1000 Sit conclusio. Qualitas sic definitur. Qualitas est accidẽs, quod est propriè radix similitudinis, & dissimilitudinis. Vt perfectè intelligamus hanc definitionem, debemus notare, quòd sicut nomen qualitatis solet transferri ab hoc prædicamento ad alia, ita similitudo, & dissimilido, quæ significant relationes in veris qualitatibus fundatas, transferri solent ad significandas relationes, quæ fundantur in alijs prædicamentis. Quo sensu duas substantias, duas quantitates, aut duas relationẽs solemus appellare similes, quando sunt eiusdem speciei; Dissimiles verò quando sunt specie distinctæ. Hoc tamen non tollit quominus similitudo,

tudo, & dissimilitudo propriè sumptæ tantùm significẽt relationes, quæ fundantur in veris qualitatibus; & consequenter, quòd propria, & sola radix, à qua emanant prædictæ relationes, est sola qualitas. Quo notato

Probatur conclusio. Illa definitio est bona, quæ conuenit omni, & soli contento sub definito, & traditur per essentialia definiti; sed hæc est huiusmodi; ergo est bona. Minor patet; quia nulla est qualitas, quę in ordine ad aliam eiusdem speciei nõ fundet relationem similitudinis, & in ordine ad aliam diuersæ speciei non fundet relationem dissimilitudinis: vt ex se, & ex dictis notabili superiori satis est manifestum.

Dices contra. Si quis ita hominẽ definiret; homo est animal radicaliter risibile, non rectè hominem definiret; nam insufficienter, & confusè tunc essentiam hominis explicaret; quia nondum exprimeret quid esset illud, à quo tamquam à radice oritur risibilitas; sed idem contingit in præsenti; nam in nostra definitione restat adhuc explicandum, quid sit hoc, à quo, tamquam à radice oriũtur similitudo, & dissimilitudo; ergo malè à nobis explicatur essentia qualitatis in conclusione.

1001 Resp. quòd hoc argumentum rectè probat suum intentum absolutè; sed non contra nos, qui propriam rationem qualitatis percipere vsque modò non potuimus; & ideo meliori modo qualitatem definiri non possumus; & consequẽter prędicta definitio est bona, attenta imbecillitate nostri ingenij, quam maluimus confiteri, quàm audacter tentare propriam essentiam qualitatis vt sic perfectè explicare, quod vsque modò nullus attinxit.

Ex dictis colligitur, quòd genus supremum huius prædicamenti sic potest describi. Genus supremum prædicamenti qualitatis, seu qualitas, quæ est genus supremum prædicamẽti qualitatis, est quid metaphysicè completum, quod est vera, & propria radix similitudinis, & dissimilitudinis. Hoc nullam habet difficultatem, suppositis hijs, quæ diximus in hac quæst. & in tribus primis quæstionibus trium sectionum præcedentium.

Vltima conclusio. Quatuor sunt immediatæ species huius prædicamenti .s. habitus, & dispositio: potentia, & impotentia: passio, & passibilis qualitas: forma, & figura. Probatur. Prædictæ qualitates sunt veræ qualitates, & verè inter se specie differunt, & sub se omnes qualitates continent; ergo genus supremum huius prędicamenti immediatè diuiditur in habitum, & dispositionem: potentiam, & impotentiam: passionem, & passibilem qualitatem: formam, & figuram; & consequenter istæ quatuor sunt immediatæ species huius prædicamenti.

QVÆSTIO II.

In qua singulæ quatuor species qualitatis explicantur.

1002 Circa primam speciem, quę est habitus, & dispositio est notandum, quòd habitus, seu habere dupliciter sumitur, scilicet, prędicamentaliter, & postprædicamentaliter. Postprędicamentaliter est idem, quod modus possessionis, &

numerantur ab Aristotele, octo modi in vltimo capite horum librorũ. Prædicamentaliter vno modo significat vltimum prædicamẽtum, quod est vestitum esse, & habitum induere; & alio modo sumitur pro quadã qualitate pertinente ad primam speciem. Similiter dispositio potest generaliter sumi, & sic est ordo habentis partes, vt dicit Phylosoph. 6. metaph. text. 24. & sic etiam inueniri potest in quantitate, & situ. Secundò specialiter sumitur pro quadam qualitate spectante ad primam speciem qualitatis, quo notato.

Sit prima conclusio. Prima species qualitatis sic rectè definitur; est qualitas insẽsibilis sensu externo nõ sequens ex natura subiecti, seu non insita subiecto ex natura; hęc est Põtij hìc, quam sic probat; Hæc definitio conuenit omni, & soli qualitati primæ speciei, & nõ traditur per superflua; nam dicitur qualitas, quæ est genus in tali definitione; quia per qualitatem conuenit cum omnibus alijs tribus speciebus: dicitur non sensibilis sensu externo, vt distinguãtur à qualitatibus tertiæ, & quartæ speciei. Dicitur non sequens ex natura subiecti, vt distĩguatur à qualitatibus secundæ speciei.

1003 Secunda conclusio. Habitus, & dispositio differunt essentialiter per hoc, quòd habitus est difficilè mobilis ex sua natura, & dispositio facilè mobilis. Esse autem difficilè mobile ex natura rei est ex proprijs, & intrinsecis principijs habere causas sui non facilè transmutabiles; è contra verò esse facilè mobilis. Hæc conclusio est ex se manifesta, quia manifestum est, quòd qualitas habẽs ex proprijs, & intrinsecis principijs causas sui non facilè transmutabiles, specie distinguitur à qualitate ex proprijs, & intrinsecis principijs habente causas sui facilè transmutabiles.

Solùm enim est notandum pro perfecta intelligentia habitus, & dispositionis, quòd non est necesse, quòd habitus diutiùs duret in subiecto, quàm dispositio: nam potest è contra dispositio per accidens diutiùs durare in subiecto, quàm habitus; vnde facilè, & difficilè mobile non est idem, quod multum, vel parũ durare; nam cùm duratio sit continuatio in esse, & hoc dependeat à causis extrinsecis conseruantibus, sępè aliquid, quod de se non petit causas immobiles, & perseuerantes, inuenit in aliquo subiecto causam, & dispositionem cõseruantem diù, sicut lux in aere, si luminosum diù perseueret, & actus videndi, si volũtas diù applicet ad vidẽdum, & ęgritudo ordinaria, si aliquis non vtitur medicamento, sed cibo saluti contrario.

1104 Circa secundam speciem, quæ est potentia, & impotentia, est notandum, quòd duplex est principium operationis, vnum radicale, & remotum, quod est ipsa forma substantialis, vt anima respectu intellectionis, de quo certum est non pertinere ad hoc prædicamentum qualitatis: aliud proximum, & formale, vt intellectus, & hoc est qualitas pertinens ad secundam speciem; quæ quando tribuit subiecto posse fortiter operari, dicitur potentia naturalis, vt potentia visiua iuuenis; quando verò est principium operationis debi-

debilis, appellatur impotentia, vt potentia visiua senis; quo notato

Sit conclusio. Secunda species qualitatis potest sic definiri: Est qualitas, quæ est simpliciter principium actionis: vbi nomine actionis intelligimus non solùm eas, quæ propriè sunt actiones; sed etiam eas, quæ habeant modum actionis, licèt nullum producant effectum, vt magna, vel parua resistentia ad diuisionem, quarum sunt principia durum, & molle; nam quamuis tales resistentiæ reuera non sint actiones, tamen earum principia, nempe durities, & mollities sunt qualitates illius speciei, vt expressè docet Aristot. in hoc cap. Hæc conclusio, supposita adducta explicatione, est per se manifesta.

Ex quibus deducitur, quòd impotentia nō dicit puram negationem, sed potētiam debilem, & remissam; & ex consequenti non distinguitur specie à potentia; sed vt imperfectū à perfecto inter eandem speciem.

1005 Circa tertiam speciem, quę est passio, & passibilis qualitas, est notandum, quòd passio multipliciter sumitur. Primò pro proprietatibus, quæ ab essentia dimanant, quo modo risibile dicitur passio hominis &c. in qua acceptione non est species qualitatis, cùm inueniatur etiā in alijs prædicamentis. Secundò sumitur pro quacumque receptione, media qua passum recipit effectum agentis, & correspondet actioni, qua agens producit illum. Et in hac acceptione constituit speciale prædicamentum. De quo infra. Tertiò sumitur specialiùs pro receptione alicuius effectus nociui, & disconuenientis, in qua intercedit propria alteratio, quæ acceptio frequentior est quàm secunda: non enim quando quis sanatur dicitur pati, sed magis quando infirmatur. Passio in hac acceptione non pertinet ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentū passionis. Quartò demùm sumitur passio pro qualitate, secundùm quā fit talis alteratio, quæ appellatur teste Aristot. in hoc cap. passibilis qualitas; vel quia causat talem alterationem, vt dulce, & amarum, quæ causant alterationem in gustu; calidum, & frigidum in tactu, & similes qualitates sensibiles, vel quia causantur ex tali alteratione, vt album, & nigrū, quæ causantur ex aliqua alteratione. Cuius signum, vt inquit Aristot. est, quòd quando quis pudore afficitur, ruber fit; & qui metuit, pallidus. Vnde si cui natura talem perturbationem tribuerit, simili erit colore.

1006 Distinguuntur autem passio, & passibilis qualitas, quia, vt vult hìc Aristot. passio significat qualitatem ex aliqua breui alteratione resultantem, vt pallor ex metu, vel rubor ex verecundia causatus; & passibilis qualitas significat easdem qualitates, quando oriuntur ex fixa, & permanenti alteratione, vt color rubeus, aut pallidus permanens in hominibus, siue id procedat à natura, vel ab infirmitate, &c. Ex quo fit, passionem, & passibilem qualitatem nō distingui specie; sed tantùm accidētaliter, vt de potentia, & impotentia supra dictum est.

Qualitas passibilis cùm sit definitio, propriè definiri non potest, vt benè notant Complut. hìc, potest tamen declarari sic, vt ipsi aduertūt:

passibilis quantitas est qualitas sensibilis, idest constituens obiectum alicuius sensus.

Circa quartam, & vltimam speciẽ, quæ est forma, & figura, est notandũ, quòd forma multipliciter sumitur. Primò pro forma substãtiali, in quo sensu anima rationalis dicitur forma hominis. Secundò pro quocũque actu etiam accidentali, quo modo omnia accidentia appellantur formæ accidentales: & his duobus modis non est species qualitatis, vt de se patet. Tertiò sumitur forma pro dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, à qua deriuatur denominatio formosi, vel deformis, de qua dicitur Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum &c.* & in hac acceptione est vera species qualitatis.

1007 Similiter figura vno modo sumitur, prout idẽ est quod imago, seu signum alicuius, & in hac acceptione dicitur Christus trãsfiguratus; quia claritatem assumpsit ad tempus in signum, seu figuram futuræ claritatis, quæ erit in sanctis. Secundò sumitur figura pro qualitate resultante ex terminatione quantitatis, quo modo non dicitur Christus trãsfiguratus; quia eadem delineamenta corporis in ipso erant; & in hoc sensu sumitur in præsenti, & est vera species huius prædicamenti, quia est propria radix similitudinis, & dissimilitudinis. Non tamen distinguitur specie à forma in tertia significatione accepta, quia vtraque eodem modo disponit partes quantitatis in seipsis.

Differunt autem accidẽtaliter vel per hoc, quod forma significat istam speciem physicè; id est iunctam cum alijs accidentibus sensibilibus: Figura verò significat eandem speciem mathematicè; id est abstractam ab accidentibus sensibilibus: vel penès hoc, quod forma significat istam qualitatem, prout reperitur, & dat esse artificiatis, quo sẽsu dicitur forma turris, domus, &c. figura verò significat eandem qualitatem simpliciter, vel in rebus naturalibus.

1008 Scotistæ dicentes, hanc diuisionem qualitatis in quatuor species explicatas non esse generis in species, aliter qualitatem essentialiter diuidere conantur, nam Mastrius hìc disp. 7. quæst. 3. art. 3. ait, ex Mairono pass. 42. quem sequi Amicum hìc quæst. vlt. dicit, quòd debet diuidi sicut substantia, vnde diuidi vult qualitatem in spiritualem, & corporalem: corporalem in sensibilem, & in insensibilem: sensibilem in visibilem, & in inuisibilem; visibilem, vt colorem, in disgregatiuum, & cõgregatiuum, vt sunt albedo, & nigredo; & has in sua indiuidua.

Deinde Pontius hìc disput. 16. dicit, quòd qualitas potest alio modo diuidi in suas species, quæ veræ sint species realiter, & essentialiter inter se distinctæ: nam in primis qualitas vt sic diuiditur adæquatè in spiritualem, & materialem; & spiritualis diuiditur in actus, seu operationes, & qualitates spirituales, quæ sunt principia talium operationum. Ex his etiam qualitas, quæ est actus vt sic, potest diuidi in actus naturales in substantia, & supernaturales in substantia; & actus naturalis in substantia potest diuidi in actus intellectus, & volũtatis; & similiter potest diuidi

actus

actus supernaturalis in substantia. Præterea actus naturalis intellectus potest diuidi in primam apprehensionem, iudicium simplex, & discursum; & discursus potest diuidi in varias alias species scientiarum, opinionum, & artium. Actus etiam voluntatis naturalis in substantia potest diuidi in varias species actuum diuersorum, quos voluntas potest habere, & longissimum esset singularum specierum catalogum hic texere. Præterea actus supernaturales intellectus, & voluntatis possunt etiam diuidi in varias species.

1009 Deinde qualitates spirituales, quæ sunt principia actuum, possunt diuidi in qualitates naturales, & supernaturales, quæ sunt talia principia. Qualitates supernaturales huiusmodi possunt diuidi in plures species, vt in principia spectantia ad intellectum, & illa, quæ spectant ad voluntatem; & similiter diuidi potest qualitas huiusmodi naturalis ordinis; & qualitas spectans ad intellectum potest diuidi in qualitatē, quæ supplere potest concursum obiecti, & quæ non supplet: primi generis erunt species intelligibiles; secundi generis erunt habitus generati per actus, & facilitantes ad ipsas. Qualitas huiusmodi naturalis spectans ad voluntatem diuidi potest in varios habitus, quos voluntas acquirere potest.

Qualitas non spiritualis potest diuidi in intentionalem, & realem: intentionalis est, quæ ex natura sua ordinata est per se primo ad perfectionem potentiæ vitalis materialis; realis est, quæ non est sic instituta: prima diuidi potest in cognoscitiuā materialem, & appetitiuam materialem; cognoscitiua diuidi potest in actus, & principia actuum; appetitiua in actus, & habitus, si dentur in eo habitus. Realis diuidi potest in qualitatem primam, & secundam; prima diuidi potest in quatuor primas; secūda in varias alias iuxta varietatem earū, quæ quia magna est, vt & aliarum qualitatū, propterea valdè difficilè esset prædicamenti huius integri seriem proponere, nec id necessarium est, sicut nec proponere seriem integram prædicamenti substantiæ.

Nos verò, qui sustinemus, prædictam diuisionem esse generis in species, & adæquatam, aliter qualitatem diuidere nolumus; Pro quo vide Ioan. à S. Thoma hìc, & Complut. hìc, qui diligenter omnes species infimas huius prædicamenti enumerant.

QVÆSTIO III.

Quomodo fiat intensio, & remissio qualitatum.

1010 VNa ex proprietatibus qualitatis, quæ enumerantur ab Aristot. in vltima parte huius capitis, est, quòd qualitas suscipit magis, & minus; seu quòd intenditur, vel remittitur, quam proprietatem, vt explicemus, (huius .n. explicatio est valdè necessaria ad perfectam intelligentiam qualitatis) hanc quæstionem excitamus. Cùm autem perfecta intelligentia intensionis, & remissionis qualitatis valdè sit difficilis, ideò quid ipsa non sit priùs explicabimus; deinde quid sit ostendere conabimur, & hoc vt cum claritate

tate in re difficili procedamus; & ideò

Sit prima cōclusio. Intensio qualitatum non fit per depurationem earum à suo contrario. Probatur. Multoties qualitas intenditur etiam si non adsit ibi aliqua depuratio à contrario; nam lux non habet contrarium, & tamen intenditur, & gratia iustorum etiam intēditur, quamuis nō sit permixta cum aliquo peccato mortali, quod est illius contrarium: ergo intensio qualitatum nō fit per depurationem earum à suo contrario.

1011 Secunda conclusio. Qualitates non intenduntur per aduentū nouæ qualitatis perfectioris eiusdē speciei, destructa à præexistēti. Probatur. Nulla forma absoluta destruitur nisi vel ex contrario agente, vel per accidens ad corruptionem subiecti, vel propter absentiam causæ conseruantis: ergo in intensione qualitatis, v.g. caloris non intercedit destructio caloris præcedentis, & aduentu alterius perfectioris. Antecedens non indiget probatione; cōsequentia verò probatur, quia ibi non adest agens contrarium, quia vnum calidum intendens aliud non est agens contrarium respectu illius, vtpotè quia solo numero distinguūtur; & deinde nec subiectum corrumpitur, (vt supponimus) neque abest causa conseruans; siquidem dum calor ligni intenditur, adest tūc ignis, qui eum conseruat; ergo ex nullo capite poterit è subiecto expelli calor præexistens, vt alius perfectior introducatur.

Probatur tandem. Qualitas per intensionem perficitur quoad suam essentiam; ergo non destruitur per illā. Consequentia est certa, quia nihil potest perfici, & destrui simul, vt ex se constat. Antecedens verò probatur, tùm quia cùm quæuis qualitas sit accidens, & consequenter entis ens, non potest non perfici per intensionem, per quam melius, & perfectius se habet in ordine ad subiectum, cuius est affectio: tùm etiam, quia incrementum rei potius tendit ad perficiendam illam, quàm ad destruendam, quia aliàs non esset incrementum illius.

1012 Tertia conclusio. Intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, seu qualitatis ad qualitatem. Probatur. Non potest qualitas, v.g. calor intendi per realem additionem gradus ad gradum, seu per additionem caloris ad calorem, nisi vnus calor, vel gradus distinguatur realiter specificè, vel numero ab alio; sed nequeunt inter se aliquo ex his modis distingui; ergo neque intensio poterit fieri per realem additionem gradus ad gradum, vel caloris ad calorem. Maior est nota; quia nequit dari realis additio sine reali dualitate, seu distinctione extremorum; omnis autem distinctio realis debet ad minus esse vel numerica, vel specifica, seu essentialis. Minor autem etiam constat, quia nouus calor partialis adueniens calori præexistēti nequit distingui specie ab illo, vt ex se constat, neque etiam numero, quia illi calores non possunt vniri ad componendum vnum, & eumdem calorem magis intensum, nisi vel per modum actus, & potentiæ, vel per cōtinuationem. Non primum, quia duo indiuidua

eiusdem

eiusdem speciei non comparantur per modum actus, & potentiæ inter se, siquidem id, quod ab intrinseco est potentia respectu alterius, distinguitur essentialiter ab illo, vt constat in materia, & forma. Deinde neque secundum, quia alias accidentia immaterialia, quò sunt intensiora, eò essent magis composita, & minùs vna, quandoquidem requirerent maiorem multitudinem partium; sed hoc est falsum, quia charitas, v. g. quò est intensior, eò est perfectior omnibus modis, quàm remissa, vt talis; ac proinde actualior, & per consequens minus composita, & magis vna.

1013 Explicato quid non sit intẽsio, restat vt quid sit explicemus. Ad cuius solutionem. Sit conclusio. Intensio qualitatum fit per additionẽ modi maioris radicationis. Quam conclusionem vt explicemus, debemus inuestigare in quo cõsistat modus ille maioris radicationis. Pro quo est notandum, quòd in qualitate inter alia quatuor ista inueniũtur, scilicet, essentia, existentia, vnio qualitatis cum subiecto, ac tandem modus maioris radicationis, seu participationis eiusdem formæ.

Modus maioris radicationis qualitatis distinguitur tàm ab ipsa essentia qualitatis, & eius existentia, quàm ab vnione, seu inhærentia illius; tum quia eademmet qualitas permanet vnita in subiecto, etiamsi non permaneat modus intensionis, seu radicationis illius, v. g. vt quinque in subiecto, tum etiam quia inhærentia correspondet in accidentibus modo essendi per se perpetuò in substantijs: vnde sicut substantia, naturaliter loquendo, retinet quamdiu durat, eumdem modum existendi per se, ita qualitas, & quælibet alia accidentia retinent eandem inhærẽtiam; cùm tamen quæ intensibilia sunt, non permanet sub eodem modo radicationis in subiecto, vt ex se patet.

1014 Secundò notandũ est; quòd iste modus maioris radicationis, v. g. caloris, addit supra ipsũ, & eius vnionem quamdam actualitatem non qualitercumque; sed maiorem intra propriam lineam, ratione cuius meliori pfectiori modo se habet; vnde prędictus calor hoc ipso, quod in ratione caloris sit magis perfectus iuxtà quãtitatem, & perfectionem prædicti modi, potest perfectiorem, & meliorem effectum prętare, qui tamen ita perfectus non poterat sine modo isto ab eo producere: hoc autem est verum siue loquamur de effectu, qui procedit ab illo, siue in genere causæ formalis, siue in genere causæ efficientis.

Et ratio est; nam causa formalis nisi crescat in propria entitate, vel in aliquo modo illius, ratione cuius intra propriam lineam magis perficiatur *vt quo*, nequit vniri cum subiecto ad tribuendum perfectiorem effectum formalem inter eamdem lineam; nam cùm forma causet in genere causæ formalis per exhibitionem propriæ entitatis, & propriæ perfectionis, nequit per se loquendo communicari, & vniri perfectiùs intra suam lineam nisi intra eam secundùm propriam entitatem, aut modum illius ab eadem vnione distinctum habeat maiorẽ perfectionem, & actualitatem, sicutetiam

prin-

principium agendi, nequit per se loquendo in effectum prorumpere perfectiorem intra propriam lineã, nisi intra eam habeat modum essendi magis actualem, magisq; perfectum.

1015 Ex quo patet in quo consistat essentia prædicti modi intensionis; consistit enim in hoc, quod tribuat qualitati, ver. gr. calori, vt intra lineam caloris, inuariata semper manente eius essentia, sit magis perfectus, ac proinde sit (vt sic dicamus) magis, ac magis calor, atque adeò possit tribuere subiecto, quod sit magis calidum, & habeat maiorem efficacitatem ad producendum magis calidum, quo notato

Probatur cõclusio. Intensio qualitatum solùm potest fieri vel per destructionem præexistentis, & imperfectioris qualitatis, & productionem alterius perfectioris, vel per depuratione ẽ eiusdem qualitatis à suo contrario, vel per additionem gradus ad gradum, vel tandem per maiorem radicationem in subiecto; sed nõ fit aliquo ex tribus prioribus modis, vt tribus præcedentibus conclusionibus latè ostendimus; ergo fit hoc posteriori, scilicet per maiorem radicationem in subiecto.

Probatur tandem. Sicut augmentum extensiuũ qualitatis, v. g. scientiæ, attenditur penès comparationẽ eiusdem ad obiectum, & maiorem accessum ad illud, vt infrà dicemus, ita augmẽtum intensiuum illius attenditur etiam suo modo penès cõparationem ad subiectum; nam extensio respicit plures partes obiectiuas, vt patet in metaph. &c. intensio verò eandem partem subiecti: ergo sicut qualitas, v.g. habitus metaphysicè eò magis extenditur, quò magis ad suum subiectum accedit, plures de illo veritates cognoscendo; ita magis, ac magis intenditur per hoc, quod magis, ac magis ad suum subiectum accedat; & cùm hic excessus consistat in maiori adhæsione, seu radicatione in illo, sicut & accessus absolutè sumptus in adhæsione, seu radicatione absolutè considerata; sit inde vt prædicta intensio in maiori radicatione debeat consistere.

1016 Primum argumentum. Sicut qualitas, semotis contrarijs impedimentis, agit quãtùm potest; quia agit per modum agentis naturalis; ita semotis eiusdem impedimentis, & repugnãtibus qualitatibus informet subiectum, & se illi communicat quantùm potest, quia causat per modum causæ naturalis; ergo si est qualitas intensibilis se communicabit secundùm omnem intensionem, secundùm quam potest; & cõsequenter secundùm maiorem, vel minorem deputationem, seu remotionem contrariorũ attenditur maior, vel minor intẽsio eiusdem qualitatis.

Resp. concedendo antecedens, & negando vtramque cõsequentiam; nam forma considerata secundùm suam essentiam, & existentiam, & præcisa ab omni alio modo maioris radicationis, non habet formaliter, & proximè *vt quo* esse intensum, & ita licèt informet quantùm potest, non communicabit nisi totam suam essentiam, & existentiam, non verò esse intensum.

Secundum argumentum contra secundam cõclusionem. Terminus

à quo,

à quo, & *ad quem* cuiusuis motus ita inter se opponuntur, vt repugnet manere terminum *à quo*, acquisito termino *ad quem*, sed in motu intensionis qualitas remissa est terminus *à quo*, & intẽsa terminus *ad quem*; ergo illa abijcitur, & hæc acquiritur, & consequenter ideò qualitas fit intẽsior, quia producitur noua, & perfectior qualitas, destructa imperfectiori. Vtraque consequentia ex se cõstat, & maior in alijs motibus inductiuè patet; minor verò videtur etiã nota; nam sicut augmentatio est à maiori ad minorem quantitatem, ita intensio à minori, seu remissiori ad maiorem, seu intensiorem qualitatem.

1017 Resp. quòd hoc argumentũ solùm conuincit per intensionẽ expelli, dumtaxat à subiecto, qualitatem, vt remissam, seu quoad modũ illum superadditum minoris radicationis, secundùm quem habet esse remissum, & imperfectum, quia prędictus modus habet rationem termini *à quo* respectu motus intensionis, sicut etiam terminus formalis *ad quem* illius, qui est talis *vt quo*, non est ipsa qualitas, quæ iam supponitur producta per alterationem; sed ille modus maioris intensionis, quo eadem qualitas perfectiùs habet se in ordine ad subiectum.

Tertium argumẽtum contra tertiam conclusionem. Deus potest separare albedinem niuis à niue; & albedinem alterius corporis minus albi ab ipso, & tunc illæ duæ albedines separatæ haberent magis, & minus; sed nõ per maiorem radicationem in subiecto, quia supponimus esse ab illo separatas; ergo per additionem gradus ad gradum. Maior patet; tum quia Deus potest separare à substantia proprietates realiter ab ipsa distinctas: vt patet in quantitate Eucharistiæ, quæ se habet ad instar proprietatis substantiæ materialis: quare cùm albedo, vt intensa se habeat ad instar proprietatis niuis, poterit eam, vt sic ab eadem separare: imò hoc potiori ratione posset, si solùm se haberet per modum accidentis communis inseparabilis; tamen naturaliter ab ipsa: tum etiam, quia supernaturaliter separata scientia Christi Domini, & scientia alterius hominis ab ipsis, tunc intensior esset per ordinem ad obiectum sciẽtia Christi, quàm alterius hominis, quippeque ad plura obiecta se extenderet; ergo etiam separata albedine niuis ab illa, posset manere intensior, quippe quæ quantùm est de se, possit saltim *vt quo* fortiùs, & intensiùs mutare visum.

Resp. quòd illæ albedines in eo euentu non manebunt cum sua intensione, quia qualitas separata, etsi possit habere maiorem, vel minorem extensionem in ordine ad obiectum, non tamen maiorem, vel minorem intensionem; nam quod cõuenit accidenti ex parte subiecti, nõ autem ex ipsa ratione accidentis, nõ attribuitur accidenti in abstracto, sed in concreto, & huiusmodi est intẽsio, & remissio in quibusdam qualitatibus. Deinde ad primam probationem est dicendum, eam esse veram de proprietatibus, aut quasi proprietatibus, quæ secundùm aliquam rationem non pendent essentialiter à subiecto, secùs verò in alijs, vt cõtingit in accidentibus vitalibus,

quæ

quæ vt vitalia sunt, nequeunt ab illo separari, quia ab illo intrinsecè pendent, & de numero harum sunt qualitates quælibet, vt intensæ, vel remissæ formaliter sunt.

1018 Ad secundam verò probationem, concesso antecedenti, negauda est consequentia: & ad probationem dicendum est, intensionē desumptam ex parte obiecti, seu, vt clariùs loquamur, quoad extensionem, non pugnare cum re significata per modum substantiæ; quia non desumitur ex subiecto inhæsionis, vt suprà explicuimus: & ideò non mirum, quòd accidenti significato per modum substantiæ, & in abstracto, respicienteq; essentialiter obiectum extrinsecum, possit conuenire, secùs verò intensio propter rationem dictam.

Vltimum argumentum contra vltimam conclusionem, vel ille modus maioris radicationis, v.g. vt quinque permanet quando aduenit modus radicationis, vt sex, vel non: Primum dici nequit, quia si illi modi solùm distinguantur numero, erit eadem difficultas de illis, & de gradibus: si verò differant specie, non poterunt terminare vnum, & eumdem motum continuum; siquidem ad continuationem, & vnitatem motus requiritur vnitas numerica termini. Secundum autem dici non potest; tùm quia nequit reddi sufficiens ratio, cur euanescat; tum etiam, quia cùm ignis v.g. ita elaborauerit in introductione prædicti modi, vt quinque nō est verisimile, quòd destruat illum per actionem calefactiuam continuatam vsque ad calorem, vt sex, per quam ipsum producit; nam eadem actio non est productiua, & corruptiua alicuius rei. Tum denique quia quantitas minor non destruitur quoad suam entitatem per aduentum quantitatis maioris.

1019 Resp. quòd aduenientе vno modo maioris radicationis desinit esse alius minoris, qui anteà præexistebat, quia modus perfectior continet virtualiter, & eminenter alios inferioris rationis. Vnde ad primam probationem negandum est antecedens; nam sicut adueniente forma substantiali perfectiori, & eminēter continente aliam, eo ipso destruitur præexistens, (iuxtà communem sententiam Peripateticorum) quippe superflua esset; ex eo, quod forma illa perfectior, & eminens potest tribuere id, quod præexistēs tribuebat.

Ad secundam verò probationem dicendum est, nihil obesse, quòd natura multùm elaborauerit in productione modi radicationis minùs perfecti, quòminus prædictus modus pereat, adueniente alio perfectiori, sicut nihil obest hæc eadem, imò & maior elaboratio in productione embrionis, & organizatione corporis, & dispositionibus accidentalibus præcedentibus formam hominis ad hoc, vt prædicta organizatio pereat, adueniente anima rationali, & eius dispositionibus, ex eo, quod hoc ipsum meliori modo ab eadem anima, & eidem materiæ præstatur, quia vtrobique procedit ratio iam dicta.

1020 Ad illud autem, quod in eadem probatione additur, scil. vtrumque modum maioris, & minoris radicationis produci per eādem actionem, ac proinde non posse aliquem ex illis per eam destrui. Dicendum est,

est, id non obstare, quia producuntur per diuersas partes eiusdem motus, atque adeò simul cum illis possũt fluere. Quod tamen additur tertio loco de quantitate; fatemur, entitatem quantitatis, quæ denominatur minor, non perire secundùm se adueniente maioritate eiusdẽ quantitatis; sed solùm quoad formalitatem minoritatis; negamus tamen inde sequi modum minoris radicationis non perire quoad suam entitatẽ modalem per aduentũ alterius perfectioris, quoniam modus maioris radicationis quippe indiuisibilis, & eminens, continet virtualiter eminenter modum imperfectiorem, ac proinde iste debet perire quoad suã entitatem adueniente illo. Cęterũ quantitas continet formaliter quantitatem minorẽ, vt partem sui, quia coalescit, tamquam ex partibus, ex entitate quantitatis minoris ibidem præexistentis, & ex alia, quæ denuò aduenit, & ita neutra pars debet quoad suam entitatem perire.

QVAESTIO VLTIMA.

Quomodo fiat augmentum extensiuum qualitatis.

1021 EXplicato modo, quo fit augmentum intensiuum qualitatis, vt perfectam notitiã eiusdem qualitatis tradamus, restat solũ vt explicemus modum, secundùm quem fit augmentum extensiuum eiusdem. Supponimus .n. quòd nõ agimus de augmento, quod conuenit qualitati ob extensionem sui subiecti; qua ratione calor inhærens in vna medietate manus, dicitur extendi ex parte subiecti, ex eo quod denuò inhæreat in altera medietate; sed de illo, quod conuenit aliquibus qualitatibus, specificatis ab aliquo extrinseco, ratione sui specificatiui; ad cuius solutionem

Sit prima conclusio. Qualitates modo dicto extensibiles non extenduntur per additionem qualitatis ad qualitatem. Probatur primò: Eadem proportionali ratione respicit, & extenditur habitus scientificus ad suum obiectum, quo potentia intellectiua, in qua est ad suum; sed potentia intellectiua, licèt tendat, & extendatur potentialiter ad plura, & diuersa obiecta materialia, nihilominùs respicit ea sub vna, & eadem ratione formali; & ideò quantumuis ad illa extensa est vna, & eadem simplex potentia, & qualitas; ergo etiam habitus scientificus, quamuis inspiciat, & extendatur habitualiter ad plura obiecta materialia, nihilominus respiciet illa sub vna, & eadem ratione formali; & ita ob eamdem rationem, quamuis ad illa extendatur, erit vna, & eadem simplex qualitas, ex diuersis qualitatibus non coalescens. Maior patet, quia habitus scientificus est quædam perfectio potentiæ intellectiuæ in ordine ad attingendum eius proprium obiectum: omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili, & ita habere debet modum attingendi obiectum proportionatum, modo quo potentia suum attingit.

1022 Probatur tandem. Qualitates illæ, ex quibus coalesceret vna scientia totalis, v. g. extensa ad omnes conclusiones sub illa contentas, nec distinguerentur solo numero, nec etiam specie; ergo nullo modo; & con-

& consequenter extensio qualitatis nō fit per additionem qualitatis partialis ad qualitatem partialem. Antecedens quoad primam partem patet; quia duo accidentia solo numero distincta non possunt naturaliter esse simul in eodem subiecto, vt innuimus quęst. pręter. Deinde quoad secundam partem probatur, quia nec possent vniri per continuationem, quia hęc vnio conuenit solùm quantitati per se, tum etiam quæ sūt distinctæ speciei, non possunt continuari. Nec etiam possent vniri per modū actus, & potentiæ; nam quod in vno ordine est actus, nequit in eodem habere rationem potentiæ; & ideò cùm quæuis ex his qualitatibus superuenientibus in ordine extensiuo sit actus, & forma accidentalis, non potest in eodem ordine habere rationem potentię; & consequenter non poterunt inter se vniri aliquo genere vnionis, ad constituendam vnam, & eandem qualitatem.

Vltima conclusio. Extensio qualitatum extēsibilium fit per additionem modi noui maioris actualitatis, & perfectionis. Probatur, quia cùm habitus scientificus v. g. extenditur per nouam demōstrationem ad nouam conclusionem, manet in se intrinsecè perfectior, & actualior; & ideò vsque dum extendatur ad omnes, non est in statu perfecto; sed hanc maiorem perfectionem, non habet per additionem alicuius nouæ qualitatis etiam partialis; ergo per additionem alicuius modi, quia non superest aliquid aliud, per quod hoc fiet.

1023 Confirmatur. Quia sicut qualitas intensibilis habet suam latitudinem propriè intensiuam per ordinem ad subiectum, ita habet suam latitudinem extensiuam per ordinē ad obiectum, vel aliquid aliud, à quo specificatur; sed ad priorem latitudinem requiritur, & sufficit superaddi nouum quemdam modum intensionis, & maioris radicationis; ergo ad latitudinem extensiuam desiderabitur, & satis erit superadditio noui modi extensionis, ratione cuius ad noua obiecta extendatur.

Primum argumentum. Habitus scientifici ponuntur ad facilè vincēdas difficultates obiectorū, & actuū tendentium in illa; sed intra latitudinem eiusdem scientiæ sunt plures, & diuersæ difficultates, quæ vinci debent ad hoc, vt scientia perfectè acquiratur; ergo ad illam sic acquirendam debent dari plures habitus saltem partiales. Maior patet; nam ideò perfectè acquisito habitu scientifico, adest facilitas, & delectabilitas in operando, quia per illum habitum deuicta est illa difficultas, quæ antea pręexistebat in operatione circa illud obiectum. Minor verò probatur; nam acquisita scientia circa primam cōclusionem superest ad hoc, vt perfectè eadem scientia acquiratur, noua difficultas circa vigesimā, & hac per nouam demonstrationem scita, restat etiam noua alia difficultas circa quadragesimam, & sic de alijs.

1025 Resp. distinguendo maiorē, & si sensus sit, quòd habitus scientificus datur ad facilè vincendas difficultates, pertinentes ad diuersos actus, & obiecta formalia, & adæquata, concedenda est; secùs verò si sensus fuerit, quod detur ad vincendas diffi-

difficultates pertinentes ad diuersos actus, vel obiecta materialia, & inadæquata; & eodem proportionali modo debet distingui minor, & cōcedi si intelligatur de diuersis difficultatibus materialibus: negari verò si intelligatur de diuersis difficultatibus (vt sic dicamus) formalibus, quæ solùm proueniunt ex sola formali, obiectiua, & adæquata ratione; Ad probationē verò minoris dicimus, quòd solùm concludit, quòd acquisita scientia circa primam conclusionem, superest noua difficultas, materialis circa aliam, non verò formalis, & adæquata, ex qua sola prouenit distinctio, & multiplicatio habituum.

Secundū argumentum. Ad hoc, vt scientia extendatur ad nouas conclusiones, nō sufficit nouus modus: ergo desideratur noua qualitas. Cōsequentia videtur perspicua; quoniam per illam extensionem manet illa scientia perfectior: ergo si hæc maior perfectio non potest conuenire illi ratione alicuius modi, oportet, vt proueniat ab aliqua noua qualitate saltem partiali. Antecedens autem probatur. Tum quia per illā nouam extensionem acquiritur aliqua facilitas, quæ antea non erat, vt experientia constat; ergo etiam aliquis nouus habitus in hac facilitate consistens: tum etiam, quia aliàs deperdita scientia solius primæ cōclusionis, deperderetur quoad entitatē habitus, qui per primam demonstrationem eiusdem conclusionis productus fuit, vt ex se patet; & consequēter tota illa resolueretur in modos extensionis ad alias conclusiones, qui tunc permanerent.

1025 Resp. negando antecedens. Ad primam probationē patet ex dictis, illam facilitatem tantùm esse materialem, non verò formalem, & in ordine ad obiectum adæquatum specificans, & ita non esse nouam facilitatem arguentem nouum habitum etiam partialem; sed nouam extensionem eiusdem facilitatis, seu nouam facilitatem modalem. Ad secundam probationem negatur sequela; quia ad permanentiam habitus secundùm suam entitatem per accidens est, quòd remaneat scientia primæ conclusionis, dummodò remaneat scientia aliarum, siquidem ipse ex suis meritis precisè sumptis solùm inclinat in obiectum formale, & inclinatio hæc potest remanere, dum scientia aliarum conclusionum permanserit, & ita solùm corrumpetur modus extēsionis circa primam conclusionem, qui vnà cum prædicto habitu per primam demonstrationem fuit generatus.

Vltimum argumentum. Habitus scientificus circa vnam conclusionē potest intendi, & corrumpi, non intenso, & corrupto circa aliam; ergo signum est, habitum inclinantem in vnam non esse eandem qualitatem, & habitum cum eo, qui inclinat in aliam; & consequenter extensionē eiusdem scientiæ ad plures conclusiones fieri per additionem nouæ qualitatis. Prima consequentia patet; nam idem simplex habitus non potest intendi, & non intendi; corrumpi, & non corrumpi. Antecedens autem quoad primam partem etiam est manifestū; nam sæpè quis penetrat magis, ac magis vnam conclusionem, non penetrata alia, ac

proinde intenditur in eo habitus circa vnam, non verò circa alteram. Et quoad corruptionem suadetur; quia multoties obliuiscitur quis vnius, non verò alterius conclusionis; & ideò respectu conclusionis omninò oblitæ, patitur magnam difficultatẽ in ea elicienda, secùs verò in illa, quam memoria retinet; quod quidèm satis indicat habitum, seu facilitatem circa illam deperditum esse, non deperdita facilitate circa istam.

1026 Resp. negando antecedens, intellectum de habitu secundùm suam entitatem, quia ad summum potest perire modus maioris intensionis, vel extensionis quando remanet habitus circa aliquam cõclusionem. Ad probationem dicimus, quòd illa difficultas in eliciendа cõclusione, cuius quis est oblitus, non est formalis, proueniens ex defectu inclinationis, & facilitatis ad obiectũ formale specificans; sed materialis orta ex obiecto materiali; ac proinde ex defectu modi extensionis, cõplentis, & perficientis intra propriã lineam illam facilitatem prouenientem ab habitu; vnde adueniente prędicto modo, & trahente habitum ad hoc, vt inclinet, & extendatur ad illud obiectum materiale, vincetur prædicta difficultas, non quidèm ex eo, quod solus habitus, aut solus modus illam deuincat; sed habitus, vt terminatus per prædictum modum.

Pro complemento huius sectionis est notandum, quòd Aristoteles in vltima parte, cap. de qualitate, tres proprietates qualitatis enumerat. Prima est habere contrarium, vt iustitia contrariatur iniustitiæ; & albedini nigredo: quæ tamen proprietas nõ conuenit omni qualitati, quia lux non habet contrarium. Secunda est suscipere magis, & minus, quæ etiam non conuenit omni qualitati, quia de iustitia, & sanitate multi asserunt, non dici magis, & minus; tum etiã quia de figura certum est non suscipere magis, & minus. Tertia est, vt secundùm qualitatem res propriè dicantur similes, & dissimiles; de quibus nihil se offert modò dicendum, cùm de duobus vltimis satis in hac sectione egerimus; & de prima aliqua tetigerimus in fine sectionis primæ.

SECTIO V.

De sex vltimis Prædicamentis.

Explicatis quatuor prædicamentis prioribus, & perfectioribus, restat vt de sex vltimis inperfectioribus agamus; & quia non sunt circa illa difficultates magni momenti; ideò de omnibus illis simul in hac sectione disputabimus, agentes solùm de his, quæ ad nostrum institutum sunt necessaria, reliqua verò ad illa spectantia alibi explicabuntur. Pro quo sit

QVAESTIO I.

An sex vltima Prædicamenta sint extrinsecæ denominationes.

1027 Quatuor sententiæ in hac difficultate communiter numerantur à DD. Prima vult, sex vltima prædicamenta constitui per aliquid absolutum cũ respectu, v. g. Vbi dicit locum cum respectu ad locatum. Secunda docet, consistere illorum essentiam in solo respectu fundato super modos corporales ad differẽtiam relationis

prę-

prædicamentalis, quæ fundatur supra res absolutas, siue corporales, siue spirituales. Tertia affirmat, prędicta prędicamenta esse solas extrincas denominationes, v. g. Vbi, nihil aliud est, quàm extrinseca denominatio locati à loco. Quarta demùm assignat aliquid absolutū, & intrinsecum, vt constitutiuum cuiuscumque ex his sex vltimis prædicamentis. His tamen non obstantibus

Sit conclusio. Sex vltima prædicamenta non sunt denominationes extrinsecæ, sed aliquid absolutum, & intrinsecum: vnde Actio est aliquid, quo agens intrinsecè dicitur agens, si actio transiens est in agente, & si est in passo, est aliquid egrediens ab agente, quod transit in passum: & Passio est id, medio quo subiectum dicitur intrinsecè recipiens terminū actionis. Item Vbi, est aliquid relictum in re locata ex applicatione loci ad illam, ratione cuius locatum intrinsecè dicitur præsens. Quando, est aliquid relictum in re durante ex applicatione temporis ad ipsam: & sic Situs, & Habere sunt aliquid intrinsecū in ipsis rebus denominatis.

1028 Probatur. Si hæc prædicamenta essent solæ extrinsecæ denominationes, non possent esse diuersa prædicamenta; ergo ne destruatur numerus prædicamentorum, assignandum est vnicuique aliquid intrinsecum. Probatur antecedens. Extrinseca denominatio prouenit ab aliqua forma, quæ intrinsecè denominat vnum, & extrinsecè aliud; sed totum hoc est vnicus effectus formalis eiusdem formæ, v. g. visio denominat vidētem, & visum; & hoc fit vnico effectu formali; & similiter locus, qui est superficies, denominat rem extensam, & corpus, quod continet, denominat extrinsecè locatum: sed ex præcisa ratione extrinsecæ denominationis non potest constitui diuersum prædicamentum, siquidem est idem effectus formalis in vtraque denominatione; ergo si solæ extrinsecæ denominationes assignantur, non possunt distingui diuersa prædicamenta, seu genera rerum.

Ex quo sequitur, præfata prædicamenta non constitui per aliquam, relationem, quia aliàs nō constituerent diuersa prædicamenta. Dicunt tamen aliquem respectum transcēdentalem, qui est de linea absoluta, & ideò decipiuntur, existimantes istum esse relationem, cùm sit quid absolutum.

1029 Hìc tamen notandum est, quòd Scotistæ cum Scoto tenent, quòd hæc sex vltima prædicamenta cōsistant in respectibus extrinsecùs aduenientibus, quæ sententia communiter reijcitur ex hoc, quod negant dari huiusmodi respectus eo modo, quo à Scotistis admittuntur, & rectè; quia si daretur aliquis purus respectus, qui non esset de prædicamento ad aliquid, esset, & non esset istius prædicamenti, quod est absurdum; nam in primis non esset ex hypothesi, deinde esset, quia conueniret vniuocè in ratione respectus, seu relationis cum relationibus istius prædicamenti.

Respondet ad hanc rationem Pōtius in Logica disput 17. quęst 1. negando sequelam cum sua probatione quoad secundam partem: Dicit enim, quòd non ex eo, quod aliqua

conueniunt vniuocè, debent poni in eodem prædicamento. Confirmat .n. hanc responsionem hoc modo: Quia non est maior conuenientia inter relationem intrinsecùs aduenientem, & extrinsecùs in ratione relationis vt sic, quàm est inter *vbi*, & *quando*; cæteraq; vltima sex prędicamenta (ex suppositione, quòd sint modi absoluti dicentes respectum transcendentalem, vt dicunt aduersarij) in ratione modi absoluti, vt sic: ergo sicut ex conuenientia horum in ratione modi nō admitterent aduersarij, quòd pertineant ad idem prædicamentum: neque etiam inferre debent ex conuenientia relationis intrinsecùs aduenientis cum relatione extrinsecùs adueniente, quòd sint eiusdem prædicamenti. Hæc ille.

1030 Sed contra est, quòd falsum est, quòd ea, quæ vniuocè conueniunt, non debeant poni in eodem prædicamento, vt satis constat ex dictis disput. præter. sect. vlt. Nec id, quod adducit pro confirmatione huius dicti, est alicuius momenti: nam sex vltima prædicamenta non sunt modi, quia aliàs non essent prędicamenta, quæ debent esse quid completum, vt ex ibidem dictis constat, quod repugnat modis, vt ex se est satis manifestum. Sex ista prædicamenta non habent aliquid supra se præter ens, & suas proprietates, quæ nullatenus sunt vniuoca respectu suorum aliquorum inferiorum, vt latè ostendimus disp. præt. sect. 2.

Contra conclusionem dices. Nō sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, *quia frustra fiunt per plura, quæ æquè benè fieri possunt per pauciora*; sed ex sola dependentia à forma extrinseca ponūtur effectus formales, seu denominationes horum prædicamentorum; ergo aliæ entitates intrinsecæ superfluunt. Minor patet: nam quando applicatur locus ad locatum, tunc locus se habet per modum formæ denominantis corpus locatum, & præsens loco; esse autem locatum, & præsens, est effectus formalis, seu denominatio prędicamenti *vbi*, & sic in alijs ex sola forma extrinseca resultat effectus formalis proprius vniuscuiusque; ergo talis extrinseca habitudo sufficit ad effectum formalem vniuscuiusque.

1031 Resp. prædictam extrinsecā denominationem non sufficere: nā effectus formalis debet esse talis, qualis requiritur, vt constituatur diuersum prædicamentum; quod vt sic non potest constitui ex sola extrinseca denominatione, vt diximus in probatione conclusionis. Præterquamquod ex applicatione talis denominantis extrinseci debet resultare aliquid denominans per modū formæ, vt possit constituere diuersum prædicamentum.

QVAESTIO II.
An actiones immanentes pertineant ad Prædicamentum actionis.

1032 Illa vocantur actiones immanentes, quæ manent in ipso agente, & nihil ad extra producunt, quales sunt omnes actiones vitales intellectus, voluntatis, & aliorū sensuum tàm internorum, quàm externorum, de quibus in hac quæstione quęrimus an pertineant ad præ-

prædicamentum actionis, vel qualitatis. Ad cuius solutionem

Sit conclusio. Actiones immanentes vt immanentes non pertinẽt ad prædicamentum actionis. Probatur. Actio, quæ pertinet ad prædicamentum actionis est illa, quæ est vera productio; sed actio immanens prout immanens non est vera productio; quia visiones, auditiones, &c. nec nõ visio beata nihil producunt; ergo actio immanens non pertinet ad hoc prædicamentum.

1033 Confirmatur; quia si actio immanens consideretur vt actus secundus informans potentiam, quod conuenit omnibus illis, pertinet ad prædicamentũ qualitatis; nam prout sic disponit potentiam, vt benè, vel malè se habeat in ordine ad suam naturam, quę est propria ratio qualitatis, seu dispositionis, quæ est prima species, iuxta communem sententiam: ergo eademmet actio non potest pertinere ad prædicamentum actionis. Consequentia patet, tum quia actio immanens vt immanens solùm est actus informans potentiã, tum quia eadem res non potest constitui in diuersis prædicamẽtis: nam, vt probauimus disput. præter. sect. vlt. ea, quæ ad diuersa prædicamenta spectant, realiter distinguuntur.

Primum argumentum. Actio immanens procedit ab intellectu, v. g. quia est potentia ad agendum; ergo ipsa est vera actio, siquidem ratione illius, potentia dicitur agens; ergo pertinet ad prædicamentum actionis. Hæc vltima consequentia patet; quia constitutiuum huius prædicamenti est ratio actionis; ergo si actio immanens est vera actio, cõstituens potentiam agentem, pertinebit ad prædicamentum actionis.

1034 Resp. quòd non sufficit ad rationem actionis prædicamentalis, quòd sit actio cõstituens vtcumque agẽs; sed vltra exigitur, quòd sit formaliter productiua ad extra; nam actio, quæ collocatur in hoc prædicamento, realiter est motus; vnde Aristot. illam definiens, dicit: *Actio est motus; prout procedit ab agente;* quod nullatenus conuenit actioni immanenti.

Secundum argumentum: à quacumque essentiali conuenientia est abstrahibilis aliquis conceptus communis, ita vt si est conuenientia, simpliciter abstrahatur vnus conceptus vniuocus, pertinens ad idem prædicamentum; sed actio immanens ita est simpliciter actio sicut actio transiens; ergo ab vtraque est abstrahibilis vnus cõceptus vniuocus actionis, pertinens ad idem prædicamentum actionis.

1035 Resp. quòd in ratione actionis non conueniunt nisi analogicè actio transiens, & immanens, eò quod inter se dicunt al quam proportionem, non autem omnimodã conuenientiam, circa quod vide Arauxum lib. 5. metaph. q. 9. art. 3.

Vltimum argumentum. Aliquæ sunt actiones immanentes, quæ sunt veræ productiones; nam omnis intellectio creata producit verbum; seu conceptum mentis; ergo saltem istæ pertinebunt ad prędicamentum actionis, in quo collocantur illæ actiones, quę sunt productiones. Resp. quòd actiones immanẽtes sunt virtualiter productiones, & sic virtualiter pertinent ad prædicamentum

actionis, non autem formaliter; quia vt immanentes non sunt formaliter actiones productiuæ, vt dictum est: intellectiones verò creatæ solùm p accidens producũt verbũ; nam visio beata hoc nõ prestat, vt alibi dicetur.

Pro complemẽto est notandũ, q non sola actio transiens successiua, sed etiam instantanea in hoc prædicamento collocatur, vt benè notat hìc Sanchez quæst. 67. nam huic omnes proprietates actionis, quas Gilbertus assignat, actioni prædicamentali conueniunt, & maximè, quia actio instantanea est motus largo modo, vt aliquando constabit.

QVÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit Vbi *prædicamentale.*

1036 Nota, quòd *vbi* aliud est diuinum, illud scilicet, quo Deus est vbiq;, quod est quoddam attributum diuinum à diuina essentia virtualiter tantùm distinctũ, quodq; dicitur immensitas, & in aliquo prædicamento non collocatur, cùm omnes simul in infinitum excedat: aliud est supernaturale, quod scilicet supernaturaliter cõuenit rei creatæ vbicatæ per ipsum; vt, *vbi*, quod in sententia probabili potest supernaturaliter acquirere quælibet res creata in proprio loco adæquato posita, ex hoc quod diuinitus in alio loco ponetur, manendo in priori: & aliud est naturale, quod. s. conuenit naturaliter omnibus rebus creatis, quod dicitur *vbi* etiam definitiuum, tum ad distinctionem *vbi* diuini, quod non definit Deum ad certum aliquem locum, sed in omni loco ponit; tum etiam ad distinctionem *vbi* supernaturalis, quod licèt non ponat rem in omni loco, sed in peculiari tantùm, tamen illam non definit in illo, sicut *vbi* naturale, quod ita rem ponit in certo loco, vt naturaliter illa res nõ valeat in alio locari: & tandem aliud dicitur circumscriptiuũ, quod. s. tm̃ cõuenit corporibus, quod ita facit coequare rẽ locatam cum loco, vt tota toti loco, & pars parti coæquetur. Sola enim corpora partes habent, vt magis statim patebit. Hęc tria vltima *vbi* sũt prædicamentalia, vt infra constabit; & ideo

Sit conclusio. *vbi* prædicamentale est quoddam accidens intrinsecè inhęrens alicui rei quantæ, in ipsaque resultans ex hoc, quod per suã quantitatem tangit quantitatem alterius, illamq; intrinsecè denominans vbicatam, seu quasi coæquatã, seu proportionatam loco. Hæc cõclusio ex solutionibus sequentium argumentorum patebit; & ideo

1037 Dices contrà primò. Duo corpora in vacuo habent sua *vbi*, & possunt ibidẽ illa mutare; ergo mala est definitio *vbi* à nobis adducta. Probatur antecedens. Illa corpora habebunt inter se distantiam, vel indistantiam: sed hæ relationes non possunt fundari in sola substantia illorum; ergo fundatur in vbicatione; cùm autem illa distantia possit mutari per localem motum illorum corporum; consequens est, vt illa duo corpora in vacuo habeant sua *vbi*, & illa ibidem mutari possint. Resp. quòd illa corpora habebunt sua *vbi*, sed imperfecta, & illa mutare possent acquirẽdo alia etiam imperfecta: *vbi* enim perfectum, seu con-

consideratum, vt est quid complexũ, non dicit solùm proximum fundamentum distantiæ, vel propinquitatis; sed etiam circumscriptionis, & continentiæ in loco; vnde non est mirandum si definitio *vbi* à nobis adducta prædictis *vbi* non conueniat; nam illa non sunt quid prædicamentale, sed tantùm aliqui modi, qui ad prædicamentum *vbi* reducuntur.

Dices tandem. Ablata tota machina vniuersi, vt erat ante creationem mundi. Demus, quòd tunc Deus crearet vnum solum lapidem, & quòd tunc localiter moueretur, certè cùm *vbi* sit terminus motus localis, per talem motum aliquod *vbi* acquireret; sed tunc quantitas eius non tangeret quantitatem alterius corporis; ergo malè à nobis fuit definitum *vbi*. Minor patet, quia ex suppositione nullum aliud esset corpus, & consequenter neque quantitas.

1038 Resp. quòd illud corpus nullatenus posset moueri, quia nec in loco, nec circa locum, nec penès distantiam, aut propinquitatem erga aliud, quia nõ esset aliud, circa quod ista exercerentur positiuè; negatiua autem distantia, vel indistantia, quæ purè negatiua est, non potest positiuum motum terminare, & sic defectu materiæ, & per accidẽs illud corpus esset immobile; sicut si ignis ibi poneretur, nõ calefaceret, quia materia deesset; neque tũc haberet, vel acquireret *vbi* definitiuũ; (quidquid dicat noster Clemẽs in suo Prodromo omnium scientiarũ tract. 1. q. 6. sect. 3. nu. 18.) quia licèt non esset vbique, & sic negatiuè esset definitũ, non tamen esset in aliqua parte determinatè, quia nulla tunc daretur pars, in qua esset. *vbi* autem definitiuum cùm sit quid positiuum, determinatam partem debet occupare cum negatione vbiquitatis. Quod magis declarat Ioannes de S. Thomà hìc quæst. 19. art. 3. dicens: Motus solùm inuenitur per se inter terminos cõtrarios, vt dicitur 11. Metaph. lect. 12. apud D. Thomam, qui addit contrarietatem, secundum locũ esse plurimam distantiam secũdùm rectam lineam; sed tunc nulla esset contrarietas inter terminos motus, quia omnia essent nihil; ergo non esset motus.

vbi, diuiditur primò in corporeũ, & spirituale. *vbi* spirituale est illud, ratione cuius res spirituales quasi coæquantur, seu proportionantur aliquo loco spirituali, vel corporeo: Corporeum verò est illud, ratione cuius res corporeæ quasi coæquantur, seu proportionantur loco corporporeo; Vtrumque diuiditur in naturale, & supernaturale; quid autem vterque sit, ex dictis in initio quæstionis patet. Præterea etiam vtrumque diuiditur in adæquatum, & in inadæquatum. Adæquatũ est illud, quod resultat in locato ex hoc, quod per suam quantitatem tangat quantitatem sui loci adæquati: inadæquatum verò est illud, quod resultat in loco inadæquato &c.

Notandum hìc venit, quòd Ioan. de S. Thoma hìc quæst. 19 art. 3. in fine hæc habet. *vbi* circonscriptiuum probabile est, esse speciem infimam, quia esse Romæ, aut Compluti non variat formalitatem loci, sed materialẽ distantiam; vnde nec mo-

tus locales, quemcumque locum variando, distinguuntur specie: Si quis autem ponat esse speciem subalternam, debet tot species loci ponere, quot sunt distantiæ. Hæc ille; quæ intellecta proportionaliter adducta, digna notatu censemus.

QVÆSTIO VLTIMA. An Vbi spirituale sit diuisibile.

1039 P. Balthazar Tellez in Summa vniuersæ Philosophiæ volum. 2. par. 3. in Metaph. disput. 64. sect. 4. hanc quæstionem ex professo examinat, vbi in secunda conclusione suam sententiam explicat dicens: *vbi* angelicum habet partes formaliter diuiduas, & extensas per ordinem ad spatium, quando Angelus se applicat spatio diuiduo, & extenso, quodque postquam duplici ratione probat, & vndecim argumēta pro contraria parte soluit, vltima verba ipsius quæstionis hoc modo scripsit: Fateor tamen ad perfectam intelligētiam huius *vbi* angelici angelicam requiri intelligentiam. His tamen non obstantibus iuxta dicta in tota hac disput. hanc quæstionem breuiter soluemus, pro quo

Sit cōclusio. *vbi* spirituale etiamsi resultet in rebus spiritualib⁹ ex hoc, quod per suam quātitatem spiritualem tangunt quantitatem alicuius corporis, est prorsus indiuisibile. Probatur. Prædictum *vbi* non potest habere partes, in quas diuidi possit neque à subiecto, neque à loco corporeo; ergo nullo modo. Consequentia ex se est manifesta: antecedens verò quoad primam partem etiam est manifestum; quia omnia accidentia, quæ habent pro subiecto *Quo* quantitatem spiritualem, quæ est prorsus indiuisibilis, debent necessariò esse indiuisibilia; quia accidentia diuisibilia habent diuisibilitatem à quantitate, à qua, tamquam à subiecto *Quo*, pendent.

1040 Quoad secundam partem idem antecedens probatur. *vbi* tantùm pendet à loco in genere causæ formalis extrinsecæ; ergo cùm subiectetur in subiecto spirituali, & indiuisibili, non potest ex hoc, quod prædicto modo à loco corporeo pendeat, esse corporeum. Antecedens ex se est manifestū, consequentia verò probatur. Relationes tertij generis non sunt rationis, sed reales, quia inhærent à parte rei rebus realiter existentibus, licèt pendeant in genere causæ formalis extrinsecę à relationibus rationis, vt probauimus sect. 3. quæst. 3. ergo pariter nō erit diuisibile, seu corporeum, sed indiuisibile, seu spirituale *vbi* angelicum, quamuis à loco diuisibili, seu corporeo in genere causæ formalis extrinsecæ pendeat.

Probatur tandem Si ex hoc, quod *vbi* prædictum spirituale facit quasi coæquare, seu proportionare rem spiritualem cum loco corporeo, esset diuisibile, magis diuisibilis esset quantitas spiritualis ipsius rei spiritualis, ex cuius contactu cum quantitate loci resultat; sed prædicta quātitas est prorsus indiuisibilis; ergo etiam & tale *vbi*. Sequela patet, quia quantitas spiritualis quantitatem diuisibilem corporis locantis immediatè tangit. Minor verò probatur. Si quantitas spiritualis esset diuisibilis, hoc solùm haberet, quia potest tan-

tangere quãtitatem diuisibilem; sed ex tali contactu non sequitur esse diuisibilem; ergo est prorsus indiuisibilis. Probatur minor. Si ex hoc, quod quantitas spiritualis tanget quantitatem corpoream, esset diuisibilis, substantia quoque spiritualis esset diuisibilis; sed hoc non: ergo neque illud. Sequela est manifesta, quia ex hoc, quod quantitas spiritualis alicuius rei spiritualis tangat quantitatem aliquam corpoream, mediante tali contactu illa substantia spiritualis etiam tangit prædictã quantitatem corpoream: ergo si ex hoc, quod quantitas spiritualis tangat quãtitatem corpoream, esset diuisibilis, esset quoque diuisibilis substantia spiritualis.

1041 Vnde tenemur dicere, quòd sicut substantia spiritualis mediatè tangit quantitatem corpoream per sui quasi replicationem, ita vt tota totam quantitatem corpoream tangat, & tota quamlibet partem illius; ita & quantitas spiritualis, per quam hoc præstat, debet quoque immediatè tota totam quantitatem corpoream tangere, & tota quamlibet partem illius; & consequenter prædictum *vbi* ita coæquabitur cum quantitate loci corporei, vt totum coæquetur cum toto, & totum cũ qualibet eius parte: *vbi* autẽ, quod ita coęquatur loco, vt totum sit in toto, & pars in parte, est corporeum, seu circumscriptiuum, & non spirituale.

Primum argumentum, quod est primum fundamentum Ouiedi in cursu Philosophico controu. 1. de anima, punct. 5. & Pontij ibid. disput. 7. q. 3. fides, spes, & charitas tàm supernaturales, quàm naturales sunt accidentia spiritualia; sed sunt diuisibiles in plures gradus, cùm possint intendi, & remitti; & intensio non fit absque additione gradus ad gradũ; ergo indiuisibilitas partium integralium non est de ratione entis spiritualis, & consequenter potest conuenire *vbi* spirituali. Resp. negando minorem, pro quo vide sect. pręter. quæst. 3. & 4. vbi ex professo de hoc egimus.

1042 Quibus solùm est addendũ, quòd licèt aliquando Thomistę vtãtur nomine latitudinis gradualis, seu graduum qualitatis, hoc tamen non est; quia aliquis illorum existimet, intensionem fieri per additionem gradus ad gradum; sed quia modũ maioris radicationis, v. g. vt sex virtualiter continet, seu ęquiualet totidem gradibus eiusdem caloris, seu calor vt effectus prædicto modo non minus efficacitatis habet ad producendum calorem ita intensum, ac si formaliter haberet totidem gradus caloris, seu formaliter cresceret per additionem plurium calorum partialium in eadem parte subiecti, vt volunt aduersarij.

Secundum argumentum ex Tellez loc. cit. Vnio animæ rationalis est spiritualis, quia identificatur cum anima, & tamen habet partes formales ratione corporis, cui vnit animã; ergo similiter *vbi* angelicum habebit partes formales, ratione spatij, cui facit Angelum correspondere, quamuis identificetur cum substantia spirituali Angeli. Probatur minor: quia quando homini amputatur brachium, deperdit vnionem cũ brachio, nõ verò cum toto corpore; ergo

ergo illa vnio animæ est formaliter diuisibilis; siquidē habet partes formaliter diuisibiles non ratione sui, sed ratione corporis.

Resp. negando maiorē; nam vnio animæ rationalis cum corpore realiter ab illa distinguitur, cùm possit anima prædicta esse sine illa, & non est spiritualis, sed corporea; nec hoc obstat, quin per eam non possit vniri anima rationalis, quæ licèt sit entitatiuè spiritualis, nihilominùs est forma corporis, & in materia corporea recipi petit; ita & per receptionem corpoream suscipitur, & per vnionē huius ordinis potest vniri.

1043 Impossibile enim est, quòd prædicta vnio sit spiritualis, cùm sit permanens, & pendens à materia in suo esse, & fieri: nam in hoc præcisè substantia materialis permanens generalissimè sumpta, distinguitur à substantia spirituali permanenti, & in eadem generalitate considerata, quòd scilicet prædicta substantia materialis, vel est materia prima corporea, seu corpus, vel ab ipso pendet; secùs verò substantia spiritualis permanens.

Non tamen est impossibile, quòd licèt illa vnio sit entitatiuè corporea, se teneat ex parte vtriusque extremi, & vtrique inhæreat, seu vtrūque intrinsecè afficiat, nō tamquam subiectum totale, sed tamquam partiale, ita vt nulla ex his partibus possit in se suscipere vnionem nisi dependenter ab al.a. Vnde nihil refert, quòd iste modus sit corporeus ad hoc, vt nequeat recipi in anima, quæ est spiritualis; quia in re spirituali, quæ simul est forma corporis benè potest recipi aliquis modus corporeus tamquam in subiecto partiali dependenter ab ipso corpore.

1044 Vltimum argumentum, ex Comptono in vniuersa Philosoph. disput. 7. de anima, sect. 3. Si hæc vbicatio esset indiuisibilis, sequeretur, animam præuertere ad aliquod spatiū, seu antecedere corpus quando homo mouetur: Dicunt enim Auctores contrariæ sententiæ, nihil indiuisibile posse produci in tempore; & consequenter cùm vbicatio corporis sit diuisibilis, & producatur in tempore; vbicatio autem animæ indiuisibilis, & semper producatur in instanti, sequitur, quando anima mouetur, & redditur præsens nouo spatio, corpus non moueri; & è contra; ergo in instanti, A, ver. gr. anima fit præsens spatio, A, cui non fit tunc præsens corpus; ergo anima anteuertit corpus; sicq; ad aliquod spatium erit extra corpus; & Angelus intuitiuè videns hominem, videt animā ad spatium aliquod exiguuum loci non vnitam corpori. Quod si admittatur, quidni ibi possit anima cognoscere res intuitiuè, cùm in illo spatio non alligetur corpori, nec ab eo vllo modo dependeat?

Resp. quòd ad motum hominis anima rationalis illius non acquirit aliquam vbicationem spiritualem; sed homo acquirit vbicationē corpoream, à qua totus vbicatus appellatur, nam ex motu locali hominis anima non habet per suam quantitatem spiritualem tangere diuersam quantitatem corpoream ab illa, quā tangebat ante talem motum, ex cuius diuerso contactu solùm poterat resultare in ipsâ diuersa vbicatio spiritualis: vnde cùm quantitas animæ quo-

quoadusque anima informat corpus, solùm tangat quantitatem ipsius corporis; hinc est, quòd anima prout est in corpore, quod verè informat, solùm in illo propriè vbicata esse dicitur, cùm ipsa solùm quasi coęquetur, & commensuretur cum quantitate corporis, quod informat, quam per suam quantitatem immediatè tangit.

1045 Pro complemento huius disput. est notandum, quòd Aristoteles in 3. par. huius libri per quinque capita disserit de quibusdam affectionibus, quæ consequuntur prędicamenta, seu quæ inter ipsa inuicē comparata inueniuntur, quæ ideò postprædicamenta dicuntur: Sunt autem postprædicamenta quinque, scilicet oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi, de quibus nos in hoc loco sigillatim aliqua dicemus. Pro quo

Est primò notandum, quòd oppositio rerū, de qua modò agimus, est repugnantia determinata aliquorum, quę est quadruplex, scilicet cōtradictoria, priuatiua, contraria, & relatiua; quia vel repugnantia, quam importat oppositio, est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens: Si primum, vel inter ens, & non ens simpliciter, & sic est oppositio contradictoria: vel inter ens, & non ens indeterminato subiecto, & sic est oppositio priuatiua. Si secundum, vel ens, & ens mutuò se expellunt, & sic est oppositio contraria; vel se respiciunt, & sic est oppositio relatiua. Ex quibus omnium maxima est contradictoria, deinde priuatiua: tertiò contraria, & vltimò relatiua. Hæc diuisio oppositionis est analogi in analogata; quia oppositio contradictoria simpliciter, & absolute est oppositio, cùm excludat omne mediū, quòd tamen aliæ oppositiones non excludunt, ac proinde per ordinem ad oppositionem contradictoriam aliæ participant rationem oppositionis.

1046 Notandū est secundò, quòd Arist. in 3. par. capitis de oppositis quasdam proprietates contrariorū assignat, quarum prima est, quòd nō est necessarium, vt si vnum contrariorum existat, quod etiam existat aliud; non enim sequitur si album est, nigrum esse, quia possunt omnia esse alba, quæ proprietas intelligitur de consequentia logica: Physicè .n. siue iuxta ordinem naturæ si vnum elementum est, erit etiam eius contrarium; vt inquit Arist. 2. de Cęlo, text. 18. Deinde secunda est, quòd duo contraria non possunt esse in eodem subiecto. Quòd quando, & quomodo sit verum, alibi explicabitur. Tertia est, quòd contraria sunt circa idem subiectum: idem, inquā, specie, aut genere, vt si subiectum sanitatis est animal, idem etiam sit subiectum ęgritudinis, quæ proprietas desumitur ex definitione contrariorum desumpta ex 10. Metaph. cap. 6. scilicet: *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto insunt, à quo mutuò se expellunt.*

Tertiò notandum est, quòd sex modis aliquid potest dici prius alio, primò prioritate temporis, vt Adam fuit prior Abelle, & hæc est proprijssima prioritas; secundò prioritate consequentiæ; idest prius alio prioritate consequentiæ, à quo ad illud

non

non valet consequentia, licèt è contra valeat, quo modo animal est prius homine; tertiò prioritate ordinis; idest prius alio prioritate ordinis, quod habet habitudinem principij, vel partis respectu alterius, vt præmissæ respectu conclusionis, litteræ respectu syllabæ, & exordium respectu rationis; quartò prioritate dignitatis, seu honoris, quo sensu vulgus, qui sunt honoratiores, appellat priores; quæ prioritas est imperfectissima, vt ait Aristot. Quintò prioritate naturæ, quæ inuenitur inter ea, quæ licèt inter se conuertantur, tamen vnum est causa alterius, vt homo hoc modo dicitur prius sua risibilitate; sextò demùm prioritate originis, quæ prioritas tantùm inuenitur inter diuinas personas: & non est prioritas in *quo*, quia non datur aliquod instans, vel signum etiam naturæ, in quo vna persona sit prior alia, sed dicitur prioritas à *quo*, quia vna persona procedit ab alia, per quod etiã patet, quot modis aliquid dici possit posteriùs alio.

1047 Quartò est notandum, quòd tribus modis potest dici aliquid esse simul cum alio; primò simultate temporis, quando scilicet in eodem tempore fiunt, vel sunt: vt subiectũ, & propriæ passiones. Quo etiam modo duos gemellos, vel duas lectiones dicimus esse simul. Secundò simultate naturæ, quando scilicet vnum cum alio conuertitur, & neutrum est causa alterius, vt relatiua. Vt talia. Tertio tandem modo dicũtur esse simul differentiæ diuisiuæ eiusdem generis, vt volatile, gressibile, & aquatile respectu animalis. Quod intelligitur de differẽtijs precisè, secundùm quod comparantur ad genus; nam si inter se comparantur, non repugnat, imò oportet vnã esse priorem alia, sicut sunt ipsæ species, quas constituunt, de quibus 8. Metaph. dicitur, esse sicut numeros.

Quintò est notandum, quòd Aristot. enumerat hìc sex quasi species motus, scilicet generationis, & corruptionis ad substantiam: augmentationis, & diminutionis ad quantitatem: alterationis ad qualitatem: & motus localis ad *vbi*. Præterea ait; quòd quilibet horum motuum habet duo contraria: nam omnibus generaliter contrariatur quies, seu cessatio à tali motu, siquidem quando res est genita, aut corrupta iam, quiescit à motu generationis, & corruptionis, & idem est de augmentatione, & diminutione, & similiter de motu locali, cuius cessatio frequentiùs appellatur nomine quietis. Hoc autem intelligitur non de propria contrarietate; sed de oppositione priuatiua: nam quies, & motus priuatiuè tantùm opponuntur. Præterea vnicuique horum motuum cõtrariatur specialiter alius; nam generationi contrariatur corruptio, & augmentationi diminutio. Similiter motui locali ad vnum terminum contrariari videtur motus, quo itur ad terminum contrarium, vt motui sursum motus deorsum. Eodem modo ratione termini alteratio cõtrariatur alterationi, vt fieri album contrariatur fieri nigrum.

1048 Tandem est notandũ, quòd quinque modi habendi cõmuniter enumerantur, primus est, quo vna res dicitur habere aliam, quam trahit ad suam dispositionem, & naturam,

vt

vt febris dicitur habere infirmum, tirannus ciuitatem, & vitium hominem vitiosum. Secundus est, quo res habet aliam sicut subiectum formã, vt substantia quantitatem, qualitatẽ, &c. Tertius est, quo res habet aliam sicut continens contentum, vt dolium vinum. Quartus est, quo res per violentiam tenet aliam, ne moueatur suo motu naturali, aut libero, sicut columnæ habent domum, & vehemẽs passio hominem. Quintus est, per solam relationem, quomodo quis dicitur habere amicum; pater filium, vxor virum &c. & hunc appellat Aristot. remotissimum, & imperfectissimum modum habendi, quia iuxta illum vna res habet aliam, & habetur ab illa; & hæc dicta sint satis de tota hac sexta disput.

DISPVTATIO SEPTIMA.

In qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis in Logica exagitari solent de demonstratione.

CVM in superioribus satis actum sit de omnibus ferè obiectis partialibus, minus principalibus Logicæ, restat modò vt de principali in hac septima disput. agamus: at quia, vt ostendimus disput. 1. quæst. 3. num. 312. tale est argumentatio, & de ipsa satis diximus in introductione lib. 2. restat solùm, vt de demonstratione eius præcipua species aliqua discutiamus, & ideò sit

QVAESTIO I.
De conditionibus præmissarum demonstrationis.

1049 CVM syllogismus diuidatur ratione materiæ in demõstratiuum probabilem, & sophisticũ, hinc est, quòd differentia demõstrationis à syllogismo probabili sumẽda est ex diuersitate materiæ vtriusq; Vnde cùm iam explicuerimus materiam syllogismi probabilis, in introductione loc. cit. sect. 12. restat vt hic materiam demonstrationis explicemus, & ad hoc præsens quæstio ordinatur; Vnde

Dico primò: Præmissæ demonstrationis debent esse veræ. Ratio est, quia cùm in demonstratione cõclusio, quæ necessariò est vera, probetur per præmissas, hinc est, vt veritas istarum sit causa veritatis illius, & cùm nemo det, quod non habet, sequitur, quòd præmissæ demonstrationis debeant esse veræ.

1050 Dico secundò: Præmissæ demonstrationis debent esse primæ, seu immediatæ. Ad cuius dicti intelligentiam notandum est, quòd illa propositio est prima, seu immediata, qua non est alia prior, per quẽ probetur, seu quę non habet mediũ, per quod cognoscatur; quæque dicitur propositio per se nota. Propositio autem per se nota est multiplex, nam alia est per se nota secundùm se,

se, non verò quoad nos: & alia est per se nota secundùm se, & quoad nos. Prima est, quæ secundùm se nullum habet medium, per quod manifestetur; quia.s. vel prædicatũ est de essentia subiecti, vel immediatè consequitur ad rationem eius: tamen à nobis non cognoscitur illa immediata connexio prędicati cum subiecto, nisi per aliud medium illã notificans. Cuiusmodi est hæc propositio, *Deus est*, quæ licèt sit per se nota secundùm se, quia prædicatum est de essentia subiecti, tamen quia nos nescimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota, sed innotescit per effectus eius.

Talis etiam est propositio, in qua prima passio prędicatur de subiecto: nam cùm inter primam passionem, & ipsum subiectum nihil in rei veritate mediet, per quod probetur, talis propositio est secundùm se immediata, & indemonstrabilis; & per cõsequens per se nota secundùm se. Quoad nos tamen dici potest, non esse per se notam, aut immediatam, quia per intellectum actu distinguimus definitionem subiecti ab ipso, & eam assumimus vt medium ad talem propositionem de illo demonstrandam.

Propositio verò per se nota secũdùm se, & quoad nos est illa, cuius prædicatum, & subiectum non solũ habēt immediatam connexionem, sed ipsa nota est nobis. Quæ quando omnibus est nota, dicitur propositio per se nota quoad omnes, *vt omne totum est maius sua parte*. Quando verò non omnibus nota est, sed sapientibus, tunc dicitur, propositio per se nota quoad sapientes, vt spiritualia sunt indiuisibilia. Quo notato

1051 Certum est, quòd quando nos dicimus, quòd præmissæ demõstrationis debent esse primæ, seu immediatæ, quod hoc non est intelligendum proximè, sed proximè, vel remotè: si autem aliqua præmissa demonstrationis fuerit propositio mediata, vt contingit quando de subiecto demonstratur secunda, aut tertia passio, opus est ad hoc, vt talis præmissa generet scientiam alicuius conclusionis, eam cognoscere per resolutionem ad primam, & immediatam propositionem; & ideò demonstratio semper procedit ex immediatis, si non proximè, saltem remotè.

Dico tertiò: Præmissæ demonstrationis debent esse causæ conclusionis, siue in cognoscendo tantùm, vt in demonstrationibus *à posteriori*, siue in cognoscendo, & essendo simul, vt in demonstrationibus *propter quid*, quod sic explicatur. Præmissæ semper sunt id, quod assumit intellectus ad cognoscendam conclusionem, & per quod illi notificatur; & ideò semper dicuntur causæ cõclusionis in cognoscendo. Vltra hoc autem aliquando etiam continent causam in essendo eiusdem conclusionis, vt quando per essentiam demonstratur prima passio, & per hanc secunda &c. & hoc fit per demonstrationem *propter quid*, & tunc præmissæ dicuntur causæ in essendo, & cognoscendo simul, quia intellectus assumit vt causam cognitionis id, quod est verè causa rei. Aliquando verò præmissæ nõ continent veram causam conclusionis, sed potius eius effectũ, aut aliquid aliud ipsa poste-

rius, vt quando demonstrantur causæ per signa, aut effectus earum, & hoc fit per demonstrationem à posteriori, & tunc tales præmissæ dicũtur causæ in cognoscendo tantùm, quia id, quod reuera non est causa, assumitur ab intellectu vt causa ad cognoscendam conclusionem. Ex quibus satis patet veritas huius tertij asserti; solùm enim circa secundam partem huius dicti

1052 Notandum est, quòd causa in essendo est duplex; vna formalis, & alia virtualis. Prima est illa, à qua effectus realiter procedit, siue per veram, & propriam actionem, siue per naturalem emanationem, & resultantiam, quæ semper realiter ab effectu distinguitur. Secunda verò est illa ratio, quę licèt reuera nõ producat aliam, cum qua realiter identificatur, inter eas tamen vt sunt virtualiter plures, inuenitur ex natura rei talis subordinatio, & ordo, vt vnũ apprę̃hendat intellectus, vt causam alterius, ita quòd si hæc aliquam haberet causam, nullam aliam postularet, nisi illam, v. g. immortalitas, & immaterialitas animę rationalis sunt idem, & ita neutra est vera, & formalis causa alterius: habent tamen inter se talem ordinem, quòd immortalitas intelligitur oriri ab immaterialitate, & non è contra. Quando præmissæ debent esse causa conclusionis in essendo, non est necesse, quòd sint formaliter tales, sed sufficit, quòd sint tales virtualiter.

Ex quibus sequitur, quòd pręmissæ demonstrationis debent esse notiores conclusione; nam causa secũdùm se notior est effectu, & quòd debẽt esse priores prioritate naturæ ipsa conclusione, quia quęlibet causa saltem illa prioritate, est prior suo effectu.

1053 Dico quartò: Præmissæ demonstrationis debent esse de omni, & per se. Ad intelligentiam huius dicti est notandum, quòd illa propositio est de omni, in qua nihil potest assignari sub subiecto, cui non conueniat prædicatum pro omni differentia temporis: illa verò propositio est de per se, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vt quando definitio, & partes eius, siue physicæ, siue metaphysicæ prædicantur de definito, quæ propositiones dicuntur in primo modo dicendi per se; vel quando prędicatum est propria passio subiecti, & tunc istæ propositiones dicuntur in secundo modo per se. Quo notato

Probatur conclusio. Præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ; sed omnis propositio necessaria est in aliquo ex prædictis duobus modis dicendi per se; ergo præmissæ debent esse propositiones de per se: sed omnis ꝑpositio de per se est etiã de omni: ergo etiam præmissæ debẽt esse de omni. Probatur minor subsumpta: in duobus modis prædictis dicendi per se, prædicatum vel est de essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illo; ergo non interdum inest, & interdũ non inest; sed semper inest subiecto, ac proinde omnis propositio de per se erit etiam de omni.

1054 Dico quintò: Vtraq; præmissa demõstrationis, vel saltem aliqua debet esse de prædicato vniuersali in demonstratione *propter quid*. Vt autem cognoscatur quid sit propositio

positio de prædicato vniuersali, est notandum: quòd tria requiruntur ad prædicatum vniuersale. Primum est, quòd sit *de omni*, defectu cuius risibile non est prædicatum vniuersale respectu animalis. Secundum est, quòd sit *per se*, defectu cuius album non est prædicatum vniuersale respectu niuis, quia licèt sit *de omni*, non tamen est *per se*, sed conuenit contingenter niui. Tertiũ est, quòd conueniat subiecto, *secundùm quod ipsum*, idest secundùm quod tale est, seu conuertibiliter, defectu cuius sensibile nõ est prædicatum vniuersale respectu hominis, quia licèt sit prædicatum *de omni*, & *per se*, non tamen conuenit illi *secundùm quod ipsum*, quia non conuenit homini secũdùm quod homo est, sed tantùm secundùm quod animal est: quo notato

1055 Probatur prima pars cõclusionis: Perfectissima demonstratio probat propriam passionem de proprio, & adæquato subiecto, ostendẽs propter quid illi conueniat; sed propria passio cõuertitur cum proprio, & adæquato subiecto, & propria, & immediata causa passionis conuertitur cum ipsa passione; ergo in demonstratione perfectissima omnes tres termini sunt cõuertibiles; & per consequens vtraque præmissa est de prædicato vniuersali.

Secunda pars cõclusionis probatur: Quia etiam in demonstratione *propter quid* probamus propriam passionem, tum de aliqua specie, aut indiuiduo subiecti adęquati, vt patet si dicas: omnis triangulus habet tres angulos ęquales; sed isocheles est triangulus; ergo habet tres angulos æquales; tum etiam de ipso genere particulariter sumpto, v. g. omnis triangulus habet tres angulos æquales; sed omnis triangulus est figura, ergo aliqua figura habet tres angulos æquales: sed in his demonstrationibus altera tantùm præmissa est de prædicato vniuersali, vt de se patet; ergo non semper est necessariũ, quòd in demonstratione *propter quid*, vtraq; præmissa sit de prædicato vniuersali, quamuis id requiratur in demonstratione perfectissima.

1056 Dico sextò: Demonstratio non potest procedere ex omninò extraneis; sed medium, quod assumitur in prẹmissis, debet habere necessariam connexionem cum extremis. Ad intelligentiam huius conclusionis notandum est, quòd proprium in pręsenti potest sumi dupliciter; Primò vt distinguitur contra alienum, seu extraneum; secundò vt distinguitur cõtra commune. Tunc ergo syllogismus dicitur procedere ex alienis, seu extraneis, quando medium est omninò alienum à subiecto, scilicet à minori extremitate; ita vt cum illo non habeat necessariam connexionem, sed tantùm contingentem.

Similiter tunc syllogismus dicitur procedere ex communibus, seu remotis, quando medium non est propria, & immediata causa passionis, sed remota, & communis; tunc.n. præmissæ, quia non continent propriam, & immediatam causam conclusionis, dicuntur remotæ, & communes. Hoc autem dupliciter potest contingere. Primò quando causa est remota, & communis; sed reuera conuertibilis cum effectu, vt

quando

quando tertia passio demonstratur per primam; secundò, quando causa non est conuertibilis cum effectu, sed conuenit alijs. Cuius duo exempla adducit Aristot. in hoc libro cap. 7. & 10. Quo notato

1057 Probatur conclusio. Si medium demonstrationis non haberet necessariam connexionem cum aliqua extremitatum, præmissa, in qua iungerentur, esset contingens, & nō scientifica; ergo demonstratio debet procedere ex proprijs, prout proprium distinguitur contra alienum, seu extraneum. Hoc dictum limitat Aristoteles ad scientias subalternantes, quia subalternatæ quodam modo procedunt ex extraneis.

Dico tandem. Demonstratio *propter quid* non potest procedere per causam remotam, & communem sumptam secundo modo explicato, benè tamen primo, licèt talis demōstratio non sit potissima; sed aliquantulum imperfecta. Prima pars huius conclusionis satis ex dictis est manifesta; quia quando proceditur per causam remotam secūdo modo supra explicato, nulla præmissarum est de prædicato vniuersali, cùm talis causa remota non sit conuertibilis; ergo in demonstratione *propter quid* non proceditur per causam remotā tali modo. Consequentia patet, quia in demonstratione *propter quid* saltē aliqua præmissarum debet esse de prædicato vniuersali, vt suprà diximus.

1058 Secunda pars conclusionis etiam est nota, quia inter passiones eiusdem essentiæ non sic est habitudo, & subordinatio, vt tertia præcisè oriatur, & causetur à secunda, & hęc à prima, quemadmodum prima solū causatur ab essentia; sed inter eas talis est ordo, vt licèt vna non oriatur ab alia, quasi *vt quod*, & vt ab integra causa; sed ab essentia sola oritur prima passio, & ab eadem essentia simul cum prima passione oriatur secunda, & ab essentia simul cum prima, & secunda passione oriatur tertia, & sic de alijs; ergo demonstratio, in qua tertia passio demōstratur per primam, aut secunda per essentiam, est reuera demonstratio *propter quid*. Consequentia patet: quia essentia respectu secundæ passionis, & prima passio respectu tertiæ non dicūtur causæ remotæ, quia nihil omninò influant per se ipsas; sed quia in essentia supponitur prima passio, vt oriatur secunda; & secunda, vt oriatur tertia: ergo essentia verè pertinet ad *propter quid*, secundæ passionis; & prima ad *propter quid* tertiæ; & per consequens tales demonstrationes reuera sunt demonstrationes *propter quid*. Tametsi quia in eis non exprimitur integrum *propter quid* passionis, quæ demonstratur, deficiant à perfectissima demonstratione, & sint aliqualiter imperfectæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm præmissæ demonstrationis concurrant effectiuè ad conclusionem.

1059 IN primis certum est, quòd quomodocumque sumantur præmissæ demonstrationis, siuè obiectiuè, siuè formaliter, non sunt causæ finales conclusionis; nam pręmissæ potiùs assumuntur propter conclusionem, quàm è contra; nec materiales, aut formales intrinsecè,

ita vt ex præmissis, & conclusione fiat vnum compositum per se physicum, ex per se actu, & per se potentia, in quo omnes conueniunt; vnde cùm ex supradictis constet, præmissas esse causam conclusionis, restat dubium solùm, an sint causæ efficientes illius, vel formales extrinsecè. Ad cuius solutionem

Sit prima conclusio. Præmissæ obiectiuæ influunt in conclusionē solùm formaliter extrinsecè, & sola causalitate obiectiua. Probatur. Premissæ obiectiuæ sunt ipsa obiecta, quæ terminant actus intellectus, qui dicuntur præmissæ formales; sed influxus obiecti in actum est influxus formalis extrinsecus, q dicitur obiectiuus, eò quod obiectum obijciendo se potētiæ, terminat actum illius, & hoc modo terminat, & mouet ad alium quemcumque actum eiusdē intellectus; ergo præmissæ obiectiuæ non gaudent alio influxu in conclusionem præter formalem extrinsecum, qui dicitur obiectiuus.

1060 Nota tamen, quòd præmissæ obiectiuæ demonstrationis aliquo modo efficienter influunt in conclusionem; quia ipsę determinant intellectum ad illū actum conclusionis. Et hoc vt probabile defendit Ortiz in Logic. tract. 6. contr. 1. §. 2.

Secunda conclusio. Premissę formales efficienter ad assensum conclusionis concurrunt. Probatur: nam id concurrit efficienter ad aliquem effectum, quòd se tenet ex parte principij actiui, determinans illud ad predictum actum eliciendū; sed premissę se tenent ex parte intellectus, qui est principium actiuum assensus cōclusionis, & ad istum eliciendum determinant intellectum; ergo concurrunt efficienter ad talem assensum. Maior constat; nam species impressę concurrunt effectiuè ad actum intellectus, quia se tenent ex parte illius, & determinant ipsum ad eliciendum actum circa tale obiectum, cuius sunt species; ergo quoties aliquid se tenet ex parte principij actiui determinans aliquo modo eius actiuitatem, concurrit actiuè cum ipso principio, & maximè si principium aliàs sit aliquo modo indifferens, & tollatur eius indifferentia per tale determinans. Minor etiam est nota; nam premissæ formales se habent ex parte intellectus, & illum actuant, & determināt ad eliciendum assensum conclusionis, ita vt positis premissis formalibus necessitetur intellectus ad assensum cōclusionis; ergo premissę formales se habent ex parte intellectus, & ipsum determinant ad assensum conclusionis, in quo consistit influxus effectiuus.

1061 Nec valet si dicas, quòd premissę sunt tantùm conditiones, sine quibus non, intellectus elicere potest conclusionem. Non, inquā, hoc valet; quia conditio, sine qua non, tunc requiritur quando adest agens indispositum, vel impeditum, & illa conditio est quędam impedimenti ablatio; ideò non dicitur causa effectus, vt patet in approximatione ignis ad lignum: sed si agens, & passū sunt debitè approximata, & nō impedita, si non sequitur actio, signū est, quòd agens non habet adequatam, & completam virtutē, sed petit suppleri ab alio: cùm igitur intellectus

ctus ex se non sit impeditus ad agendum, nec ad recipiendum actū conclusionis; si haberet completam virtutem producendi conclusionē, ipsam produceret etiam sine pręmissis, quod est omninò falsum.

Primum argumentum. Causa efficiens cùm non influat nisi quando existit, debet esse simul cum effectu, quem producit; sed assensus formalis pręmissarum non potest simul existere cum assensu conclusionis; ergo ille non concurrit actiuè ad istum. Probatur minor: quia pręmissæ continent assensum maioris, & minoris, & ex vtroque resultat, seu procedit assensus conclusionis; sed maior cognoscitur priùs tempore quàm conclusio, & minor simul tempore; ergo assensus adęquatus pręmissarum non est simul cum assensu conclusionis. Minor etiam constat, quia duo actus intellectus non possunt esse simul.

1062 Resp. negando minorem: Ad primam probationem dicimus, quòd si maior secundùm se accipiatur, & non vt determinata per minorem, sic potest cognosci priùs tempore, quàm conclusio: si autem maior consideretur, vt determinata per minorem, seu ipsa minor, vt determinans maiorem, tunc est simul tēpore cum assensu conclusionis, ac proinde adęquatus assensus pręmissarum est simul cum assensu cōclusionis. Deinde ad secundam probationem dico, quòd illa plura non possunt simul intelligi, quę inter se nullum habeat ordinem: si autem plura inter se habent aliquem ordinem, non sunt plura vt plura: cùm igitur obiectum pręmissarum, & cōclusionis habeant inter se ordinem, possunt simul intelligi diuersis actibus, qui etiam erunt simul propter ordinem, quem inter se seruant.

Secundum argumētum: Nequit intellectus elicere secundam operationem nisi prius habuerit appręhēsiones terminorum; sed ex ista indigentia non arguimus causalitatem in prima operatione erga secundā: ergo quamuis conclusio pendeat à pręmissis, & tertia operatio à secunda, non ob id debet dici causa: & eadem dependentia est inter actum intellectus, & voluntatis, taliter vt nequeat esse volitio obiecti in voluntate, quin pręcesserit intellectio eiusdem in intellectu; & tamen actus intellectus non est causa actus voluntatis.

1063 Resp. quòd termini quando euidenter cognoscuntur, causant notitiam principiorum, secùs tamen quando sunt ineuidentes. Verum tamen est, magis dependere tertiam operationem à secunda, quàm secunda à prima; quia pręmissæ per vim illatiuam, & impulsiuam inferunt conclusionem: non sic appręhensio terminorum; quia tertia specificatur essentialiter, & distinguitur per secundam; nam conclusio demonstrata per principia physica distinguitur essentialiter ab alia ijsdem terminis; sed per principia mathematica ostensa. Negamus tamen, actum intellectus esse causam volitionis, quãuis necessariò pręrequisitus; quia volitio non sequitur necessariò ad intellectionem obiecti, nec ab ipsa specificatur essentialiter: voluntas enim est causa totalis; at quia est potentia naturaliter posterior

 intel-

intellectu, nequit in actũ exire absq; operatione intellectus: intellectus verò non præsupponit actum alterius potentiæ, vnde si ex se habet virtutem completam producendi aliquem actum, poterit illum elicere remoto impedimento, quòd cùm in præsenti non adsit, & tamen absq; præmissis numquam eliciat conclusionem; signum euidens est, non habere talem vim, sed à præmissis necessariò compleri.

Vltimum argumentum. Præmissæ non sunt causæ vniuocæ, neque æquiuocæ conclusionis; ergo nullo modo. Consequentia patet, quia causa efficiens adæquatè diuiditur in vniuocam, & æquiuocam. Antecedens verò probatur. Nam in primis non sunt causa vniuoca, quia nõ producũt effectum eiusdem speciei cum ipsis: nam assensus conclusionis specie differt ab assensu præmissarum; deinde non sunt causa æquiuoca, quia non producunt plures effectus distinctos speciei inter se.

Resp. quòd præmissæ sunt causa æquiuoca cõclusionis, eo quòd producunt effectum distinctum specie; nam assensus præmissarum distinguitur specie ab assensu conclusionis. Ad illud autem, quod dicitur in probatione antecedentis, s. quòd non producũt plures effectus distinctos specie inter se, dicimus, quòd hoc est verum, sed non est de ratione causæ æquiuocæ, vt sic, sed tantùm de ratione causæ vniuersalis.

QVAESTIO III.

An, & quomodo assensus præmissarum necessitet intellectum ad assentiendum conclusioni.

1064 Necessitas quoad præsens duplex est: vna quoad specificationem, & altera quoad exercitium. Prima, cui opponitur libertas contrarietatis est, cùm quis in eo statu est constitutus, vt licèt possit omnẽ actum suspendere; si tamen velit actum elicere, debet eum in tali determinata specie elicere: qua de causa necessitari dicitur quoad specificationem, seu quoad speciem actus; v. g. si quid proponatur vt bonum finitum voluntati, sine vlla ratione mali; tunc voluntas, licèt possit omnem actum circa illud obiectum suspendere, si tamen illud ferri velit, debet ferri actum amoris eliciendo, non odij. Necessitas quoad exercitium, cui opponitur libertas contradictionis, tunc cõtingit, cùm quis non potest cohibere actum, sed aliquem necessariò debet elicere circa obiectum propositum. Sic beati in cęlo rapiuntur ad amandum Deum clarè visum, idque non ita solùm vt non possint illum odisse, sed vt necessariò eum amare debeant, nec cessare ab amore possint, cùm bonũ infinitum clarè visum voluntatem etiam quoad exercitium rapiat in sui amorem. Quod idem contingit in potẽtijs vitalibus naturaliter agẽtibus vt in visu &c. Quo notato

Sit prima conclusio. Posito assensu præmissarum, necessitatur intellectus ad assensum cõclusionis. Probatur. Præmissæ demonstrationis sunt veræ, & vt tales cognoscuntur à nostro intellectu: ergo ex vi illarũ non potest intellectus elicere alium actum nisi circa verum, siquidem *ex vero nonnisi verum* sequitur; ergo necessitatur intellectus ad eliciendum assensum, & non potest elicere dissensum.

sensum. Hæc vltima consequentia patet; nam circa verum non potest versari nisi solus assensus; ergo si ex vi pręmissarum necessitatur intellectus circa verum, necessitatur etiam ad assensum, & consequenter ad speciem actus.

1065 Secunda conclusio. Assensus præmissarum necessitat intellectum etiam quoad exercitium ad assentiendam conclusionem. Probatur: nam assensus præmissarum naturaliter, & necessariò sequitur assẽsus cõclusionis; ergo posito illo primo, non est in potestate voluntatis suspendere secundum. Consequentia patet: nam voluntas non potest suspendere actum, qui necessariò sequitur, posito alio, nisi impediendo, ne ponatur iste, ad quem sequitur alius. Antecedens verò probatur. Intellectus agit circa obiectum sufficienter propositum, vt potẽtia naturalis, & omninò necessaria, nec à voluntate impediri potest, ne operetur circa tale obiectum; sed ex vi pręmissarum sufficienter proponitur conclusio; ergo intellectus circa illam non potest suspendere actum, sed omninò naturaliter agit. Cuius signum est, quia in eodem instanti, quo ponitur pręmissa minor, statim ponitur assensus conclusionis.

Explicatur cõclusio exemplo potentiæ visiuæ. Nam proposito sufficienter obiecto, & potentia visiua non impedita, v.g. apertis oculis, nõ potest voluntas impedire actum potentiæ visiuæ, ne videat prædictum obiectum; & ratio est; quia sunt causæ naturaliter agentes: sic enim cõtingit in nostro casu; nam potentia supponitur non impedita, & conclusio sufficienter proposita ex vi præmissarum, quæ se habet sicut lux ad illuminandum colorem; ergo non potest voluntas suspendere actum impediendo intellectum, ne exeat in illum.

1066 Primum argumentum. Voluntas non potest necessitari ab aliquo bono particulari; sed verũ, quod objicitur per conclusionem, est aliquod bonum particulare; ergo ad illud non necessitatur quoad exercitium.

Resp. quòd duplex est necessitas: vna absoluta, & altera ex suppositione. Ad bonum autem particulare non necessitatur absolutè voluntas; benè tamen potest necessitari ex suppositione, quòd ponatur aliquid necessariò connexum cum altero; sic enim contingit in nostro casu, vnde potest absolutè impedire assẽsum conclusionis per hoc, quod faciat intellectum non attendere ad præmissas, seu illas non considerare; at positis pręmissis, & attentione intellectus circa illas, nõ potest actum suspendere; & hęc dicitur necessitas ex suppositione.

Secundum argumentum, quod est vnum ex fundamentis Tellez in in Summa vniuersæ Philosoph. volum. 1. par. 1. disput. 17. sect. 5. vbi contrarium nostræ secundæ cõclusionis defendit. Voluntas in hac vita libera est quoad exercitium, circa quoduis bonum creatũ; sed quodcumque obiectum verum, circa quod versatur intellectus, & quæuis operatio ipsius intellectus est quoddam bonum respectu voluntatis; ergo sicut voluntas circa tale obiectũ non necessitatur, sed potest illud

velle, aut non velle, ita poterit mouere, aut non mouere intellectum ad operandum circa exercitium talis obiecti. Et declaratur: quia sicut bonum quoduis creatum non necessitat voluntatem quoad exercitium actus, sic nec obiectum verum ita mouet intellectum, quin à volũtate posit alio applicari, alioquin necessitaretur voluntas ad non impediendum intellectus assensum, quod non est dicendum.

1067 Ad hoc argumentum eodẽ modo est respondendũ sicut ad precedens respondimus; nam in substãtia ab illo non differt. Ad explicationem verò illius dicimus, quòd est dispar ratio de voluntate, & de intellectu; nam voluntas est potentia libera, intellectus verò potentia naturalis. Quod magis constabit ex solutione seq. argumenti.

Vltimum argumẽtum ex eodem Tellez ibid. Intellectus non est potentia omninò determinata ad rerũ, sed est indifferens: (siquidem etiam circa prima principia notissima capax est habituum: qui tamen habitus non dantur nisi in potentia indifferente) ergo effectus intellectus necessarij non sunt quoad exercitiũ, sed liberi; alioquin si intellectus ita foret determinatus circa veritatem cognitam sicut oculus est determinatus ad videndum, nullum omninò acquireret habitum, sicut nec oculus acquirit: cùm igitur capax sit habituum, signum est, quòd sit indifferens; atque adeò quòd posit regi à voluntate etiam in casu proposito.

1068 Resp. quòd intellectus prout subditur voluntati; solùm habet potestatem eliciendi, & non eliciendi assẽsum premissarum; tamen hoc elicito, necessariò necessitate ex suppositione, deinde infert assensũ conclusionis. Habitus .n. non generatur in potentia propter solam indifferentiam; sed etiam, quia potest aliquam pati difficultatem, vel quia potest intensius, vel minùs intensè operari; qua ratione quando est habituata, facilius, citiùs, delectabilius, & intensius operatur, etiam si naturaliter agat. Sensus autem externi, vt visus, nullam habent indifferentiam, neque intensius, vel minùs intensè operari possunt circa obiecta, nisi quatenus modò perfectiùs, nunc imperfectiùs applicantur obiecta, vel quatenus, media virtute motiua, imperio voluntatis subduntur; & tamen in virtute motiua nõ datur habitus; quia nulla qualitas dari potest, quæ inclinet ad omnem differentiam positionis in motu, & ad omnem locum; nam videmus omnem qualitatem inclinantem ad aliquem motum, vel actionem, inclinare quoque ad determinatum motum, & determinatam actionem.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm assensus præmissarum sint certiores, & euidentiores assensu conclusionis.

1069 Notandum est, quòd certitudo est triplex .s. moralis, physica, & metaphysica, quam alij appellant Logicam. Id est certũ certitudine morali, in cuius affirmatione consentiunt multi fide digni; hac certitudine certum est, Romam esse apud illos, qui illã non viderunt: id

id verò certum est physica certitudine, quòd scimus ita se habere, expectatis rerum naturis, vt ignem applicatum comburere, & albedinē omnem singularem inhærere alicui subiecto, licèt per diuinam potentiam aliter possit contingere, vt contingit igni in fornace Babylonis; & albedini panis in Eucharistia: Id tandem est certum certitudine metaphysica, quòd nec per diuinam potentiā aliter se habere potest, v.g. homo si est, non potest non esse animal.

Præterea est notādum, quòd certitudo, & euidentia non consistunt in indiuisibili; nam cùm certitudo actus, & euidentia pendeant à principijs, quò magis hæc firma fuerint, & infallibilia, & ad verum determinata, eò actus ex huiusmodi principijs procedens, erit certior, illumq; excedens, qui ex similibus principijs non deducitur. Sic etiam actus, qui ex euidentioribus præmissis deducitur, euidentior erit alio, qui ex præmissis oritur minùs claris: quo notato

1070 Sit prima cōclusio. Vtraq; præmissa ad minus debet esse æquè certa, & euidens ac conclusio. Probatur: Ideò aliqua vniuntur inter se in conclusione; quia prius vnita erant medio in præmissis; ergo ea certitudine, qua vnita fuerunt medio, vniūtur inter se. Confirmatur: Conclusio sequitur debiliorem partem; ergo nulla præmissa potest esse minus euidens, aut certa conclusione.

Secunda conclusio. Altera ex præmissis seorsim sumpta est euidētior, & certior conclusione. Quoad certitudinem constat in demonstratione Thologica, in qua altera semper præmissa est de fide: conclusio verò ex hac, & præmissa naturali deducta, quantacumque sit illius certitudo, certè ad certitudinem fidei nō assurgit. Item de euidentia clarè ostenditur in demonstratione, cuius altera præmissa est primum aliquod principium; imò idem est in omni præmissa; in hoc enim conclusionē superat, quòd sit cognitio immediata, seu ex alia cognitione, hìc, & nūc non deducta, cuius contrarium in conclusione semper reperitur.

Vltima conclusio. Præmissæ etiā simul sumptæ sunt certiores, & euidentiores conclusione. Probatur: Præmissæ sunt semper viciniores naturali lumini intellectus, & plus de illo participant; ergo euidentiores, & certiores sunt conclusione, quæ nonnisi per illas lumen, & certitudinem participat. Confirmatur: quia assensus præmissarum propiùs accedunt ad actus Angelorum, qui simplici intuitu res clarissimè inspiciūt, quàm assensus conclusionum: ergo assensus præmissarum sunt certiores, & euidentiores assensu conclusionis. Confirmatur tandem: Assensus præmissarum est causa æquiuoca assensus conclusionis; sed causa æquiuoca est perfectior suo effectu: ergo cùm perfectio præmissarum consistat in certitudine, & euidentia, consequens est, vt assensus præmissarum, sit certior, & euidentior assensu conclusionis.

1071 Primū argumentū: Conclusio huius syllogismi: Quidquid De⁹ reuelat esse hominem, est homo; sed Deus reuelat Christum esse hominem, ergo Christus est homo: est æquè certa, ac vtraque ex præmissis;

ergo præmisſæ non ſunt certiores concluſione. Antecedens patet; quia in omni actu fidei eſt ſumma certitudo. Vbi autem eſt ſumma, maior nulli videri poteſt: Cùm autem concluſio prędicti ſyllogiſmi ſit de fide, non poteſt aliqua ex pręmiſſis, ex quibus deducitur, eſſe certior illa.

Reſp. quòd concluſio illius ſyllogiſmi eſt æquè certa, ac vtraque ex pręmiſſis quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum participandi certitudinem; & hoc, quia de fide eſt: nos autem in vltima concluſione loquimur de aſſentibus naturalibus. Hęc ſolutio poteſt illuſtrari ex quadam doctrina valdè probabili, quæ ſolet afferri ab aliquibus in tractatu de Incarnatione, ſcilicet, quòd humanitas Chriſti æquè ſancta fuit quoad ſubſtantiam, ac verbum diuinum, cùm per eamdē numero verbi ſanctitatem fuerit ſancta, non tamen fuit tam ſancta quoad modum: quia ſanctitatem illam non participabat per identitatem, & neceſſariò ſicut verbum, ſed contingenter, & per vnionem realiter diſtinctam, ſic actus iſte concluſionis non eodem modo participat ſuam certitudinē, quo præmiſſa, quæ eſt de fide; immediatè ſcilicet tendendo, & intrinſecè attingendo auctoritatem diuinam.

1072 Secundum argumentum. Ille actus clarior, & certior eſt, qui pluses habet rationes, quibus probetur; ſed plures habet rationes concluſio, quàm pręmiſſæ: nam omnes rationes, quæ pręmiſſas probant, probant etiam concluſionem; ergo certior, & euidentior eſt aſſenſus concluſionis, quàm pręmiſſarum.

Reſp. negando maiorem: nam prima principia *ſunt clariora*; & cōſequenter certiora concluſione. Maior ergo, vel minor certitudo, & claritas non penès rationum multitudinem ſemper eſt mētienda (quāuis cęteris paribus hæc regula non ſit aſpernenda) & quaſi extenſiuè, ſed ſecundùm perfectiorem, ſeu immediatum modum tendendi, & intenſiuè. Pręmiſſæ ergo nobiliorem habent modum tendendi, propiùs abſūt à lumine naturali, magis excedunt ad cognitionem intuitiuā, quæ omnia maiorem, & perfectiorem ſimpliciter arguunt claritatem, & certitudinem, quàm ſit modus cognoſcendi diſcurſiuus, animæq; corpori affixæ, & à ſenſibus in cognitione dependentis proprius.

Vltimum argumentum. Pręmiſſæ ſunt cauſæ naturales reſpectu cōcluſionis; ergo debent communicare omnem ſuam certitudinem, & euidentiam concluſioni; & conſequenter non ſunt certiores, & euidentiores concluſione.

Reſp. quòd licèt præmiſſæ ſint cauſæ naturales, & agant quantùm poſſunt, cùm tamen nequeant efficere, vt concluſio ſit cognitio immediata inſtar pręmiſſarum, ideò nunquam eam efficient ſibi in claritate, & certitudine parem.

QVAESTIO V.

Vtrùm præmiſſæ ſint veriores concluſione.

1073 AD ſolutionem huius quæſtionis eſt notandū, quòd verum propriè accipitur pro illo, quod habet cōformitatem cum ſuo prin-

principio. Vnde veritas nihil aliud est, quàm conformitas cum principio; si autem est conformitas rei cū idea diuina, quam imitatur, dicitur veritas transcendentalis: si autem est conformitas conceptus cum re, quam repręsētat, dicitur veritas formalis, quæ solùm inuenitur in intellectu, & huiusmodi veritas inuenitur in enunciationibus mentalibus.

Pręterea notandum est, quòd ipsa veritas formalis potest accipi dupliciter, & fundamentaliter, in qua acceptione denotat causas, & principia, seu fundamenta illius: & formaliter, prout .s. solùm denotat ipsam formalem rationem constitutiuam illius, quæ est ipsa conformitas, seu adæquatio conceptus cum re. Vnde non est idem quęrere, an veritas formalis suscipiat magis, & minùs; & an veritas formaliter suscipiat magis, & minus; nam ad saluandum primum sufficit veritatem formalem ex aliquo capite suscipere magis, & minus; & ad verificandum secundum exigitur ipsam formalem rationem veritatis admittere prędictam latitudinem, quo notato

1074 Sit prima conclusio. Præmissæ non sunt formaliter veriores conclusione. Probatur: Veritas formaliter consistit in cōformitate per modum adęquationis; seu ęqualitatis conceptus cum re; sed conformitas per modū adæquationis, & ęqualitatis non suscipit magis, & minus; ergo nec veritas formaliter accepta, & consequenter pręmissæ non possunt esse formaliter veriores cōclusione. Probatur minor. Adęquatio, seu ęqualitas consistit in indiuisibili, tunc enim dicuntur aliqua inter se adæquata, quando non se excedūt ad inuicem, ac proinde adęquatio ex se affert negationem excessus, sicut etiam ęqualitas; sed ea, quæ consistunt in indiuisibili, non suscipiunt magis, & minus; ergo conformitas per modum adęquationis, seu ęqualitatis non suscipit magis, & minus.

Confirmatur: nam veritas formaliter in ratione adęquationis consistit in eo, quod attingat rem sicuti est in se: si enim rem, vt in se est, nō attingit, veritas non est: sed in hoc, quod est attingere rem sicuti est in se, non datur magis, ac minus, quia vel attingit, vel non attingit: si attingit, veritas est: si non attingit, deficit à veritate; & in ipsa attingentia nulla latitudo inueniri potest, cùm nulla detur inter esse, & nō esse, inter quæ datur omnimoda indiuisibilitas; ergo veritas formaliter non suscipit magis, & minus; & cōsequenter pręmissæ non possunt esse formaliter veriores conclusione.

1075 Secunda conclusio. Præmissæ demonstrationis sunt fundamentaliter veriores conclusione. Probatur: Vna veritas potest esse fundamētaliter magis perfecta alia, quia aliqua veritas habet perfectiora fundamenta, & causas perfectiores sui esse; & ideò vna habet maiorem firmitatem, & stabilitatem altera; qua ratione magis resistit falsitati, v. g. hæc, Deus est, est firmior, immutabilior, & magis infalsificabilis, quàm hæc, Petrus currit; sed firmitas, stabilitas, immutabilitas, & infalsificabilitas perficiunt veritatem; ergo veritas fundamentaliter potest esse magis veritas, seu magis perfecta, quā alia: & consequenter veritas præ-

præmissarum, cùm sit causa veritatis conclusionis, quia habet minus dependentiæ in ratione veritatis, in qua quantò habet independentiæ, tantò habet maioris perfectionis, est maior fundamẽtaliter veritate conclusionis.

Sed pro maiori intelligentia eorũ, quæ diximus in præteritis conclusionibus, quæres, an vna falsitas formaliter sit maior alia, ac proinde an poterit vna propositio esse formaliter falsior alia? Pro solutione huius dubij est notandum, quòd obiecta aliqua sunt indiuisibilia, & aliqua diuisibilia. De primis non est difficultas: nam obiectum indiuisibile non suscipit magis, & minus; vndè tàm falsum est dicere: Ioannes non existit, si existat, quàm dicere: Deus non existit, cùm existentia vtriusque consistat in indiuisibili, vndè æquè aberrat à vero vterque actus, cùm vterque feratur in contradictorium veritatis, quo longiùs non potest quis ab ea recedere; licèt aliquo sensu, scilicet fundamẽtaliter magis falsum est hoc secundum, iuxta dicta de veritate, quæ proportionaliter hìc possunt applicari. Circa obiectum diuisibile est maior difficultas. Dicimus autem circa illum, quòd vna falsitas non est maior alia formaliter. Probatur: Hæc propositio, omnes homines currũt, est tàm formaliter falsa, licèt omnes currãt præter vnum, atque si vnus tantùm currat; nam hìc non considerantur omnes homines secũdùm se; sed prout in vnũ copulantur in cursu; at quoad hanc copulationem requiritur, vt omnes omninò currãt, & si vel vnus non currat, tam tollitur hęc copulatio; & consequenter veritas ex parte actus, vt si centum non currant. Maior enim, vel minor numerus ad formalem ablationem veritatis nihil facit; sed materialiter solùm auget falsitatem; idest, qui hoc dicit, profert propositionem, quę magis repugnat veritati.

1076 Hęc enim propositio, omnes homines currunt, nullum sigillatim respicit; sed omnes per modũ vnius complexi; cùm ergo tam tollatur complexum illud formaliter per ablationem vnius, quàm per ablationem viginti, tàm erit formaliter falsa vna propositio, quæ fertur in hoc complexum, quàm alia. Sicuti si decem homines essent in hac aula, & vnus egrediatur, tàm non remanet hìc numerus hominum denarius, quàm si ęgrederentur quatuor.

Et confirmatur: Quamuis vnus plus distet Bergamo, quàm alius, tamen tàm nõ est Bergomi hic, quàm ille, licèt enim distantia non consistat in indiuisibili, tamen negatio vbicationis, vel existentię Bergomẽsis consistit; vndè tàm nõ est Bergomi, qui est Brixiæ, quàm qui est Veronæ; sic ergo in præsenti falsitas formaliter consistit in nõ repræsentando rem sicuti est. Cùm autem hoc consistat in indiuisibili, falsitas quoq; formaliter in indiuisibili consistit.

Argumenta verò, quæ contra primam conclusionem fieri solent, solùm probant secundam; & ideò facilis est solutio eorum, vndè omittuntur; sicut etiam ea, quæ militare videntur contra responsionem superioris quæsiti: nam circa veritatem,

&

& falsitatem eodem modo proportionaliter philosophare debemus.

QVAESTIO VI.

Vtrùm eodem actu, quo intellectus assentitur conclusioni, assentiatur etiam præmissis.

1077 IN primis certum est in hac quæstione, aliquē posse assentiri cuilibet ex præmissis seorsim sine eo, quod assentiatur conclusioni, & etiam est certum, posse quē assentiri præmissis coordinatis inter se syllogisticè, quin assentiatur conclusioni, v. g. quando aut non proponeretur expresè ipsa conclusio, aut si proponeretur, non constaret de quantitate illationis. Vnde non eodē actu semper quis assentitur prę missis, & conclusioni. At verò, quia quando quis assentitur conclusioni ob præmissas actualiter propositas, dum assentitur conclusioni, assentitur etiam prę missis; & ideò difficultas est, an eodem actu, quo quis assentitur conclusioni, assentiatur etiā præmissis. Ad cuius solutionem

Sit conclusio. Per assensum conclusionis nullatenus assentimur prę missis. Hæc conclusio patet experientia; quia non aduertimus, nos assentiri prę missis per illum ipsum actum conclusionis. Et probatur; quia dum assentimur conclusioni propter præmissas, habemus alium actum, quo assētimur præmissis per assensum conclusionis. Tandem probatur, quia non videtur eodem actu nos posse affirmare, & negare; sed id deberet fieri si eodem actu assentiremur cōclusioni, & prę missis; quia vna ex prę missis potest esse affirmatiua, & altera negatiua; ergo nō assentimur vno actu conclusioni, & præmissis.

1078 Dices contrà: Quando assentimur conclusioni, vt *Quod*, eodē actu assentimur prę missis, vt *Quo*, ergo malè dicimus, quòd per assensū cōclusionis nullatenus assentiamur præmissis. Antecedens patet, quia assensus conclusionis dicit dependentiam à præmissis tamquam ab illis, quæ determinant intellectum ad assensum conclusionis.

Resp. negando antecedens: Ad eius probationem dicimus, quòd licèt assensus conclusionis dicat dependentiam à præmissis, tamquam ab illis, quæ determinant intellectū, tamen propter hoc nulla ratione assensus conclusionis propriè potest dici assentiri præmissis. Et ratio est, quia non magis debet dici, intellectus assentiri prę missis, vt *Quo*, dum assentimur conclusioni, quàm credere, vt *Quo* reuelationi euidenti, ob quam credit aliquod mysterium obscurum: sed absurdum est dicere, quòd intellectus, credendo mysterium obscurum, credat vlla ratione reuelationi, quę ei euidenter proponitur; ergo paritèr non est dicendū, quòd intellectus assentiendo conclusioni ob præmissas, assentiatur vllo modo ipsis præmissis.

Dices secundò: Non potest quis habere actum circa medium vt medium, quin eodem actu feratur circa finem, vt finem; nec potest quis credere ob reuelationem, quin etiā actu feratur in reuelationem; ergo nec potest quis tendere in conclusionem, vt talis est, quin tendat in præmissis.

Resp.

Resp. distinguendo antecedens: Non potest quis habere electionẽ, aut fidem, quin eodem actu feratur in finem, & reuelationem; quatenus actus electionis, & fidei dicit aliquã dependentiam ad reuelationem, & finem, concedo; quatenus illa volitio, quæ est electio, sit volitio formalis finis, aut actu fidei, quo creditur reuelatum, credatur etiam reuelatio, nego antecedens. Et similiter distinguo consequens; quatenus assensus conclusionis necessariò dicat aliquem ordinem ad pręmissas, concedo consequentiam; quatenus diceret talem ordinem, vt per eum intellectus assentiatur præmissis, nego consequentiam.

1079 Dices tertiò: Possunt dari plures actus distinctæ speciei circa eamdem conclusionem materialiter sumptam; sed hoc non alia ratione, nisi quia illa conclusio deduci possit ex præmissis diuersis, & quòd illi assensus dicant ordinem ad diuersas illas pręmissas; ergo assensus conclusionis versatur circa præmissas.

Resp. distinguendo consequens: Versatur circa pręmissas quatenus dicit aliquem ordinem ad illas, concedo consequentiam: quatenus dicit talem ordinem, vt debeat dici assensus talis, quo intellectus ipsis assentitur, nego consequentiam. Si autem quæras qualem ordinem dicat ad pręmissas, respice quæst. secundam huius disput.

Dices tandem: Pręmissæ sunt, quæ formaliter determinant intellectum ad assensum conclusionis; ergo intellectus assentitur pręmissis per assensum conclusionis.

Resp. negando consequentiam: Sicut enim illo actu, quo intelligimus entia rationis ficta, non intelligimus entia realia, per quæ tamen determinamur, & mouemur ad illã intellectionem, cùm talia entia rationis non possint mouere intellectum; ita in proposito dicendum est.

QVÆSTIO VII.
De multiplicitate demonstrationis.

1080 TRadit Aristot. in hoc libro plures diuisiones demonstrationis. Primò diuidit eam in vniuersalem, & particularem. Appellat autem demonstrationem vniuersalem eam, cuius ambæ præmissæ sũt de prædicato vniuersali. Demonstrationem verò particularẽ appellat quamcumque aliam, cuius conclusio aut pręmissæ non sunt de prędicato vniuersali: deinde diuidit demonstrationem in affirmatiuam, & negatiuam. Prima est illa, cuius cõclusio est affirmatiua: secunda verò est illa, cuius conclusio est negatiua; & dicit, quòd affirmatiua est potior negatiua, quod est verum, quia negatio cognoscitur per affirmationẽ: nam affirmatio est causa negationis; ergo affirmatio est magis nota, quã negatio; & consequenter demonstratio, in qua concluditur affirmatio, prior, & potior est ea, in qua cõcluditur negatio. Consequentia patet ex axiomate illo .s. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Tandem diuidit demonstrationẽ in directam, seu extensiuam; & ducentem ad impossibile. Illa fit, quãdo directè concluditur propositio intenta: ista verò quando ex contrario, aut cõtradictorio propositionis negatæ

negatæ infertur aliquod impossibile, per quod ostenditur, eam esse veram, vt satis constat ex dictis in introductione lib. 3. sect. 8.

1081 Celebris est inter alias diuisio demonstrationis in demonstrationem *quia*, quæ ab alijs appellatur demonstratio, quod hoc sit hoc: & in demonstrationem *propter quid*, quã tradit Aristoteles hic cap. 10. Demonstratio *propter quid* est illa, quæ non solùm probat passionem inesse subiecto, sed etiam ostendit *propter quid* illi conueniat, quod fit adducẽdo in præmissis propriam, & adæquatam causam talis passionis. Cùm enim vnaquęque passio habeat proprium principium, seu proprium *quid*, à quo dimanat, consequenter habet propriũ *propter quid*, per quod probetur, scilicet illam rationem, seu illud *quid*, à quo dimanat. Et quando hoc ponitur pro medio ad concludendam talem passionem, fit demonstratio *propter quid*.

Demonstratio *quia* est illa, quæ tantùm ostendit, passionem conuenire subiecto, non autem abducit propter quid illi conueniat. Itaque demonstratio *quia*, in hoc differt à demonstratione *propter quid*, quod in hac scitur, passionem conuenire subiecto, & propter quid illi conueniat, in illa verò solùm scitur, passionem conuenire subiecto; reticetur autem propter quid illi conueniat, v.g. stellæ non scintillantes sunt propè nos: planetæ sunt stellæ nõ scintillantes; ergo planetæ sunt propè nos. In qua solùm scitur, planetis cõuenire hoc, quod est esse propè nos, non autem assignatur propter quid illis conueniat.

1082 Assignat Aristot. tres modos, quibus contingit fieri demonstrationem *quia*, Primus est, quando per effectum adæquatum, & cõuertibilem procedimus ad causam demonstrandam, vt patet in exemplo adducto, vbi ex negatione scintillationis procedimus ad probandũ, planetas esse propè nos, quod est propria causa talis negationis, & in huiusmodi demonstrationibus inquit Aristoteles, quòd si maior extremitas mutetur in medium, fiet demonstratio *propter quid*, quia iam procedet per propriam, & adęquatam causam, vt patet si dicas: stellæ, quæ sunt propè nos, non scintillant, sed planetæ sunt propè nos; ergo planetæ non scintillant.

Secundo modo inquit, fieri demonstrationem, *quia*, quando per causam remotam, seu communem non conuertibilem demonstramus effectum; tunc enim non potest esse demonstratio *propter quid*. Cuius ratio est, quia vnaquæq; passio habet proprium, & adęquatum *propter quid*, per quod probetur; ergo demonstratio, in qua solũ continetur causa remota, & non conuertibilis passionis, non adducit propter quid illius; & per consequens non poterit esse demonstratio *propter quid*.

1083 Tertio autem modo inquit Aristoteles, fieri demonstrationem *quia*, quando *quia*, & *propter quid* pertinent ad diuersas scientias, vt quando ex conclusionibus demonstratis à scientia subalternãte procedimus tamquam ex principijs ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ; tunc enim *sire quia* pertinent ad scientiam subalternatam;

scire

ſcire verò *propter quid* ad ſubalternantem.

Solet tradi alia diuiſio demonſtrationis: in demonſtrationem à priori,& in demonſtrationē à poſteriori. Demonſtratio à priori dicitur illa, quæ procedit per medium, quod eſt prius concluſione non ſolùm in cognoſcendo, ſed etiam in eſſendo, & ideò quæcumque demõſtratio, quæ procedit per cauſam concluſionis in eſſendo ſiue proximam, ſiue remotam, eſt demonſtratio à priori, ſiquidem procedit per mediū, quod non ſolùm cognoſcitur prius concluſione, ſed reuera eſt prius illa. Demonſtratio verò à poſteriori eſt illa, quæ procedit per medium, quod licèt in cognoſcendo ſit prius, in eſſendo tamen eſt poſterius concluſione. Huius generis ſunt omnes demonſtrationes, quç procedunt ab effectu ad cauſam, vel ab aliquo ſigno, aut quacumque alia ratione, quç reuera eſt poſterior cõcluſione.

1084 Circa has duas vltimas diuiſiones difficultant Doctores. Primò an prima ex illis ſit adæquata: ſecundò an coincidant. Ad ſolutionem verò primç difficultatis. Sit cõcluſio. Demonſtrationis diuiſio in *quia*, & *propter quid* eſt adæquata. Probatur. Demonſtratio *propter quid* eſt illa, quæ concludit, prædicatum cõuenire ſubiecto, oſtendendo *propter quid* illi conueniat: Demonſtratio verò *quia* eſt illa, in qua concluditur, prædicatum conuenire ſubiecto; reticetur tamen propter quid illi conueniat: ergo quæcumque demonſtratio non adducens propter quid concluſionis, eſt demonſtratio *quia*, ſiue procedat per effectum, ſiue per cauſam remotam, ſiue quocumque alio modo. Conſequentia patet; quia iſtæ demonſtrationes ſic explicatæ includunt rationes cõtradictoriè oppoſitas, vt patet: ergo repugnat inter illas eſſe aliquod mediū, ſeu dari demonſtrationem, quæ ſub alterutra non contineatur.

Circa ſecundam difficultatem. Sit etiam concluſio. Diuiſio demonſtrationis in *quia*, & *propter quid* non coincidit cum diuiſione demonſtrationis à priori, & à poſteriori: nam multæ ſunt demonſtrationes à priori, quæ non ſunt *propter quid*, & multæ *quia*, quæ non ſunt à poſteriori: vnde quamuis omnis demonſtratio *propter quid* ſit à priori, non tamen è contra; & ſimiliter quamuis omnis demonſtratio à poſteriori ſit *quia*, nõ tamen è contra.

1085 Probatur concluſio: quia demonſtrationes, quæ in ſecunda figura concludunt aliquam paſsionem per cauſam remotam, non cõuertibilem, vt iſta: omne riſibile eſt viuens, ſed nullus lapis eſt viuens, ergo nullus lapis eſt riſibilis, nõ ſunt demonſtrationes *propter quid*, ſed tantùm *quia*, & tamen verè ſunt à priori, ſiquidem viuens, vtpotè prædicatum eſſentiale eſt cauſa in eſſendo, licèt remota riſibilitatis, quæ eſt propria paſsio: ergo non omnis demõſtratio à priori eſt *propter quid*, neque omnis demonſtratio *quia* eſt à poſteriori.

Confirmatur: quia omnes demõſtrationes, in quibus ex concluſionibus ſcientiæ ſubalternantis, tamquā ex principijs procedit ſubalternata ad ſuas concluſiones, ſunt tantùm demõſtrationes *quia*, ſed plures earū

sunt à priori; ergo non omninò coincidunt prędictæ diuisiones. Maior patet ex communi consensu Dialecticorum, asserentium, scientiã subalternatam intra proprios limites nõ scire *propter quid* suarum conclusionum. Minor etiam est manifesta: nam perspectiua, & musica, v.g. quæ sunt scientiæ subalternatæ, frequentius procedunt per causam; ergo sæpè contingit, demonstrationem *quia* esse à posteriori.

1086 Dices contrà. Demonstrationes negatiuæ sunt veræ demonstrationes, & tamen neque procedunt per causas, neque per effectus; ergo nõ sunt demonstrationes *propter quid*, vel *quia*, & consequenter diuisio demonstrationis in *quia*, & *propter quid*, non est adequata. Minor patet, quia quod reuera est nihil, non potest esse vera causa, aut effectus; sed quod est negatiuum, re vera est nihil; ergo demonstrationes negatiuę non procedunt per causas, neque per effectus.

Resp. negando minorem: nam etiam negatio suo modo habet causam, & effectũ sicut affirmatio, iuxta dictum Aristot. in hoc lib. cap. 10. scilicet: *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis; & è contrà*. Vnde sicut ex demonstrationibus affirmatiuis, illæ, quæ adducunt propriam, & adæquatam causam, propter quam passio affirmatur de subiecto, sunt demonstrationes *propter quid*: aliæ verò *quia*: sic proportionabiliter ex negatiuis, quæ reddunt propriam, & adæquatam causam, quare passio negatur de subiecto, sunt demõstrationes *propter quid*, aliæ verò *quia*.

Dices tandem. Hęc est vera demonstratio: Omne animal est substantia; sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia: & tamen non est demonstratio *quia*; nec *propter quid*, siquidem esse animal, nec est causa, nec effectus respectu substantiæ: ergo diuisio demonstrationis in *quia*, & *propter quid* non est adęquata.

Resp: quòd cùm termini, ex quibus fit demonstratio illa, non solùm realiter identificentur inter se, sed etiam sit pręedicata subordinata eiusdem essentiæ, non potest esse inter eos etiam virtualiter propria ratio causæ, & effectus; & ideò talis demonstratio, propriè loquendo, neque est à priori, neque à posteriori. Est tamen verè demonstratio *quia*, nam adhoc sufficit non dari per propriam, & adæquatam causam, quod in pręsenti contingit.

1087 Sed quæres, quænam sit diuisio demonstrationis in *quia*, & *propter quid?*

Resp: quòd est solùm materialis, non autem formalis, vel generis in species: quia prædicta diuisio non est ex parte formę demonstrationis, sed solùm ex parte materiæ eius; ergo propriè non est formalis, sed materialis. Antecedens patet; quia syllogismus ex parte formæ tantùm diuiditur in tres figuras, & vnaquæque in suos modos tamquam in species infimas: sed intra vnumquemque istorum modorum contingit fieri demonstrationes *quia*, & *propter quid*; ergo harum distinctio non potest sumi ex parte formæ; & consequenter neque esse propriè formalis, & specifica.

Con-

Confirmatur: quia ideò diuisio syllogismi in demonstratiuum topicum, & sophisticũ est ex parte materiæ,& non ex parte formæ, quia existente eadem forma specifica syllogismi, si præmissæ sint necessariæ, est demonstratiuus; si probabiles, topicus; si apparentes, sophisticus: sed existente eadem forma specifica demõstrationis, si medium sit propria, & adęquata causa in essendo conclusionis, est demõstratio *propter quid*, si verò sit effectus eius, aut causa remota, est demonstratio *quia*; ergo hæc diuisio non sumitur ex parte formæ demonstrationis; sed solùm ex parte materiæ; & consequenter non est formalis, vel generis in species, sed materialis.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrùm per solam demonstrationem, propter quid, *producatur scientia.*

1088 INter varias acceptiones sciẽtiæ, quæ solent tradi, tres tantùm adducemus, quæ iuxta nostrum intẽtum, omnes comprehendunt. Primò igitur sumitur scientia latissimè pro quacumque cognitione intellectus, in quo sensu etiam omnes artes scientiæ appellantur. Secundò magis propriè accipitur sciẽtia pro cognitione omninò certa, & firma; & sic etiam fides diuina, scientia beata, imò & diuina, quamuis non sit discursiua, scientiæ appellantur. Tertiò tandem sumitur sciẽtia proprijssimè, scilicet pro cognitione certa, & per propriam causam, quam describit Aristot. 1. poster. cap. 2. dicens: *Scire autem putamus, vnamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo, cùm putamus causam cognoscere, propter quam res est, cuius rei causam esse, neque posse eam aliter se habere.* Quo notato

Sit conclusio: Per solam demonstrationem *propter quid* producitur scientia, quæ propriè, & in rigore est talis, seu in tertia acceptione. Probatur: Scientia, quæ proprijssimè est talis, est cognitio certa rei per suã causam; sed hoc solùm conuenit demonstrationi *propter quid*; ergo sola demonstratio *propter quid* est vera scientia actualis; & consequenter solùm per ipsam producitur scientia, quæ propriè, & in rigore est talis. Maior constat ex descriptione Aristotelis supra adducta, vbi definiuit scientiam, quæ apud nos proprijssimè habet rationem sciẽtiæ, seu certiorem, & perfectiorem cognitionẽ, quàm nos naturali lumine habere possumus. Et etiam: quia quantumcumque concludamus, hominem esse risibilem, v. g. per effectum ridendi nobis notũ, adhuc non quiescit intellectus, neq; id se existimat, certò cognoscere vsque dum cognoscat propriam causam, seu proprium *propter quid* risibilitatis; Minor ex præterita quæstione satis constat, & consequentia satis ex se est nota.

1089 Vltima conclusio: Per demonstrationem, *quia*, acquirimus scientiam; sed nõ in tertia acceptione supra explicata, vt ostendimus in prima conclusione, benè tamen in secunda. Probatur: Demonstratio *quia* est cognitio omninò certa, & firma; sed non est scientia in tertia acceptione, neque fides: igitur proprijssimè scientia appellatur, sumpta scientia in secũda acceptione. Maior patet,

patet, quia vt omnes concedunt, ſcientia ſubalternata ſine ſubalternante, eſt cognitio omninò certa, & firma; ſed eſt demonſtratio *quia*, ſeu habitus per demonſtrationem *quia* acquiſitus; ergo demonſtratio *quia* eſt cognitio omninò certa,& firma. Minor quoad primam partem patet ex præter. concl. quoad ſecundam vero eſt ex ſe manifeſta.

His tamen notandum venit,quòd Complut. in Logica diſput. 18. q. 4. dicunt, per demonſtrationem *propter quid* per ſe loquendo generari habitum ſcientię verum,& perfectum, & in eſſe habitus: at verò per demõſtrationem *quia* produci valdè imperfectum, & in eſſe diſpoſitionis, qui non aſſequitur ſtatum habitus, donec adueniat demonſtratio *propter quid*. Et ad explicationem concluſionis notant,quòd eadem qualitas in ſpecie habet eſſe diſpoſitionis ex parte ſubiecti quamdiù eſt remiſſa, neque omninò firmatur in illo: aſſequitur verò ſtatum habitus quãdo intenditur in ſubiecto,& firmiter adhęret illi. Proportionabili ergo modo dicimus in pręſenti, quòd per demonſtrationem *quia* producitur qualitas imperfecta per modũ quaſi diſpoſitionis ex parte medij: quando verò habetur demonſtratio *propter quid*, eadem qualitas perficitur, & aſſequitur ſtatum habitus. Quæ perfectio, vel imperfectio, quia non ſumitur ex parte ſubiecti, ſeu ex intentione,vel remiſſione;ſed ex conditione ipſa, & natura medij, per quod procedit vtraque demonſtratio; ideò quantumcumque repetantur demonſtrationes *quia*, & quantumcumque intensè cognoſcantur earum concluſiones, qualitas per illas producta non erit perfecta perfectione, de qua in pręſenti loquimur, vſque dum habeatur demonſtratio *propter quid*, qua adueniente perficitur,& acquirit eſſe habitus ex parte medij.

1090 Deinde ſic probant dictum: In ſcientijs ſubalternatis quantumcumque intensè repetantur proprię demonſtrationes, qualitas inde reſultans, quamuis verè pertingat ad rationem ſcientię,non tamen habet perfectionem,& ſtatum ſcientiæ vſque dum aduenientibus ſubalternãtibus,cognoſcatur *propter quid* illarũ concluſionum: ergo per demonſtrationem *propter quid* acquiritur habitus ſcientiæ perfectus in ratione habitus: per demonſtrationem verò *quia* valdè imperfectus, & in eſſe diſpoſitionis. Hæc illi.

Mirum enim eſt, id, quod volunt in tradita doctrina prędicti Complutenſ. ſcilicet,quòd vna qualitas,quæ modo eſt diſpoſitio, poſtea fieri habitum: hoc .n. impoſſibile eſt iuxta dicta diſput. pręter. ſect. 4. quæſt. 2. nam cùm habitus, & diſpoſitio ſpecie diſtinguãtur iuxta ibidem dicta, & vna ſpecies non poſſit fieri alia naturaliter,licèt poſſit fieri ex alia,vt patet in contrarijs, in quibus vnum multoties ex alio fit, hinc eſt, quòd impoſsibile exiſtimo,quòd qualitas, quæ modo eſt diſpoſitio, poſsit fieri habitus; vnde id, quod producitur per demonſtrationem *quia*, non minus eſt verus habitus,quàm id,quod producitur per demonſtrationem *propter quid*: ſolùm .n. differunt propter dicta in concluſione, .ſ. quòd habitus generatus per demonſtra-

tiones *quia*, est scientia accepta in secunda acceptione à nobis explicata initio quæstionis: habitus verò genitus per demonstrationes *propter quid* est scientia, sumpta scientia in tertia acceptione ibidem explicata: Et hæc sint satis de tota hac septima disputatione.

DISPVTATIO VLTIMA.

In qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ exagitantur à Modernis in Logica de Scientia, & alijs habitibus intellectus.

QVia commune est proloquium; habitus generari ex actibus: hinc est, quòd cùm Logici varios actus intellectus explicent, seu potiùs diuersas secundas intentiones, quæ ex diuersis actibus intellectus resultant; ideò etiam de varijs habitibus intellectus aliqua vltimo loco disputant, & maximè de scientia, cùm ipsa generetur in nobis, ex demonstratione, quæ est præcipua species obiecti principalis Logicæ; quod etiam à nobis præstabitur in hac disputatione, in qua prima quæstio erit de habitu principiorum, quia sicut prior est cognitio principiorum cognitione conclusionum, ita prior est habitus principiorum alijs omnibus; & ideò sit

QVÆSTIO I.

An, & quid sit, & quomodo à nobis habeatur habitus principiorum.

1091 DARI habitum principiorum in nobis, qui solet appellari intellectus, seu intelligentia principiorum, est ita certum, vt nullus ferè in hoc dubitet: nam sicut ad cognoscendas propositiones necessarias, & mediatas, seu per aliud notas, necessaria est scientia; sic ad cognoscendas eas, quæ nullum habent mediũ, per quod probentur, & appellantur immediatæ, seu principia, necessaria est aliqua virtus, seu habilitas intellectus, quæ appellatur habitus principiorũ. Vnde hoc potius supponendũ est, quàm probandũ; licèt sit primum quęsitum tituli huius quęstionis; & ideò circa secundum eiusdem tituli.

Sit prima cõclusio. Habitus principiorum non est ipsa potentia intellectiua; sed verus habitus ipsi superadditus, & ab ea distinctus. Probatur: Intellectus secundùm se est indifferens, cùm possit intelligere verum, & falsum; sed habitus principiorum non se habet ad opposita, neque indifferenter inclinat ad verũ vel falsum, sed infallibiliter attingit verum, & determinat intellectum ad cognoscendas propositiones necessarias, immediatas, ipsumque disponit benè secundùm suam naturã in ordine ad aliquam operationem; ergo non est ipsa potentia intellectiua; sed verus habitus illi superadditus: Minor, in qua est difficultas,

con-

constat, quia tota certitudo, determinatio, & necessitas assensus scientifici sumitur ex certitudine, determinatione, & necessitate assensus principiorum; ergo certiùs, firmiùs, & magis immobiliter assentitur intellectus ipsis principijs; sed habitus scientiæ, quo cognoscuntur cõclusiones, non est indifferens ad verum, vel falsum; sed omninò determinatus ad cognitionem veri; ergo multò magis determinatus est habitus principiorum.

1092 Sed quæres, an sit vnus habitus respectu omnium principiorum?

Resp. quòd principia possunt inueniri vel in materia necessaria, vel probabili; & similiter alia sunt principia speculatiua, & alia practica; & speculatiua quædam sunt communissima, & vocantur dignitates; quædam sunt particularia, quæ dicuntur suppositiones, & talia sunt quæcumque definitiones quidditatiuæ in subiectis scientiarum. Vnde dicimus, quòd habitus principiorum probabilium distinguitur ab habitu principiorum euidentium: & similiter habitus principiorum practicorum à speculatiuis. Cęterum omnia alia principia speculatiua, siue sint dignitates, siue suppositiones, ad eumdẽ habitum pertinent.

Prima pars huius dicti probatur: Quia lumen probabile, & euidens semper differunt essentialiter; quia euidens, & non euidens: necessariũ, & contingens sunt inter se opposita; ergo non possunt eodem lumine attingi; & eadem ratione principia practica non possunt pertinere ad eumdem habitũ cum speculatiuis; quia certitudo practica perficitur certitudine morali secundùm conuenientiam moralem, & prudentialem, quæ tendit, & applicat ad actiones contingentes, ad quas inclinat quales sunt actiones voluntatis, & opera factibilia per artem: nam licèt principia practica tandem resoluantur in aliquas veritates necessarias, & in vniuersali, tamen, vt practica sunt in particulari, cõtingentiam in mouendo includunt. Et nota, quòd sicut habitus principiorũ speculatiuorum vocatur intellectus, seu intelligentia principiorum; ita habitus principiorum practicorum vocatur synderesis.

1093 Secunda etiam pars conclusionis est manifesta, quia in omnibus primis principijs siue sint communissima, siue minùs communia, inuenitur eadem ratio formalis assentiendi, .s. sine medio probante; sed sola explicatione terminorum posita; Quod autem termini sint nobis magis, vel minus noti, & cõmunes; ideoq; constituant principia communissima, vel minus communia, hoc solùm pertinet ad faciliorem, & communiorem explicationem terminorum, & non ad diuersum modum assentiendi, posita eorum explicatione. Per quod manet solutũ secundum quęsitum tituli.

Circa vltimum quæsitum sit vltima conclusio. Habitus principiorum non fit per assensus, seu iudicia intellectus possibilis; sed immediatè producitur ab intellectu agente, statim ac per sensus acquiruntur species intelligibiles, & proponitur notitia terminorum. Vnde partim dici potest naturalis, & partim acquisi-

tus; non quia vna pars sit à natura, & alia ab exteriori principio; sed quia posita terminorum notitia extrinsecus acquisita mediantibus sensibus, ad præsentiam specierum intelligibilium, virtute intellectus agentis resultat in intellectu possibili talis habitus. Atque ita eadem qualitas simul dicitur naturalis; quia fluit per modum naturæ, posita notitia terminorum eo modo, quo nutrire, & augere dicuntur actus naturales animæ, posito alimento decocto: & simul dicitur acquisita, quia supponit operationes sensuum, per quas acquiruntur species intelligibiles.

1094 Probatur conclusio: Omnia, quæ conueniunt intellectui, & habitui principiorũ, solùm per nostram sententiam saluantur; ergo sola illa est amplectenda. Probatur antecedens: nam in primis per eam saluatur, quòd intellectus sit pura potentia in esse intelligibili, & veluti tabula rasa, in qua nihil est depictũ, quod nullatenus saluatur in sententia illorum, qui dicunt, prædictum habitum esse nobis à natura inditũ, vt de se est manifestum, neque ponitur aliquid immediatè ab ipsa natura tributum, quod tantùm sit necessarium ad faciliter operãdum, quod nullatenus debet amitti: nam natura solùm concedit rebus, quę necessaria sunt ad simpliciter operãdum, quæ verò ad melius, aut facilius requiruntur, relinquit acquirẽda propria industria, & labore, tribuens illis principia, quibus possint operari, & operando, ea acquirere; sed habitus principiorum non est necessarius ad simpliciter assentiendũ primis principijs; sed ad assentiendum cum facilitate, quia assensus principiorum non excedit facultatem naturalem intellectus, cùm sint veritates quædam naturales, & per se notæ; ergo cùm hoc sequatur ex contraria sententia, non autem ex nostra, vt de se est manifestum, nostra potiùs, quàm illa est amplectenda.

Deinde cùm talis habitus nõ possit corrumpi, nec per se à suo contrario, neque per accidens per quãcumque obliuionem, aut dissuetudinem actuum; nam vt constat experientia, post repetitos mille assensus huius principij: *omne totum est maius sua parte*, nullus experitur maiorem facilitatem in assentiendo ac habuit, cùm primò explicati fuerunt illi termini, & eamdem facilitatem experitur vnusquisque, cùm post diuturnã cessationem, & dissuetudinem actuũ rursus proponitur idem principiũ. Sed hoc optimè explicatur per nostram sententiam, non autem per aliquã aliam; ergo nostra est amplectenda, non verò illa. Præterea per nostram sententiam optimè redditur ratio eius, quod experimur, quare scilicet explicatis terminis, ita facilè, & promptè assentiamur primis principijs, cùm primùm proponuntur, quàm post repetitos plures assensus circa illa; & tandem ponitur in intellectu per modũ naturæ principium sufficienter firmum, & immobile, vt possit esse seminarium totius cognitionis sequentis; ergo pensatis omnibus, nostra sententia alijs omnibus est præferenda.

1195 Dices contra: In homine cognitio principiorum est quasi quoddam seminariũ totius cognitionis sequentis, sicut in alijs naturis sequen-

ſequentium operationem, & effectuum quædam naturalia ſemina præexiſtunt; ergo ſicut hæc naturaliter ineſt illis, ſic etiam cognitio principiorum debet naturaliter ineſſe homini; & per conſequens talis habitus erit omninò naturalis. Confirmatur: quia facilitas, & promptitudo in operando eſt ſignum habitus præſentis; ſed explicatis terminis, ita facilè, & promptè aſſentimur, cũ primum proponitur hoc principiũ: *omne totum eſt maius ſua parte*, quàm poſtquam plures actus habuerimus circa illud; ergo ſignum eſt, ante primum illum aſſenſum iam exiſtere habitum, à quo cauſetur talis facilitas; & per conſequens, ipſum eſſe à natura inditum.

Reſp. tum ad argumentum, tum ad confirmationem, quòd vt habitus principiorum ſit ſeminarium totius cognitionis ſequentis, vt præueniat aſſenſus, ſeu iudiciũ intellectus circa illa, ſufficit, quòd ſit naturalis modo explicato in concluſione, vt ex ibidẽ dictis ſatis conſtat. Vnde hoc argumentum ſolùm probat noſtram concluſionem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ſcientiæ acquirantur à nobis noſtris actibus, vel an illas per infuſionem habeamus.

1096 HAec quæſtio præſertim controuertitur inter Platonicos, & Peripateticos: dicunt.n. Platonici, quòd Deus ab æterno creauit animas in Cęlo ante corpora; ſed quia peccarunt, immiſſæ ſunt in corpora, vt in illis debitas penas peccatis luerent; ex quo inferunt, quòd dum animæ erant in Cęlo, neceſſe eſt, ipſas fuiſſe intelligentes, & ſcientes; & hoc per ſcientiam à Deo ipſis infuſam, quam ſcientiam detulerunt in corpore; ſed obruta fuit illa ſcientia mole corporea, vnde quaſi ſopita debet excitari multo labore, vigilijs, ſtudijs, & ope Magiſtri: Peripatetici verò dicunt, quòd in nobis habitus ſcientifici generantur ex multiplicatis actibus.

Sententia Platonis nititur falſiſsimo fundamento, quod ſi verum eſſet, abſque dubio illa ſententia vera quoque eſſet. Falſiſsimum, inquam, eſt fundamentũ illius, cùm ſit damnatum in Cõcilio Bracarenſi 1. cap. 6. & à Leone Papa Epiſt. 10. ad Turibium. Vnde Ariſtotiles prædictũ fundamentum intuens, vt illud tacitè reprobaret, 12. metaph. docet, *quòd licèt cauſa efficiens poſſit eſſe prior effectu, non tamen cauſa formalis vnquã eſt prior illo*. Præterea Auicenna 6. nat. quæſt. c. 7. & tract. de intellig. propè finem dicit, ſcientiam fieri in nobis à quadam intelligentia, quam vocat colcodæam; ideſt datricem formarum. Senſum autem, & obiecta concurrere tantùm diſpoſitiuè ad hoc, vt intellectus poſsit recipere ſcientiam ab hac intelligentia. Certè Auicenna valdè errauit, quia licèt omnes formæ ſubſtantiales, dempta anima rationali, vniantur materiæ, ipſam informãdo, ope prædictæ colcodęæ, quatenus diſpoſita materia ab agentibus naturalibus corporeis, ipſa colcodæa à ſphęra materiæ, ſeu à chaos illam extrahit, & ponit iuxta portionem materię taliter diſpoſitã; tamen ipſa colcodæa nullam formã corpoream producere poteſt pro-

pria virtute; sed formas substantiales ab initio mundi à Creatore creatas, & in sphęra materię, seu in chao collocatas, illas custodit, & coniungit cum portionibus materię in mundo elementari ab agentibus naturalibus dispositis ad illas recipiendas: formæ verò accidentales ab ipsis agentibus producuntur, quia sicut substantia est proprius effectus causæ efficientis perfectissimæ, ita accidens est proprius effectus causæ efficientis habentis aliquam imperfectionem, de quibus omnibus latè, & ex professo agemus in introductione ad apicem verorum Philosophorum. Vnde reiecta opinione Auicennæ, quam impugnat D. Thomas de verit. qu. 10. art. 6. quæst. vnica de anima, art. 5. p. 1. quæst. 88. art. 4. & 2. contra agentes cap. 4.

1097 Notandum est, quòd noster Lalemand. in Logica disput. 10. partit. 1. hanc defendit sententiam, scilicet, non esse contra Philosophiam dicere, quòd Deus in instanti, quo anima nostra vnitur corpori, ipsi animæ infundat habitus scientificos. Nos verò nostram sententiam in sequentibus conclusionibus explicabimus. Vnde

Sit prima conclusio. Sententia Platonis est omninò contraria sententiæ Aristotelis circa productionem scientiarum in nobis, vnde malè Simplicius in 3. de anima conatur eas conciliare. Hæc conclusio pręterquamquod ex se est manifesta, videri potest optimè probata apud Honoratum de Robertis in Commentarijs in vniuersam Aristot. Logicam, in lib. primum posteriorum analiticor. quæst. de reminiscentia, & apud Stephanum Theupolum in Contemplationib. Academicarum, lib. 9. cap. 14.

1098 Secunda conclusio. Licèt Deus per reuelationem communicauerit Adamo omnes scientias in instanti suæ creationis; non tamen sic alijs hominibus, sed vnusquisque illas acquirit per proprios actus. Prima pars conclusionis probatur à D. Tho. 1. par. quæst. 94. art. 3. hoc modo: *Res primitus à Deo institutæ sunt nō solùm vt in se ipsis essent, sed vt essent aliorum principia: & ideò productæ sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius non solùm per generationem corporalem; sed etiam per instructionem, & gubernationem: & ideò sicut primus homo institutus est in statu perfecto, quantùm ad corpus, vt statim posset generare, ita institutus est in statu perfecto quantùm ad animam, vt statim posset alios instruere, & gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam; & ideò primus homo sic institutus est à Deo, vt haberet omnium scientias, in quibus natus est instrui.*

Secunda pars cōclusionis est contra Lalemand. quæ satis deducitur tū ex probatione primæ partis eiusdem cōclusionis ex D. Tho. desumpta; nam ex illa videtur sequi, primū hominem habuisse infusas omnes scientias, quia non erat aliquis, à quo illas edisceret: at verò, quia post Adam semper fuerunt viri docti, à quibus contemporanei potuerunt edoceri, hinc est, quòd nulla remanet ratio ad hoc, vt asseramus, omnes homines habere scientias per infusionem; & consequenter hoc asserere est contra philosophiam; tū etiam

etiam ex probationibus 3. par. nostræ conclusionis infra adducendis, tum tandem ex solutionibus argumentorum Lalemand. infra proponendis; & ideò

1099 Probatur primò vltima pars conclusionis; & simul secunda magis confirmatur: Deus non communicauit per reuelationem omnibus hominibus scientias; ergo vnusquisque illas acquirit per proprios actus. Consequentia patet, quia cũ multi plures habeant scientias; nam constat experientia, illos habere de multis rebus certam, & euidentem notitiam; & illas non possunt habere nisi per infusionem, vel per plures proprios actus scientificos, vt de se patet; consequens est, vt illas acquirant per proprios actus.

Antecedens verò probatur: Si Deus communicasset omnibus hominibus scientias, scientiæ essent proprietates illorum; sed non possunt esse proprietates illorum; ergo Deus non communicauit per reuelationem omnibus hominibus sciẽtias. Sequela patet, quia id est proprium alicui, quod conuenit omni, soli, & semper: sed si Deus communicasset per reuelationem omnibus hominibus scientias, illæ conuenirent omni homini, & soli homini ex compositis materialibus, & semper homini; ergo essent veræ proprietates illius. Minor verò probatur. Quãdo duo attributa naturaliter competunt alicui, dum vnum exercetur, alterum non impeditur; sicut v. g. quia igni competit illuminare, & cõpetit etiam calefacere secũdùm naturam, dum ignis calefacit, non impeditur eius illuminatio; & è contra dum illuminat, non impeditur calefactio; sed naturaliter animæ competit vniri corpori, & etiam scire sic ei naturaliter cõpeteret; ergo vnio animę ad corpus nõ impediret, quin anima plures actus scientificos eliceret; sed sic est, quòd quoadusque animam plures actus scientificos eliciat, non habet facilitatem ad illos eliciendos; sed maximam difficultatem, quam, posito quòd Deus illi communicauit per reuelationem, scientias, non potest prouenire ex alio capite, quàm ex vnione animæ cum corpore; ergo Deus non communicauit hominibus per reuelationem scientias.

1100 Quòd autem vnio animæ nõ possit esse impedimentum, quin homines habentes scientias per reuelationem à Deo communicatas, plures actus scientificos eliciant, cõfirmatur; quia ex hoc sequeretur, vt quantò aliquis plura addisceret, tantò magis anima cessaret informare corpus; & sic addiscendo magis excederet ad mortem, quod est absurdum; nam quando anima incipit cognoscere, & scire, vel informat corpus, vt prius quando nesciebat, vel non, sed minus, si dices primum; igitur sicut prius non sciebat, nec posterius quidèm scire debet, siquidẽ manente eadem causa, necessariò sequitur idem effectus; sed causa, ob quam anima prius nesciebat, erat vnio animæ ad corpus, & iam est eadem vnio ac prius; ergo neque adhuc sciet, sicut nec prius quidèm, quare numquam aliquid addiscet, & sciet. Si verò dicas, quòd non est vnita corpori eodẽ modo ac prius, habeo intẽtum, scilicet quòd anima

Ee 4 quantò

quantò plura sciet, tantò minus corpus informabit, & demum ad tãtam deueniet intellectionem, vt anima cessaret informare corpus; & sic qui vellet scientiã acquirere, loco scientiæ acquireret mortem, quod est inconueniens.

Pobatur tandem secunda pars cõclusionis. Si scientiæ nobis inditæ essent à Deo, scientiæ acquisitio in nobis non penderet à sensibus; sed pendet; nam cæcus à natiuitate non potest habere scientiam de coloribus; ergo scientiæ non sunt nobis inditæ, sed à nobis acquiruntur per proprios actus.

Ad hãc rõnẽ respõdet nr̃ Lalem. loc. cit. clyp. 3. ad 16. sic: Dic, scientiã nostram pendere à sensibus, vt eorũ ministerio, & ope excitetur, & prodeat ad extra. Et dum hæc fit instantia, si iam habuissemus scientiam aliquarum rerum, illa nota iam nobis fuisset; proindeq; non indigeremus sensibus, concedo, si habuissemus quoad actum illam scientiam; at tenemus (& hoc contra Platonem,) nos habuisse tantùm illorum scientiam quoad habitum. Hæc ille.

1101 Sed contra est, quòd scientia, quoad habitum in illo est frustra, qui naturaliter non potest habere illam quoad actum; sed cæcus à natiuitate non potest habere naturaliter scientiam de coloribus quoad actũ; ergo in eo superflua esset scientia de coloribus quoad habitũ; sed Deus, & natura nihil superfluum faciunt; ergo in cæco à natiuitate non reperitur scientia de coloribus quoad habitum; & consequenter neque in alijs hominib. reperitur aliqua scientia quoad habitum, donec per aliquẽ sensum perceperint obiectũ illius, & postea cum illis speciebus sensatis intellectus agens producat in possibili speciem intelligibilem, quæ vnà cum ipso intellectu possibili plures intellectiones debitè producat illius obiecti; *nam pro hoc statu nihil est in nostro intellectu naturaliter, quod priùs non fuerit in sensu.*

Demùm experimur, multos habere habitum opinionis de aliqua re, de qua multi habent habitum scientiæ; sed opinio, & scientia non possunt esse simul de eadem re, neq; quoad actus, neque quoad habitus in sententia ipsius Lalemand. ibid. partit. 5. ergo homines non habent infusas à Deo omnes sciẽtias quoad habitus.

Restat solùm, vt fundamenta nostri Lalemand. soluamus, quod vt breuiter præstemus. Sit primum argumẽtum, quod est vnum ex fundamentis prædicti Lalemand. Sicut in generatione supernaturali nempè Baptismo infunduntur à Deo habitus supernaturales, ita cõueniens est, in generatione naturali, & in productione animæ rationalis infundi habitus naturales cõformiter ad eius statum, qui enim dat esse, debet & dare consequentia, & conuenientia ad tale esse; ergo Deus substantiæ intelligẽti dando esse, debuit dare cõsequentia ad tale esse; ad esse autem intelligibile consequuntur habitus scientifici, ergo &c.

1102 Resp. quòd licèt verum sit, per Baptismum cõferri homini gratiam, & virtutes, quia baptizati Christo incorporantur, vt membra eius: à capite autem Christo, in omnia membra eius gratiæ, & virtutis plenitudo

nitudo deriuatur, secundùm illud Ioannis 1. *De plenitudine eius omnes nos accepimus:* non sic in generatione naturali hominis infunduntur illi habitus scientifici. Ratio disparitatis est, quia magis necessarij sunt habitus supernaturales ad actus supernaturales, quàm habitus naturales scientificos ad actiones naturales scientificas; quod aliquando ex professo explicabitur, Deo dante.

Secundum argumentum ex eodẽ ibidem: Animæ rationali de corpore egredienti per dissolutionem totius secundùm communem Theologorum sententiam, Deus infundit species, & habitus conformiter ad eius statum necessarios; dicunt enim communiter Theologi, quòd si anima sit destinata pęnis ęternis, infunduntur ipsi species, & habitus, quibus dęmones agnoscat, & quibus conformiter operetur ad illum statum; item animæ beatæ infunduntur species, & habitus conformiter ad illum statum; ergo & idem præstabit Deus animæ ingredienti corpus; nempe infundet habitus, quibus ad naturalem suum cursum cõcernentia etiam agnoscat.

1103 Resp. quòd anima rationalis secum fert species impressas, quas in hac vita habuit; nam recordatur earum rerum, quas in hac vita egit, & cognouit, vt constat ex historijs, & etiam scripturis sacris; nam in parabola Epulonis inducitur agens de rebus, quas in hac vita egit, & plurima testimonia ad hanc rem inueniũtur in libro Sapientiæ; licèt enim in illo statu multa cognoscat naturaliter, quæ antea non cognouit, & hoc per species à Deo illi infusas in instanti separationis; nam de anima rationali in tali statu proportionaliter est philosophandum, ac de Angelis, vt in sæpè citata introductione ostendam, tamen ex hoc non sequitur, quòd Deus infundat aliquas species, vel habitus animæ incipienti corpus informare, vt deducebat argumentum; quia de anima rationali pro statu isto non est eodem modo philosophandum, ac de Angelis, vt ex se patet, & ibidem ex professo ostendam.

Tertium argumentum ex eodẽ ibidem: Deus statim atque creauit Angelos, illis infundit species, & habitus, quibus naturalia cognoscerẽt, imò & quędam supernaturalia, vt docent Theologi; ergo & idem debebit pręstare animæ in suo ortu; quod si dicas, ideò Deum id concessisse Angelis, quia Angeli cùm sint spirituales, non possunt haurire suã cognitionem ab obiectis materialibus, cùm inter potentiam, & obiectum debeat esse proportio; at inter spiritualem potentiam, & obiectum materiale non est proportio.

1104 Insto tamen: Anima rationalis est spiritualis; ergo non poterit haurire suam cognitionem ab obiecto materiali; nec dicas, id fieri medijs sensibus; nam ratio semper recurret; sensus enim sunt materiales; ergo intellectus, qui est merè spiritualis, nihil poterit circa sensus materiales, quare vel dicendum erit, quòd Angeli possent accipere suam notitiam ab obiecto materiali, vel oportebit admittere, quod neque anima rationalis, quandoquidem est spiritualis poterit etiam percipere materialia, nisi rerum materialium

species,

species, & habitus in se infusos habeat.

Nec recurras ad intellectum agẽtem, nec dicas ea de causa datum esse homini, vt pportionentur obiecta materialia intellectui possibili. Insto enim semper, & quæro, cur Deus etiam non dederit Angelis hunc intellectum agentem ad obiecta materialia intellectui possibili angelico proportionanda? Videtur ergo meliùs, quòd Deus sicut Angelis infuderit species (modo tamen dentur species) & habitus rerum materialium, & naturalium cognoscendarum, hoc enim priuilegium non debuit denegare animæ rationali, aut detur ratio, cur id denegauerit, cùm anima rationalis sicut & Angelus sit substantia spiritualis.

1105 Dices, quia informat corpus, Angelus verò non. Respondeo tamen, cùm scientia nõ sit actio corporis; sed actio animæ, nempe intellectus loquendo de scientia actuali, & habitus animæ loquendo de scientia habituali, non erit absona proportio habituum Angelicorum respectu naturæ Angelicæ, & habituum animæ rationalis respectu ipsius animæ rationalis. Hæc ille.

Resp. concedendo antecedens; nam sicut ordo corporalium habet, vt corpora inferiora sint in potentia ad suas perfectiones, & successiuè acquirant eas; suprema tamen corpora celestia congenitas habent suas perfectiones, & totaliter complentur per suam formam. Similiter inferiores substantiæ intellectiuæ, scilicet animæ hominum habent potentiam intellectiuam non completam naturaliter; sed complẽtur successiuè capientes suas species intelligibiles à rebus. Potentia verò intellectiua Angelorum completa est per species intelligibiles connaturales omnium obiectorum, quæ naturaliter cognoscere possunt. Ad illud autem, quòd dicitur de intellectu agente, dicimus, quòd in Angelis esset omninò superfluus, & ideò in illis non datur; non autem in homine ita res se habet, in quo verè talis intellectus reperitur, cuius beneficio intellectus possibiles habet species intelligibiles; nam illa potentia est frustra in aliquo, quæ in illo aliquando non potest habere suum actum; sic enim se haberet intellectus agens, si in Angelis reperiretur; non autem in homine, tum propter dicta in initio huius solutionis, tum etiã, quia intellectus agens ad producendam speciem intelligibilem alicuius obiecti; ita vtitur phantasmate illius obiecti, vt instrumento, vt non possit loco illius vti obiecto, vel se solo hoc prestare; nam à sensibili externo ad intelligibile non potest fieri transitus nisi per immaginabile, vt in sæpè citata introductione ostendemus: vbi autem non est phantasia, vt in Angelis, & animabus separatis, non possunt esse phantasmata; & cõsequenter neque intellectus agens habere aliquem actum.

1106 Quartum argumentum, quod sic proponitur ab eodem Lalem. ibidem: Probo argumento, quod affert, & se soluisse putat Aristot. 1. Poster. cap. 1. cuius tamen nullam esse solutionẽ ostendemus; est autem hoc argumentum: illud, quod sumus aut prius nobis cognitũ, aut incognitum erat: si cognitum: ergo

ergo in vanum eius scientiam quærimus: si incognitum, frustra etiam id quærimus; quia quando aliquam rem ignotam inquirimus, licèt nobis occurrat, eam tamen ignoramus. Respondet ad hoc Aristoteles, nos querere scientiam, & distinctam notitiam eius rei, quam confusè cognoscebamus: sed insto in fauorem Platonis: si iam habebamus scientiam confusam de illa re; ergo scientiam de nouo non acquirimus; sed tantùm quam cōfusam habebamus, lucidā facimus, & distinctam; & hoc certè nihil est aliud, quàm admittere reminiscentiam, quia reminiscentia si præcisè sumatur nihil est aliud, quàm velut reuiuiscens alicuius rei notitia; at quando notitia confusa redditur distincta, v. g. quando amisi aliquid, confusè quidèm agnosco, vbi illud amiserim; postea tamen intellectus per varias inquisitiones tādem deuenit ad distinctam notitiam rei deperditæ: ita dic de nostra scientia, non dico tamen, quòd aliquando exercuerimus actus scientificos antequam anima fuerit vnita corpori; sed tantùm dicò, quòd habuerit habitualiter scientiam antequam actus scientificos eliciat. Hæc ille.

Certè non video, quomodo in hac quinta probatione conclusionis Lalemand. illam probet; nam licèt nos cōfusam cognitionem alicuius rei habeamus antequam illam sciamus, non tamen ex hoc sequitur, nos habere scientias infusas, (quod erat id, quod debebat probare prædictus Doctor, cùm hoc sit sua conclusio) quia cognitio confusa non est scientia, cùm de ratione scientiæ sit euidentia. Optimè igitur respondet Aristot. Platoni, quia cùm nos prius habeamus habitum principiorum, quàm conclusionū, seu scientiam, & in principijs virtualiter conclusiones contineantur, necesse est, vt nos virtualiter prius cognoscamus conclusiones, quàm formaliter illas sciamus.

1107 Quintum argumentum ex eodem ibidem: Idem debet esse habitus principiorum, & conclusionis; sed secundùm communem Philosophorum opinionem habemus notitiam de principijs per habitum nobis ab instanti creationis inditū, v. g. sit ille habitus, quo cognosco hoc principium esse verum, *omne totum est maius sua parte*; ergo & per habitum etiam ab ortu nostro inditum cognoscemus varias conclusiones dependentes ab eiusmodi principijs. Minor patet: maior probatur: Idē debet esse habitus rei distinctæ, & eiusdem rei confusæ: sed habitus conclusionum est habitus rei distinctæ, & habitus principiorum est habitus rei confusæ respectu conclusionum; ergo erit idem habitus pro conclusionibus, & pro principijs: insuper idem est habitus rem cognoscens virtualiter, & illam actualiter cognoscens sicut per eamdem notitiam speciè cognosco Antichristum futurum, qua eum cognoscam cras, si cras in rerum natura futurus sit. Dixi secundùm communem Philosophorum opinionem, quia vltima partitione ostendemus; nullum talē dari habitum primorum principiorum; sed prima principia cognosci ab ipsamet potētia intellectiua absq; vllo habitu superueniente.

Resp. negando maiorem: ratio verò

verò huius negationis facilè à quopiam deduci poteſt ex præt. quæſt. & pariter neganda eſt minor, vt ſatis ex ibidem dictis conſtat. Ad probationes verò maioris ad primam ſatis patet quid ſit dicendum ex ſolutione præteriti argumenti, & ad ſecundam ex dictis in quæſtione præterita citata.

1108 Vltimum argumentum ex eodem ibidem: Videmus aliquos habere maiorem propenſionem ad vnam ſcientiam, quàm ad aliam, habent enim aliqui maximam propenſionem naturalem ad medicinam: alij ſummoperè abhorrent ab ea, & miro amore feruntur, erga iuriſprudentiam; quotidianaq; docet experientia, nonnullos eſſe natos ad mathematicas diſciplinas, ita vt abſque ope magiſtri in ſummos euadant Mathematicos; vnde hæc amabò niſi ex eo, quod Deus infuderit ipſis magis intenſum habitum ſcientiarũ mathematicarum, quàm medicinæ, aut alterius ſcientiæ; ergo ſcientiæ habitus eſt per infuſionem à Deo in inſtanti creationis animæ inditus ipſi.

Quod ſi curioſè inquiras, cur Deꝰ Petro potius intẽſum habitum medicinæ infuderit, quàm Paulo? cur potius Hippocrati, quàm Ariſtoteli. Reſpondebis vt reſpõdet S. Paulus, quoad habitus ſupernaturales *alij datur ſermo ſcientiæ, alij genus linguarum, &c.* ergo etiam in donis naturalibus (cęteris tamen paribus) idem præſtabit Deus.

1109 Reſp. quòd ratio, cur vnus maiorem propenſionem habeat ad vnam ſcientiam, quàm ad aliam, nõ eſt adducta in argumẽtọ; ſed diuerſa diſpoſitio temperamenti organorũ ſenſuum; nam cùm nos acquiramus ſcientias miniſterio ſenſuum, ex certa diſpoſitione temperamenti organorum ſenſus habiles, vel inhabiles ſumus ad acquirendas ſcientias. Producuntur enim habitus ſcientiarum in nobis per multiplicationẽ actuũ intellectus circa obiecta illarum; ad actus enim intellectus concurrunt ſpecies intelligibiles, ad ſpecies verò intelligibiles cõcurrunt phantaſmata, & tandem ad phantaſmata concurrunt ſenſationes ſenſuum externorum: ſenſus verò tàm internus, quàm externus ex diuerſo temperamẽto organorum ſuorum diuerſimodè operat, vt ipſa experientia eſt manifeſtum; vnde nihil mirum, ſi ex tali diuerſitate faciliùs vnam, & difficiliùs aliam ſcientiam acquiramus.

Si autem curioſè inquiras, cur potiùs Hippocrates, quàm Ariſtot. habuerit maiorem propenſionem ad medicinam, ſeu vnde habuit Hippocrates temperamentum tale, quod illum reddit aptiorem ad ediſcendã medicinam, & non Ariſtoteles, ſed ad philoſophiam: facilis eſt mihi reſponſio, quam vt ſine ſcrupulo accipias.

1110 Debes notare, ex communi Philoſophorũ ſententia, quod aſtra, quæ ſunt cauſæ ſuperiores corporeæ, habent directum, & immediatum influxum in rebus corporeis huius inferioris mundi; & conſequenter in temperamentis organorum omnium ſenſuum. Ad illud confirmandum Conimbricenſes 2. de cęlo, cap. 3. quæſt. 1. art. 2. poſtquam adducunt auctoritatẽ D. Aug.

3.de

3. de Trinit. cap. 4. dicentis; *Naturæ ordinem exposcere, vt corpora crasiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine regantur*: & D. Thomæ in 2. distinct. 15. quæst. 1. art. 2. asserentis, *haud dubiè corpora cęlestia in hunc inferiorem mundum agere*; & multos Sanctos Patres, & ferè omnes Philosophos melioris notæ, addunt; sed neque sapientum testimonijs opus est ad id comprobandum, quod manifesta docet experientia. Et deinde multas huius rei addunt experientias, quas ibi vnusquisque videre potest. Quo notato

Dico, quòd vt debitè respondere possem proposito quęsito, debebam scire instans natiuitatis vtriusque (nō enim est necesse vt scirem tempus conceptionis, vt aliqui opinantur; quia dum fętus est in vtero; non recipit immediatè aliquam influentiam aliquorum astrorum; sed mediante corpore matris, veluti si esset pars illius, vt experientia est comprobatum à peritis illius artis,) quod cùm ignoro, non possum proposito quæsito debitè satisfacere.

1111 Resp. tamen coniecturaliter hoc modo: Fortè Hyppocrates natus fuit in puncto, in quo Mars, & Venus in sexta domo locati dominabantur Mercurio, & Lunæ; nam cùm Mercurius dominetur rationali, (vt terminis Astrologicis vtar,) seu vt proprius loquar, dominatur spiritibus animalibus, qui ob suam subtilitatem sicut spiritus communiter dicuntur, licèt sint corporeæ substantiæ; ita rationales appellantur ab Astrologis, quamuis solùm sensibus immediatè inseruiant, qui sunt omninò necessarij ad omnē sensationem, & per sensationem consumantur, & in cerebro generantur, si specie differunt à vitalibus, qui in corde generantur: si minùs, differentiam accidentalem, per quā differunt à vitalibus, in cerebro accipiunt, quatenus frigiditate natiua cerebri infrigidantur, & humectantur: & Luna sensitiuæ, seu vt clariùs dicam, dominatur cerebro, quod est organum omnium sensuum internorum, quodq; facit spiritus animales ad sensationes necessarios modo dicto; cùm autem Mercurius, & Luna non habeant propriam naturam, sed recipiant naturam illorū, à quibus imperantur, hinc est, quòd induunt naturam suorum dominorū, cùm autem Mars det incisionem, detque Venus salutem; ideo Hyppocrates proximè aptus erat ad discendam medicinam; nam talis constellatio, vt plurimum facit hunc effectum in his, qui sub illa nascuntur, vt sæpissimè experti sunt Astrologi (de quo latè, & ex professo in introductione ad apicem verorum Philosophorum agemus.) Et adde, quòd fortè in illo instanti Mercurius erat in serpente Aesculapij.

1112 Aristoteles autem forsitan natus fuit dominante Saturno, & Ioue Mercurio, & Lunæ; nam Saturnus dat profunditatem, Iuppiter verò veritatem, & Mercurius erat in Apolline, quæ est stella secundæ magnitudinis naturę Mercurij, & Iouis, posita in capite Geminis; & de his dicta sint satis, quia iterum de eis reddetur sermo loco cit.

Rationes Platonicorum, quæ ab ipso Lalemandet adducuntur, vide optimè solutas apud Honoratum de

de Robertis in Commẽtarijs in vniuersam Logicam, lib. 1. poster. Analyticorum, cap. 1. qui suam in hac re sententiam sic explicat: Nos verò considerantes Peripateticorum rationes quanti sint roboris, decreuimus sustinere, scientiam, vt refertur ad animam, à corpore solutam, esse reminiscentiam. At loquendo de illo scire, quod acquirit anima dum est, in corpore, hoc dicimus cũ Aristotelicis, esse de nouo. Itaque partim conuenimus cum Platone, & partim differimus; cõuenimus, quia concedimus primam reminiscentiam, quæ refertur ad hominem corporeum.

1113 Sententia verò Platonis satis impugnata manet ex dictis, & potest sic breuiter directè impugnari. Scribit Plato 10. de Repub. quemdam Armenium, qui in prælio occubuerat, ibi surrexisse, & omnia, quæ animus separatus à corpore viderat, dixisse; sed nullus dicere potest aliquid, quod videret antequam anima eius informaret corpus; ergo signũ est, quòd anima antequam informet corpus, aliquid non videt; & consequenter, quòd anima antequam informet corpus, nullatenus est; cùm nullus recordetur pristinæ existẽtiæ; sed in corpore creatur, & per consequens nostrum scire non est recordari.

QVÆSTIO III.

Quid requiritur ad hoc, vt aliqua scientia sit subalternata: & an scientia subalternata sit vera scientia.

1114 A Nomine incipiendo, sciẽtia subalternata idem est ac scientia, quæ sub altera continetur: scientia verò subalternans idẽ ac scientia, quæ sub se alteram continet; vnde cùm præcipuè vna scientia cõtineatur sub alia, ratione obiecti, quando scilicet obiectum vnius cõtinetur sub obiecto alterius; hinc est, quod illa scientia propriè dicitur subalternata alteri scientiæ, cuius obiectum continetur sub obiecto alterius. Quod dupliciter contingere potest; vno modo quando obiectum vnius scientiæ continetur essentialiter sub obiecto alterius, quia scilicet addit illi differentiam essentialem, & est species eius. Quo modo cęlum, elementa, & animalia cõtinẽtur sub corpore naturali; & ideò scientia de cęlo, elementis, & animalibus dicitur subalternari physicè Et generaliter omnes scientiæ in hoc sensu dicuntur subalternari metaphysicè, quia sub ente, quod est obiectum eius, essentialiter continentur obiecta cęterarum.

Alio modo id contingit, quando obiectum vnius continetur accidẽtaliter sub obiecto alterius; quia scilicet addit illi differentiam omninò accidentalem, & extraneam, comparaturq; ad illud sicut materiale ad formale. Et hoc modo musica subalternatur arithmeticæ, quia numerus sonorus, qui est obiectum musicæ, addit supra numerum, qui est obiectum arithmeticæ, sonoritatẽ, quæ est differentia omninò accidentalis, & extranea. Et nota, quòd differentia illa accidentalis debet esse talis naturæ, vt ex coniunctione ad obiectum superioris scientię habeat speciales passiones, quæ possint de ipsa demonstrari; & consequenter con-

constituat speciale genus scibilis. Quo notato

1115 Sit conclusio. Illa scientia solùm propriè est subalternata alteri, cuius obiectũ accidentaliter continetur modo explicato sub obiecto alterius. Probatur: Illa scientia dicitur propriè, & in rigore subalternata, quæ intrinsecè dependet ab alia, ita vt si illi non subalternaretur, non esset scientia, neque haberet viam ad probandum suas conclusiones; & ideò accipit à subalternante principia, per quæ procedit ad tales cõclusiones cognoscendas; sed hoc solùm inuenitur in scientia, cuius obiectum accidentaliter modo explicato continetur sub obiecto alterius; ergo solùm illa scientia propriè est subalternata alteri, cuius obiectũ accidentaliter continetur modo explicato sub obiecto alterius.

Minor patet; quia quando obiectum vnius scientiæ addit differentiam essentialem supra obiectum alterius, sciẽtia inferior habet absque superiori vnde probet suas conclusiones, scilicet talem differentiam, seu gradum essentialem, quia est verum principium, & proprium propter quid passionum, quæ ab illo dimanant; ita quod si per impossibile non darentur alij gradus, adhuc illa haberet suas proprias passiones, & proinde scientia sic inferior non accipit à superiori principia; & consequenter neque pendet in suo esse ab illa. At verò quando obiectum vnius scientiæ addit supra obiectum alterius differentiam omninò accidẽtalem, & extraneam; ipsum obiectum superioris pertinet ad propriũ propter quid passionũ, quæ in scientia inferiori demonstrantur de tali materia extranea, siquidem ab hac in tantùm oriuntur illæ, in quantùm ei cõiungitur obiectum superioris: quod si auferretur, non dimanarent tales passiones; ergo scientia sic inferior non habet absque superiori vnde probet suas conclusiones; & per consequens ab illa accipit principia, & pendet ab ea omninò in ratione scientiæ.

1116 Ex dictis constat, quòd quinque sunt conditiones propriæ subalternationis. Prima est, quòd obiectum subalternatæ contrahat obiectum subalternantis, & se habeat ex additione ad illud, defectu cuius medicina propriè non subalternatur geometriæ, licèt sub illa collocetur ratione principiorum, quatenus .s. aliqua eius principia demonstrantur in illa. Secunda, quòd addat illi accidentalem differentiã, defectu cuius cęteræ scientiæ non subalternantur metaphysicæ, nec scientia de specie scientiæ de genere. Tertia, quòd talis differentia non sit propria passio; nam quamuis hæc sit differentia quodammodo accidentalis, non tamen est omninò extra essentiam, neq; purè accidentalis; & ideò non pertinet ad distinctam scientiam, ac subiectum, cuius est passio; quod necessarium est ad propriam subalternationem. Quarta, quòd eius differentia accidentalis non sit quæcumque; sed solùm ea, in qua ex coniunctione ad obiectum superioris oriũtur speciales passiones ab ipsa anima demonstrabiles, defectu cuius non datur scientia de numero colorato. Et tandem quinta, quòd principia subalternatæ probentur in subalternante

nante à priori, & per propriam causam; & per consequens sint conclusiones eius.

1117 Secunda conclusio. Scientia propriè subalternata est vera sciẽtia. Probatur: *Tunc scire arbitramur vnamquamque rem cùm putamus causam cognoscere, ob quam res est, & illius causã esse, neque posse eam aliter se habere*, vt patet ex cap. 2. huius libri. Sed quãdo in perspectiua, ex hoc principio geometriæ; scilicet *lineæ ducta ab eadem basi ad punctum distantius causant minorem angulum*. concludimus, res à longe visas apparere minores; cognoscimus, hanc esse propriam causam talis conclusionis, neque posse eam aliter se habere. Et idem est, quãdo in musica ex principijs arithmeticæ concludimus, numerum sonorum causare consonantiam, & sic de alijs: ergo verè scimus in huiusmodi subalternatis; & per consequens sunt veræ scientiæ.

Contra primam conclusionem dices primò. Scientia subalternata absque subalternante nõ cognoscit perfectè suas conclusiones; sed conclusiones omnium scientiarum non cognoscuntur perfectè absque metaphysica, quæ docet, quomodo sint entia, & bona substantiæ, vel accidẽtia; ergo illæ propriè metaphysicè subalternantur; & consequenter illa scientia, solùm propriè non est subalternata alteri, cuius obiectum accidentaliter continetur modo explicato sub obiecto alterius.

1118 Resp. cum Complutensib. hic, quòd ad perfectionem debitam cuiuscumque scientiæ inferioris nõ est necesse, vt conclusiones cognoscantur secundùm omnia prædicata, sed solùm quoad ea, quæ sub tali scientia cadunt, quia aliàs nulla esset scientia perfecta intra suam speciẽ. Et dato, quòd hęc esset imperfectio, nihil sequitur contra nostram conclusionem, quia non quæcumque imperfectio cognitionis in conclusionibus scientiæ inferioris arguit eam esse propriè subalternatam; sed solùm illa, quæ non pertingit ad cognoscendum propter quid talium cõclusionum absque scientia superiori. Quam imperfectionem non habent aliæ scientiæ respectu metaphysicæ, vt ex dictis patet.

Contra secundam conclusionem dices secundò: Obiectum scientiæ propriè subalternatæ addit differentiam omninò accidentalem, & extraneam supra obiectum subalternantis; ergo integrum obiectũ scientiæ subalternatæ est ens per accidẽs; sed de ente per accidens non potest dari scientia, vt docet, & probat Aristoteles 6. metaph. cap. 2. ergo scientia propriè subalternata non est vera scientia. Prima consequentia est nota, quia obiectum scientiæ superioris, & talis materia extranea sunt plura entia in actu; & res diuersorum prędicamentorum, vt patet in numero sonoro, linea visuali, & similibus; ergo ex illis non potest fieri vnũ per se, sed ens per accidens.

1119 Resp. quòd licèt differentia, quam addit scientia subalternata supra obiectum subalternantis sit accidentalis, & extranea; adhuc tamen obiectum subalternatæ est vnũ per se; nam obiectum subalternatæ neque est solum obiectum subalternantis, neque sola differentia accidentalis, quæ additur, sed vtraque simul,

simul, v.g. obiectum musicæ neque est numerus tantùm, neque tantùm sonorum; sed totum hoc simul, scilicet numerus sonorus; quia numerus solùm est obiectũ arithmeticæ, & sonorum seorsim sumptum pertinet ad philosophiam; cùm autem inter has scientias musica sit media, & ab vtraque distincta, consequens est, vt neutrum solùm, sed vtrumque simul consideret, vt proprium obiectum.

Considerat enim musica quasi in recto sonorum, vt dicit concentum, & armoniam, & considerat quasi in obliquo numerum, secũdùm quod est principium talis concentus, & sic per se considerat vtrumque. Et licèt numerus secundùm se sumptus non faciat vnum per se cum sonoro, tamen numerus, vt est principiũ sonori, & sonorum prout terminatur numero, constituit vnum per se: sicut enim linea, & superficies, quãuis secundùm se sint duo entia in actu, vtpotè duæ species quantitatis corporeæ diuisibilis; nihilominus tamen si linea consideretur, non vt est diuisibilis secundùm propriam dimensionem, sed secũdùm quod est principium latitudinis, facit cum illa vnum per se, quia superficies est latitudo terminata lineis. Ratio autẽ vtriusque est, quia sicut linea non pertinet in recto ad rationem superficiei, sed tamquam principium, per quod essentialiter definitur: sic numerus non includitur in recto in ratione sonori; sed tamquam principiũ, per quod essentialiter definitur.

1120 Sed quæres, vtrùm scientia subalternata sit vera scientia in eo, qui non habet subalternantem?

Responsio huius quæsiti satis patet ex his, quæ diximus disput. præt. quæst. vlt. num. 1089. nam vt ibid. cõcludimus, per demonstrationem *quia* acquirimus scientiam; non in tertia acceptione; sed in secunda, ex tribus enumeratis loco cit. nu. 1088. Cùm autem scientia subalternata in eo, qui non habet subalternantem sit habitus per demonstrationẽ *quia* acquisitus, consequens est, vt scientia subalternata in eo, qui non habet subalternantem, sit vera scientia, accepta scientia nõ in tertia acceptione dicta, sed in secunda.

Ea, quæ à Complut. & à Io. de S. Thoma dicuntur contra hanc responsionem hìc, vide soluta apud Pontium hìc; & ea, quæ ab ipso Põtio ibidem adducuntur, etiam contra hanc nostram respõsionem, partim soluta manent ex immediatè dictis, & partim ex ijs, quæ adducuntur à Complutens. in fauorem suæ sententiæ loc. cit. num. 28. quæ licèt ab ipso Pontio ibid. num. 68. impugnentur, tamen impugnatio eius nõ tollit eorum vim, vt satis patebit cõsideranti in fonte prædictos duos Auctores.

QVÆSTIO IV.
Vnde sumenda est vnitas generica scientiarum.

1121 Prænotatis his, quæ diximus disput. 1. quæst. vlt. circa specificationem scientiarum, notandum est cum D. Tho. 1. par. quæst. 3. art. 3. quòd *duplex sit abstractio per intellectum; vna quidèm, secundùm quod vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine* (quæ abstractio solet

Ff appel-

appellari totalis:) *alia verò, secundùm quod forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili.* Vbi etiam est notandum, quòd in abstractione formali tàm forma, quæ abstrahitur, quàm materia, à qua abstrahitur, manent integre, & potest vnum sine alio concipi, quod prouenit ex eo, quod neutrum est de essentia alterius; at in abstractione totali non potest vnum sine alio concipi; quia licèt superius, quod abstrahitur, possit concipi absque inferioribus, cùm non sint de eius essentia, non tamen è contra; inferiora, à quibus abstrahitur, possunt concipi absque superiori, vt de se patet; vndè id, à quo fit abstractio, non remanet integrum in tali abstractione.

Ex quo discrimine nascitur secūdum, consistens in hoc, quod per abstractionem formalem oritur in eo, quod abstrahitur actualitas, distinctio, & intelligibilitas; in abstractione verò totali oritur in eo, quod abstrahitur potentialitas, confusio, & minor intelligibilitas. Vndè licèt quoad nos id, quod est abstractius vniuersali abstractione sit quodammodo magis, & priùs notum, tamen secundùm se maior abstractio totalis causat maiorem potentialitatem, & confusionem, & id, quod sic abstrahitur, secundùm se redditur magis intelligibile, quæ omnia è contrario eueniunt in abstractione formali; nam quantò magis id, quod est formale abstrahitur à materia, tantò fit actualius, & magis aptum vt intelligatur, quia .s. abstractio formalis fit per separationem à materialibus, potentialibus, & ab alijs huiusmodi: abstractio verò totalis fit per separationē à specificis actualitatib⁹, à quibus quantò aliquid est abstractius, tantò est potentialius, & minus intelligibile; quia actus secundùm se est notior potentia ex 9. metaph.

1122 De abstractione totali nihil dicemus in præsenti, quia solùm est necessaria ad scientias ex generali ratione, qua omnes excludunt indiuidua, & agunt de rebus vniuersalibus; & ideò nihil conducit ad earum specificationem. Abstractio verò formalis non eodem modo reperitur in omnibus; & ideò potest ad earum abstractionem pertinere. Vnde est notandum, quòd cum ad hoc, vt aliquid sit obiectum scientię, debeat esse necessarium, idest, quòd non possit aliter se habere, vt constat ex definitione scientiæ tradita ab Aristotile, scilicet *habitus certus, & euidens rei necessariæ per demonstrationem acquisitus*, ac proinde non debet esse subiectum mutationi, vel motui; quia quod mouetur in quantum huiusmodi, possibile est esse, & non esse, vt dicitur 10. metaph. & per consequens res contingens; ideò cū materia sit prima radix mutationis, & cōtingentiæ, hìnc est, quòd obiectum scientiæ formaliter prout sic debet esse abstractum à materia.

Est autem triplex gradus abstractionis formalis iuxta triplicem materiam, à qua potest aliqua res abstrahi, scilicet singularem, sensibilē, & intelligibilem. Materia singularis dicitur in præsenti, quidquid pertinet ad singularitatem rerum sensibilium, vt hæ carnes, & hæc ossa, hæc albedo, &c. Vnde illa scientia abstrahit à materia singulari tantū, quæ con-

considerat res sensibiles, v. g. hominem cum materia sensibili communi, scilicet carne, & ossibus, non tamen considerat singulariter hanc carnem, & hæc ossa. Et huiusmodi est philosophia naturalis, quæ consequenter habet infimum gradum abstractionis formalis, siquidem hęc ad minùs requiritur in obiecto, vt de illo possit esse scientia.

1123 Materia sensibilis dicuntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur, vt calor, frigus, sonus, odor, & similes: vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia sensibili, quæ cōsiderant suum obiectum sine istis qualitatibus, & huiusmodi sunt Mathematicæ, quę agunt de quantitate, nō curando an linea sit calida; superficies alba; aut corpus durum, &c. non tamen abstrahunt à materia intelligibili, quia nō considerant quātitatem absque substantia materiali, cui inest, & à qua in sui cognitione dependet; & ideò obtinent secundum locum, seu gradum abstractionis.

Tandem materia intelligibilis est ipsa substantia corporea, quæ dicitur intelligibilis, quia solo intellectu percipi potest, vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia intelligibili, quæ tractant de rebus, quæ sine materia prima corporea esse possunt, vel quia numquam in materia, vt Deus, vel quia numquam in tali materia, vt Angeli, vel quia in quibusdā sunt in materia, in quibusdam verò non, & ideò secundùm se non pendent ab illa, vt substantia, & qualitas; actus, & potentia; vnum, & multa, &c. & huiusmodi est metaphysica, quæ propterea Theologia naturalis, & prima Philosophia nuncupatur: obtinetq; supremum gradum abstractionis inter scientias naturales.

1124 Huiusmodi abstractio sumi potest dupliciter: primò actiuè, & formaliter pro operatione scilicet intellectus, qua obiectum separatur à materia; quo sensu satis constat, abstractionem esse quid extrinsecū obiecto, nec posse esse veram rationem formalem per se specificatiuā scientiæ; sed tantùm est conditio necessariò requisita, seu causa remouens prohibens, quatenus per talem operationem remouetur ab obiecto materialitas, seu potentialitas, quæ intelligibilitatem impediebat. Secundo modo sumitur abstractio formalis passiuè, seu obiectiuè, & radicaliter pro actualitate, & immaterialitate, quæ relinquitur in obiecto ex separatione materiæ, & per quam fit actu intelligibile; Et abstractio in hoc sensu per se pertinet ad obiectū in esse scibilis, & consequenter ad rationem formalem, vel specificatiuā scientiæ, quia actualitas rei est quoddam intellectuale lumen, per quod ipsa cognoscitur, non secùs ac lux corporalis est id, per quod colores redduntur actu visibiles. Quo notato

1125 Sit conclusio: Distinctio generica scientiarum accipienda est ex abstractione à materia, ac proinde illæ scientiæ erunt eiusdem generis, quæ habuerint eandem abstractionem: illæ verò diuersi generis, quæ diuersas sortiuntur abstractiones; & per consequens tria sunt genera scibilium, scilicet metaphysicum, mathematicum, & naturale, & tria genera scientiarum, s. meta-

physica, mathematica; & scientia naturalis; intra quodlibet autem horum generum sunt diuersa scibilia in specie infima iuxta dicta disput. 1. quæst. vlt. Probatur: Obiectum constituitur in esse scibilis per immaterialitatem; ergo in esse talis scibilis cōstituitur per talem immaterialitatem; sed immaterialitas nihil aliud est, quàm remotio, seu abstractio à materia; ergo talis immaterialitas erit remotio, seu abstractio à tali materia. Hæc autem est triplex, vt dictum est; ergo triplex datur genus scibilis; & per consequens triplex genus scientiæ.

1126 Dices contra primò: Si ab abstractione sumeretur vnitas, aut distinctio generica scientiarum, sequeretur, sacram Theologiam esse eiusdem generis cum Metaphysica, siquidem continentur intra eamdē abstractionem; sed hoc non, vt probant Theologi 1. par. quæst. 1. art. 1. cum D. Thom. ibid. ergo ab abstractione nō sumitur vnitas, aut distinctio generica scientiarum.

Resp. quòd sacra Theologia habet proprium modum abstractionis distinctum ab alijs, & excellentiorē illis; quia deitas, quæ est ratio formalis, *quæ*, obiecti eius, est simplicior, actualior, & immaterialior; & ideò hæc solùm excludit à suo obiecto materiam corporalem admittens in illo realem compositionem ex potentia, & actu; Theologia verò excludit omnem potentialitatem, & materiam etiam metaphysicam; & ideò habet specialem abstractionē, per quam cōstituitur in proprio genere ab alijs condistincto. Eam tamen non enumerauimus in conclusione, quia ibi solùm egimus de sciētijs naturalibus, seu quę acquiruntur viribus humani ingenij.

Dices contra secundò cum Pontio hìc disput. 22. quæst. vlt. dantur plures abstractiones formales, quàm tres; ergo dantur plura, quàm tria genera scibilium. Probatur antecedens: Datur aliquod obiectum abstrahibile à materia singulari, & non abstrahibile à materia sensibili, aut intelligibili, v. g. color, quatenus est accidens connaturale corporibus: Datur obiectum abstrahibile à materia singulari, & intelligibili, non verò sensibili; vt idem color, quatenus est determinatiuus oculi ad visionem, aut intellectus ad intellectionem sui; datur etiam obiectum abstrahibile à materia sēsibili, & singulari; non verò intelligibili, vt quātitas, quatenus consideratur à Mathematica: Datur denique obiectū abstrahibile à materia singulari, sensibili, & intelligibili, vt Angelus v. g. secundùm quod cōsideratur à Metaphysica; ergo dantur quatuor abstractiones, seu abstrahibilitates à materia.

Resp. quòd color nullatenus potest abstrahi à materia intelligibili quocumque modo sumatur; nam cùm sit essentialiter qualitas sensibilis, & omne sensibile qua tale, sit essentialiter materiale, seu corporeū, hinc est, quòd quocumque modo intelligatur, si adæquatè intelligitur, semper intelligitur cum aliquo ordine ad substantiam materialem; & consequenter numquam potest abstrahi à materia intelligibili, vnde quartus modus abstractionis Pontianus in secundo loco ab ipso propositus

positus in argumento, est omninò impossibilis.

1127 Dices tandem cum Mastrio contrarium sentiente hic disput. 12. quæst. 3. artic. 1. Logica, & Metaphysica abstrahunt ab omni materia, sed non sunt eiusdem generis, ergo &c. Deinde Astrologia, Musica, & Perspectiua, sũt Mathematicæ; sed non abstrahunt à materia sensibili, cũ Astrologia sit de corporibus cęlestibus, & eorum motibus, aspectibus, & influxibus. Musica de numero, vt sonoro. Pespectiua de linea, vt visibili, quod est materiam sensibilem concernere, ergo &c. Tandem scientia moralis abstrahit à materia singulari, quia res in vniuersali considerat, non tamen à materia sensibili; nam contemplatur humanas actiones, vt dirig biles, & per cõsequens in ordine ad circumstantias corporales, & materiales, & tamen est omninò à Philosophia cõdistincta, ergo &c.

Resp. quòd in primis Logica cõtinetur sub eodem genere cum Metaphysica, vtpotè quę habet eandem abstractionem à materia omni; differt verò specie ab illa, quia licèt vtriusque principia contineantur, & deriuentur ex vniuersalissimis principijs entis, quod abstrahit à reali, & rationis; hæc tamen non causat vnitatem scientiæ, quia ex vniuersalissimis principijs tantùm non potest sequi aliqua conclusio intra aliquod genus scibilis, nisi illi adiungatur aliquod principium proprium; & ideò huius principij proprij, & non illorũ vniuersalissimorum habenda est ratio ad statuendam vnitatem, vel diuersitatẽ specificam obiecti in esse scibilis; & per consequens scientia. Cùm autem in alijs nõ conueniant, siquidem Metaphysica procedit ex principijs entis realis; Logica verò ex principijs secundarum intentionum; planum fit vtriusq; principia non deriuari ex alijs, neque ex alterutris; & consequenter esse diuersa in esse scibilis.

1128 Deinde Astrologia, Musica, & Perspectiua, absolutè, & simpliciter loquendo, sunt dicendę sciẽtiæ naturales, & continentur in eodẽ genere cum Philosophia naturali, quia cùm istæ scientiæ sint subalternatæ, & in scientijs subalternatis obiectum subalternantis consideretur quasi in obliquo, & vt principiũ, per quod definitur; materia verò extranea principaliter, & in recto habeat rationem obiecti, vt sonorum in Musica, & visuale in Perspectiua; ideò sunt scientiæ naturales; & per consequens genere distinguuntur ab Arithmetica, & Geometria, quæ sunt propriè Mathematicæ.

Tandem dicimus ad id, quod vltimo loco adducitur in argumento, quod Philosophia moralis est practica; & quòd in præsenti non agimus de scientijs practicis, sed tãtùm de speculatiuis; nam vt benè aduertit D. Thomas opusc. 70. qu. 5. art. 1. scientiæ practicæ ex diuerso fine, ad quem ordinantur, sumunt suam speciem.

QVAESTIO V.

Vtrùm de singularibus detur scientia.

1129 Quia non desunt aliqui, qui variè sentiant in hac quęstione, vt Magister Oña in Logica in pędicabilibus, cap. de specie, quæst. 2. art. 2. qui defendit absolutè, de singularibus posse dari scientiam; & Comptonus disput. 49. sect. 1. quod de singularibus, si non perfectissima, vera tamen dari potest scientia; & multi alij omnem scientiam negant de singularibus; ideò placuit hic breuiter hanc quæstionem examinare, & fundamenta aduersariorum soluere; & ideò

Sit conclusio. De singularibus, dempto Deo, non datur vera scientia per se primò. Probatur: Singularia vt sic nō habent definitionem, quæ vt medium possit inseruire ad demonstrandas passiones; neque passiones peculiares ipsis vt singularibus conuenientes; ergo nequit intellectus de illis habere scientiam. Antecedēs quoad primam partem, preterquamquod est Aristotelis varijs in locis. Probatur: Quia definitio explicat quidditatem rei, sed singularitas, seu differentia indiuidualis, quāuis pertineat ad substātiā, & integritatē rei, non tñ pertinet ad quidditatem, tum quia quidditas est cōmunicabilis, nō autē singularitas; tum etiam, quia hac ratione dicitur species tota quidditas indiuiduarum; tum præterea, quia etiam ex communi modo loquendi per singularitatē potius explicatur de singulari aliquo, quis sit, quàm quid sit; tum tandem, quia si singularitas adderet nouum gradum essentię à specię distinctum, indiuidua inter se essentialiter differrent; ergo singularia vt sic non habent definitionem, quæ vt medium possit inseruire ad demonstrandas passiones.

1130 Deinde idem antecedens quoad secundam partem etiam est notum; quia propriæ passiones sunt quædam aptitudines, seu potentiæ proximæ ad operandum ex operationibus à posteriori cognitæ; sed nullam operationem experimur in aliquo indiuiduo, quæ nō possit esse in alio eiusdem speciei; ergo nulla aptitudo, & proprietas fluit à differentia indiuiduali; sed omnes ab essentia dimanant; & per consequens sunt omnibus indiuiduis communes. Tum quia singularitas non est ratio agendi; sed potiùs conditio agendi, & solùm essentia est principium, & ratio agendi; at essentia de se communis est, & indifferens omnibus indiuiduis possibilibus illius speciei.

Quod autem de Deo singularissimo possit dari scientia, patet; quia ipsius essentia est de se hæc, nec est pluribus communicabilis cum sui diuisione; vnde passiones, vel quasi passiones de ipso per se primò, & immediatè demonstrantur.

1131 Ibi tamen notandum est, quòd Pater Tellez in Logica disput. 18. sect. 3. sic confirmat nostram conclusionem; Singularia sunt propè infinita; ergo similiter essent sciētiæ infinitæ, neque enim daretur maior ratio, cur de hoc singulari, nō verò de illo foret scientia. Addo prętęrea, neq; supernaturaliter possibilem esse scientiam discursiuam

de

de singularibus; & ratio est, quia licèt certò cognosceretur differentia indiuidualis, quæ nunc nobis in singularibus est ignota; cognosceretur tamen per simplicem intuitum in se ipsa, & nõ per veram demonstrationem; quia talis differentia non habet certam radicem, aut proprietates, à quibus demonstrari posset; sed solũ consistit in speciali quadam indiuisione, seu determinatione naturæ specificæ; & quamuis Socrates non minus rationalis sit, quàm homo, tamen connexio proprietatis non est cum Socrate, quia singularis est, sed cum eius natura communi. Prędicta cõclusio coarctanda est ad scientiam naturalem; supernaturalis .n. scientia datur de Deo, ac de Christo Domino, qui quãuis singulares sint, veras habent proprietates. Hęc ille.

1132 Dices contra primam partem cõclusionis, primò cum Comtono loc. cit. De Deo veram habemus scientiam; Astrologi etiam de hac particulari stella, de Sole, v.g. Luna, aut alia quapiam effectus varios demonstrant. Confirmatur. Indiuidua suam habent differẽtiam peculiarem, quæ subinde radix est aliquarum proprietatum; ergo hæc cognosci physicè loquẽdo possunt. Confirmatur secundò. Negari non potest, quin Deus, & Angeli indiuiduorum perfectam habeant scientiam, & nouerint, hoc, vel illud indiuiduum radicem esse talium, vel talium proprietatum. Confirmatur tertiò: Scimus saltem illa esse singularia, vt in hoc syllogismo in Darij: quidquid existit à parte rei est singulare, & indiuiduum; sed Petrus existit à parte rei; ergo Petrus est singularis, & indiuiduus; ergo vniuersum scientia omnis non est neganda de singularibus. Confirmatur quartò. Hic est syllogismus demonstratiuus: omne viuens dum currit, calefit; sed Petrus currit, & est viuens; ergo Petrus calefit, & tamen est de re singulari, vt constat, nempe de hoc indiuiduo cursu Petri, ergo &c. Dum itaque negat Aristoteles, dari scientiam de indiuiduis, intelligit moraliter loquendo, quia scilicet parùm durat, vel de scientia perfectissima.

Resp. quòd ex conclusione nostra, & ex confirmatione Tellez satis patet, quid sit dicendum ad id, quod dicit de Deo: Ad illud autem, quod dicitur de Sole, & Luna, dicimus, quòd quamuis illæ demonstrationes conficiantur in numero singulari, reuera sunt de speciebus Lunæ, & Solis; nam etsi alia Luna, & alius Sol numero essent in illis sitibus, & cum illis aspectibus, ijdem prouenirent effectus, vt eclypsis.

1133 Ad primam confirmationẽ satis patet ex dictis in probatione nostræ conclusionis. Ad secundam verò dicimus, quòd licèt concedamus in Deo, & Angelis certam, & perfectam cognitionem indiuiduorum, non tamen scientiam discursiuam, de qua loquimur, quæ in Deo de nulla re reperitur, & forsitan neque in Angelis, & certè de singularibus in ipsis, nullatenus est propter dicta.

Ad duas vltimas confirmationes, dicimus, quod illi duo syllogismi non sunt demonstrationes, vt intuenti satis patebit; præmissæ enim illorum non sunt in materia necessaria.

Dices tandem collectio accidentium conuenit indiuiduo vt sic ex Porphyr. cap. de specie; ergo poterit de ipso demonstrari. Respondetur, quòd illa collectio verè non est passio, cum sit plura prædicata, & non vnum; dicitur tamen passio largè, quatenus per ipsam circumscribimus hęcceitatem, & absolutè reperiri potest in alio indiuiduo. Argumenta Oñæ vide soluta apud Ruuium hìc.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm de eodem obiecto possimus scientiam, opinionem, & fidem simul habere.

1134 CVm ex dictis in superioribus quæstionibus satis cõstet, quid sit scientia tàm actualis, quàm habitualis, oportet hìc solùm de opinione, & fide aliqua breuiter explicare, vt propositam quæstionẽ clarè soluere possimus. Pro quo est notandum, quòd opinio est assensus probabilis deductus ex principijs probabilibus; vel habitus inclinans ad prædictos assensus: fides verò est assensus nixus auctoritate alicuius aliquid dicentis, vel habitus inclinãs ad tales assensus. Vbi nota, quòd ex hoc, quod opinio, & fides dicuntur assensus huius partis, distinguitur à dubio, quod non dicit assensum determinatum ad vnam partem; sed potiùs importat negationem assensus; nam quando intellectus est positiuè dubius, appręhendit rationes dubitãdi pro vtraque parte ęquales, & nulli parti determinatè adhęret; sed iudicium suspendit; in opinione verò potest se determinare ad alterã partem.

In hoc ergo differunt fides, & opinio, quòd opinio est assensus probabilis, ex medio intrinseco, seu connexionem aliquam naturalem habente cum re, cui ob rationem illam assentimur: fides verò est assensus ob medium extrinsecũ, scilicet auctoritatem dicentis, quæ rei ipsi est planè extrinseca, vt constat. Quando autem Aristoteles fides humana appellat opinionem, hoc solùm est, quia fides humana est assensus incertus sicut opinio, non tamen, quia instar illius nitatur medio intrinseco.

1135 Fides ergo nititur auctoritate dicentis, quæ in duobus consistit, scilicet sapientia, seu scientia illius, ex qua prouenit, quod ipse non fallatur; & veracitate eiusdem, quã efficitur, vt fallere nolit: quæ duo cùm summa sint in Deo, dignissimus est cui fides habeatur, vtpotè cuius dictis falsum subesse non possit, vnde assensus illius auctoritate nixus est certissimus. Quò autem hæc vel sapientia, vel veracitas in aliquo minor fuerit, minor etiam erit illius auctoritas; & cõsequenter minus certa fides, quæ eius auctoritate nititur. Si verò quis vel mendax sit, vel planè ignarus, fides ei haberi nulla potest. Maxima ergo auctoritas est auctoritas Dei, & omninò infallibilis, minor Angelorum, minor adhuc hominum, dæmonum nulla, nõ quòd scientia ipsis desit, sed veracitas, cùm dæmon sit mendacij pater, cui proinde etiam cum vera dicit, fides haberi non potest.

Est ergo opinio assensus obscurus, incertus, & formidolosus, non nixus auctoritate: fides autem humana

mana in reliquis congruit cum opinione, & in hoc vltimo differt, quod nimirùm nititur auctoritate humana, & fallibili. Vt autem explicemus, qualis sit formido, quæ in opinione, & fide humana reperiri solet.

Est notandũ, quòd formido quoad præsens attinet, est duplex, vna formalis, & alia radicalis. Formalis est cùm quis ita assentitur alicui propositioni probabili, vt tamen per actum illum dubitet, ne res aliter se habeat, quàm ille iudicat. Formido radicalis est assensus ex modo tendendi ita imperfectus substantialiter, seu quoad entitatem, & substantiam, vt non intellectum conuincat, sed illum relinquat debiliter assentientem, seu est actus, qui in se negationem habet certitudinis, licèt id intellectus non aduertat. Vocatur verò formido radicalis, quia assensus ille est talis, vt si supra actum suum reflecteret, aduerteret eum nõ his niti principijs, nec tale habere fundamentũ, vt dubitationem omnem de falsitate obiecti excludat.

1136 Formalis ergo formido nec de ratione opinionis est, nec fidei humanæ; est tamen radicalis. Primũ constat experientia, quia nonnullos videmus ita suis opinionibus, quæ tamen meræ opiniones sunt, mordaciùs adhærere, vt nullam planè de his dubitationẽ habeant; super quas tamen si oculo indifferenti reflecterent, non ita certis viderentur niti fundamentis, vt de his meritò dubitari non posset; de quibus benè Aristot. 7. Ethicor. cap. 3. *Quidam*, inquit, *opinantium non dubitant, sed existimant, se certò scire;* ergo formalis formido non est de ratione vel opinionis, vel fidei humanæ; sed sine ea reperitur tota eius ratio, nempe vt eliciatur actus ob medium non certum. Secundum de radicali formidine etiã constat; nam actus tàm opinionis, quàm fidei humanę nituntur auctoritate, vel medio fallibili; ergo sunt huiusmodi, vt si quis supra eos reflecteret, reperiret rationem dubitandi de eorum certitudine.

Præterea nota, quòd quia affectio voluntatis, prout est quidam actus imperij, quo voluntas quodammodo imperat intellectui, vt assentiatur, necessariò omninò est ad eliciendum quemcumque actum opinionis, aut fidei. Quod colligitur ex communi Theologorum sententia, qui requirunt hanc piam affectionẽ ad eliciendos actus circa fidem diuinam, cùm autem fides diuina sit omninò certa, à fortiori hæc pia affectio requirenda est ad opinionem, & fidem humanam, quæ sunt incertæ, & fallibiles.

1137 Ratio autẽ huius rei à priori est, quia intellectus est pars totius hominis, ac proinde subordinatus voluntati, præcipuè circa obiecta, in quibus euidentia veritatis non pertrahit ipsum intellectum; nam quando intellectus est in dubio, pendet à volũtate, quæ cùm sit primum mouens in homine, quando potentiæ cognoscitiuæ omninò non necessitantur ab obiectis, potest illas ad actus applicare, vel ab eis remouere. Cùm autem intellectus circa obiecta opinabilia non necessitetur, indiget impulsione voluntatis ad opinandum, & credendum tàm fide diuina, quàm humana; siquidem vtriusque fidei obiectum, sicut etiam opinio-

opinionis ex se non est euidens.

Hæc impulsio, siue imperium ab electione voluntatis prouenit; atq; adeò plerũque ipsa ex pia affectione circa magistrum, vel ex passione erga inimicum ita determinat intellectum ad aliquas opiniones, vt nihil formidet. Vnde etiam patet ex quo principio nascatur, vt notitia intrinsece, failibilis simpliciter reddat potentiam certam; non est tamen semper necessarius amor, siue inclinatio volũtatis erga aliquem, vel erga aliquam veritatem, vt eam amplectamur; nam experientia constat, nos sæpenumero eam opinionem amplecti, quam scimus esse sapientis hominis, erga quem minori propẽsione voluntatis afficimur, quàm in oppositam alterius amici, quia rationes illius efficaciores nobis videntur.

1138 His præsuppositis, pro intelligentia tituli est notandum, quòd nõ est dubium quin de eodem obiecto, seu de eadẽ propositione obiectiua possit vnus intellectus habere scientiam, & alius opinionẽ, & alius fidem in eodẽ tempore, nec dubiũ est, an vnus intellectus de vna ꝓpositione possit habere ꝓdicta diuersis temporibus, quia hoc est per se manifestum; nec etiam est dubiũ, quin idem intellectus (modò simul habere possit plures actus iudicatiuos diuersarum propositionum) possit habere simul fidem de vno obiecto, opinionem de altero, & scientiam de alio. Dixi autem notanter, modò simul possit habere plures actus iudicatiuos, quia si non potest, certum est, quòd non possit habere simul opinionem, fidem, & scientiam etiã de diuersis obiectis; sed impossibilitas hæc non orietur quantum est ex hoc capite, ex eo quod illi actus habeant aliquam incompatibilitatem inter se; sed ex limitatione intellectus, qui nequit attendere pluribus obiectis per iudicia distincta: nec denique ex eadem hypothesi potest dubitari, quin idem intellectus possit de eodem obiecto incomplexo habere simul fidem, & opinionem in ordine ad diuersa prædicata; nihil enim impedit quominus de homine possit quis scire, quod esset risibilis, & credere, quòd esset bonus, & opinari, quòd esset amicus.

1139 Difficultas ergo hic examinanda propriissimè consistit in hoc, an ex suppositione, quòd intellectus possit habere plures actus simul, & iudicare simul plures propositiones, aut eamdem propositionem secundùm diuersa motiua, sit talis incompatibilitas inter fidem actualẽ, opinionem, & scientiam respectu eiusdem intellectus, & obiecti terminatiui complexi, vt idem intellectus nequeat simul scire, opinari, & credere, eamdem propositionem obiectiuam esse veram, ad cuius solutionem

Sit prima conclusio. Possunt in eodẽ intellectu simul stare habitus scientiæ, opinionis, & fidei. Probatur: Tota repugnantia prædictorũ habituum est per ordinem ad actus; sed intellectus potest pro diuersis saltem temporibus habere actum opinionis, fidei, & scientię de eodem obiecto; ergo poterit conseruare simul hos habitus, qui inclinent ad diuersos actus saltem pro diuersis temporibus, quod nullum est incõueniens,

uenidos, siquidem habitus per se nõ repugnant, sed ratione actuum; neque per habitus dicimur certi, vel incerti. Confirmatur; quia sicut eadem numero potentia, & indiuisibilis datur diuisiuè ad formas contrarias, & ad effectus inter se nõ solùm diuersos, sed etiam repugnantes, vt in materia ad formam ignis, & aquæ; in intellectu ad ascensum, & descensum, & similia: ita nihil obest quominus dentur in eodem subiecto duæ inclinationes, vel tres, seu propensiones ad effectus diuisiuè etiam oppositos; ergo quamuis actus opinionis, fidei, & scientiæ essent oppositi, nihilominus in eodem intellectu simul stare possent habitus opinionis, fidei, & scientiæ.

1140 Secunda conclusio. Non possunt de eodẽ obiecto simul esse in eodem intellectu scientia, fides naturalis, & opinio quoad actus cũ actuali, & formali formidine, & dubio simpliciter de veritate obiecti. Probatur, quia si simul cum actu scientiæ esset in intellectu formalis, formido, intellectus duobus simul assentiretur contradictoriis; & contra lumen rationis idem simul affirmaret esse, & non esse, quia per actũ scientiæ euidẽter sit, & iudicat, obiectum ita esse, imò aliter se habere non posse, quàm actus enunciat; per actum autem formidinis putat, fortè non ita esse, vel posse aliter se habere, quàm actus enunciat, quę sunt contradictoria; ergo &c.

Dices; nulla videtur repugnantia, vt simul cum scientia stet formido, ne subsit falsum, non actui scientiæ, sed opinionis, vel fidei humanæ. Sed cõtra est, quia si dubitet, num subsit falsum actui opinionis, (qui, vt supponitur, idem representat obiectum cum actu scientiæ) dubitat vtrùm conformis sit obiecto, seu vtrum obiectum ita se habeat, sicut ille actus affirmat; ergo putat, fortè non ita se habere, cùm tamen per actum scientiæ sciat, ita se habere, & aliter esse non posse; sed sunt contradictoria scire, rem ita esse, & iudicare fortasse non ita esse, putare aliter posse se habere, & scire non posse aliter se habere, ergo &c.

1141 Tertia conclusio: Non repugnat, vt actus scientię, fidei, & opinionis in eodem simul intellectu reperiantur de eodẽ indiuisibili obiecto. Probatur: Si repugnaret, prędictos actus esse simul, maximè quia essẽt incompossibiles ex hoc; quod fides, & opinio obiectum obscurè repręsentent; scientia verò clarè; claritas autem, & obscuritas de eodẽ obiecto non magis constituere possunt simul in eodem intellectu, quã lux, & tenebræ in eodem aere; sed propter hoc nõ repugnat; ergo nullo modo. Minor patet, quia fides, & scientia non se habent sicut forma, & priuatio formæ, vel sicut lux, & tenebræ, cùm fides non sit negatio scientiæ, sed sunt instar maioris, & minoris lucis; diuersæ tamen, & non eiusdem rationis; vel sicut actus perfectus, & imperfectus. Vnde etiam dicimus, aliquem locum esse obscurum, licèt ibi sit aliquid lucis. Obscuritas ergo fidei, & opinionis positiua est, nempe modus tendendi positiuus, obscurus, & debilis in opinione, & fide humana, & ad summũ in suo conceptu dicit, priuationem claritatis in eodem actu, & non in

eodem

eodem subiecto, in quo est manifesta disparitas inter lucem, & tenebras, quę priuationem lucis essentialiter requirunt in eodem subiecto.

Probatur secundò: Multa nobis proponūtur in scripturis credenda, quæ tamen nouimus lumine naturali, vt Deum esse; sed hoc frustra fieret, si ea credere non possemus; ergo possumus habere simul actum scientiæ, & fidei; & consequenter etiam opinionis. Maior patet ex illo ad Hebręos 11. scilicet, *accedentem ad Deum, oportet credere, quòd sit, & quòd remunerator sit.* Si verò sciri simul, & credi hæc non possent, peiori loco vir doctus foret, quàm rudis aliquis, & ignarus rusticus, hic enim credit illa omnia fide supernaturali, & meritoria; vir autem doctus iuxta contrariam sententiam credere ea non posset cùm sciat.

1142 Confirmatur cōclusio. Post rationes claras pro aliqua sententia propositas proponi solent probabiles, quod tamen frustra fieret, si assensum probabilibus præbere non possemus, habitis prius rationibus scientificis. Confirmatur tandem: Fides, opinio, & scientia circa idem obiectum non tendunt modo contradictorio, sicut affirmatio, & negatio; sed feruntur in idem obiectum affirmatiuè omnes, vel omnes negatiuè, licèt ex suo quæque motiuo, & ab alijs diuerso; si autem hoc præstent, quid refert, quòd actus vnus clarè tendat, & euidenter, alter obscurè? id enim solùm arguit in eodē simul intellectu actum perfectum dari posse, & imperfectum de eodē obiecto, quod non repugnat, vt patet in appręhensione, & iudicio, quę simul in eodem intellectu sunt circa idem obiectū, licèt vnus actus perfectus sit, & alius imperfectus.

Contra vltimam conclusionem dices: Actus fidei diuinæ est meritorius; ergo consistere nequit cum actu scientifico. Consequentia patet ex illo D. Gregorij: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad eius probationem dicimus, quòd illa verba D. Greg. rectè exponuntur à D. Bonau. in 3. dist. 24. q. 2. ita vt intelligantur hoc modo: cū quis vult solū credere, vel assentiri, quia experientia rem ita esse videt, ita vt assentiatur, non quia Deus dixit, sed quia ipse experimento, vel rationis indagatione ita esse comperit; sicq; fides illa, vel assensus cuicumque is fuerit, nitatur solo ipsius experimento, nō Dei auctoritate: vel saltem ita est dispositus, vt credere omninò non vellet, nisi rei veritatem aliunde cōpertam haberet. Rebus ergo visis, quia videntur, nullum est meritum; assentiri tamen rebus visis, quia dicuntur à Deo, actus est meritorius, minus tamen, quàm si non fuissent omninò visæ, testante ipsa veritate Ioan. 20. *Beati qui crediderunt, & non viderunt.*

1143 Dices secundò ad Hebręos 11. dicitur, *fidem esse argumentum rerum non apparentium*, vnde communiter cum D. August. dicitur, *Fides est credere quod non vides*; ergo actus fidei, & scientiæ non possunt esse simul de eodem obiecto in eodē intellectu. Resp. distinguenda esse verba illa Apostoli, fides est argumētum rerum non apparentium

per

per fidem, seu per fidei motiua, concedo; aliunde, scilicet per scientiam, seu motiua scientiæ, nego: vt constat de cognitione naturali Dei, quã hìc vnà cum fide habemus eiusdem obiecti. Non ergo est de necessitate fidei, vt obiectum ipsius non sit euidens, concomitanter, & aliunde, sed solùm, vt non sit euidens per fidem, vel per medium fidei.

Dices tertiò: Lucente maiori luce, Sole, v.g. candela nullam producit lucem in aere; ergo nec opinio, vel fides, lucente in intellectu scientia. Resp. negando consequentiã, disparitas est, quia lux candelæ, & Solis est eiusdem rationis; non sic fidei, & scientiæ, sed specie diuersa; vnde non est, cur scientia, & fides simul esse non possint, sicut cognitio intuitiua, & abstractiua de Deo in beatis simul esse non repugnant, cùm possint ipsum etiam per discursum ex effectibus cognoscere.

1144 Dices quartò: Si actus opinionis, fidei, & scientiæ possent esse simul circa idem obiectum in eodẽ intellectu, poterit quoque fides actualis in beatis simul reperiri in cęlo cum visione beatifica; sed hoc non; ergo neque illud. Resp. negando sequelam. Primò, quia actus fidei est actus propriè viatoris; in cęlo autem non sunt viatores, sed soli comprehensores, vnde 1. ad Corinthios, cap. 13. ait Apostolus: Fidem, quam in via habemus, in patria euacuatum iri; cessante enim actu omni, cessat habitus. Datur autem fides in via ad eliciendos actus supernaturales intellectus requisitos ad actus supernaturales virtutum in voluntate. Deinde in cęlo non solùm obiectum fidei clarè videtur, sed omnia etiam motiua, & ipsa adeò reuelatio; ac proinde nulla remanet obscuritas non solùm in obiecto; sed neque in motiuis, cùm videant non solùm obiectum ita se habere, scilicet Deum esse trinum, & vnum, sed etiã hoc Deum reuelare, & miracula in illius confirmationẽ esse facta, sicq; pro motiuo illius actus nihil habet intellectus obscurum, sed omnia euidẽtia; quare actus sic elicitus erit scientificus. Si autem solùm videretur obiectum actus fidei, & non motiua, nec reuelatio, posset simul cum visione beatifica componi actus fidei, & sic per diuinam omnipotẽtiam potest vnà cum visione beatifica stare actus fidei, & habitus.

Sed quæres, an idem actus respectu eiusdem obiecti possit esse simul fides, opinio, & scientia?

Resp. affirmatiuè: Ratio autem huius rei est, quia fides, & opinio, licèt in suo conceptu non dicant claritatem, & euidentiam (tunc enim nullus potest dari actus fidei obscurus, nec opinionis incertus) vniuersim tamen loquendo, eam non excludunt: opinio enim ex sua natura solùm postulat, vt sit actus pendens à medio probabili, fides diuina à medio certo; scientia demum à medio claro, & euidenti. Quidni ergo vnus dari actus poterit, qui ob hæc tria motiua eidem simul obiecto assentiatur, quod si contingat, ille actus erit scientię, fidei, & opinionis. Quod autem hoc possit contingere, inde suadetur, quia non apparet, cur quis eodem actu iudicari non possit, animam esse immortalem, quia fides docet, & ratio naturalis dictat.

Dices

1145 Dices contrà: Ille actus nõ esset opinionis, nec scientiæ, sed tertiæ cuiusdam rationis, vtpotè genitus ex principijs, seu motiuis specie distinctis: nam quando duo animalia diuersarũ specierum, v. g. equus, & asina concurrunt ad generandum tertium animal, illud non continet speciem, & naturam vtriusque, sed tertiam speciem constituit ab vtroque parente distinctam; ergo idem erit in præsenti, & actus hic suos quidem referre debet parentes, non tamen eamdem cum ijs sortire naturam.

Resp. negando consequentiam. Disparitas est, quia in animalib⁹ nec solus mas, nec sola fęmina ad prolẽ eiusdem secum speciei generãdam sufficit, ac proinde nisi vterque parens concurrat, non ponitur principium sufficiens ad vllam prolem generandàm: hìc verò sola motiua fidei sufficiunt ad actum fidei producendum, & naturam illam ei communicandam, sicut & sola opinionis motiua, aut scientiæ sufficiunt ad actum opinionis, & scientiæ; quando ergo vnà concurrunt, actum producunt vtramque rationem in se habentem, cùm ad hoc vires habeant in actu primo sufficientes.

1146 Dices tandem: Ille actus simul esset, & non esset probabilis; esset vt supponitur, non esset quia motiua scientifica non magis actum probabilẽ progenerant, quàm aquilæ columbam; ergo idem actus respectu eiusdem obiecti non potest esse simul fides, opinio, & scientia. Resp quòd huiusmodi actus est formaliter probabilis, ad quod non requiritur aliud, quàm vt procedat à motiuo probabili. Quòd autem simul sit scientificus, non tollit quominus sit probabilis; nã aliquid esse actum probabilem nihil est, quàm dependere, & produci ex motiuo probabili: hoc verò semper retinet hic actus, quantumcumque etiam procedat à medio, & motiuo scientifico; vnde vtramque in se habebit rationem coniunctam. Quod idem de actu dici debet, qui simul fidei esset, & scientiæ. Non tamen dicendus simpliciter est hic actus clarus, & obscurus; certus, & incertus; nam hæ voces obscurus, & incertus sonãt negationem claritatis, & certitudinis: hoc autem esset falsum, cùm in ipsis terminis inuoluatur implicantia, idẽ quippe actus haberet simul, & non haberet claritatem, & certitudinem.

1147 Itaque actus fidei non excludit claritatem, sed solùm renuit eam habere ex medio, vel motiuo fidei, sicut nec actus opinionis excludit certitudinem, sed tantùm respuit illam ex motiuo opinionis accipere, quod semper est principium ineuidens, & incertum. Conceptus ergo essentialis actus fidei est, procedere ex medio obscuro, & similiter conceptus essentialis actus opinionis ex medio incerto: hoc autem habent hi actus, quantumcumque ex alijs motiuis simul procedant; sicut conceptus vegetatiui est posse se nutrire; hoc autem semper habet vegetatiuum, licèt simul sit sensitiuum. Verum quidèm est, vegetatiuum tãtùm excludere sensitiuum; sed hoc nõ ex conceptu vegetatiui, sed ratione illius exclusiua, tantùm; sic non fides, sed fides tantũ excludit con-

consortium scientiæ; & consequenter fides tantùm necessariò inuoluit obscuritatem, qua excludit processum ab omni medio, vel motiuo claro, & scientifico, à quo ipsi communicatur claritas; sed non propterea sequitur fidem, vt sic hoc in suo cōceptu inuoluere, latiùs namque patet fides, quàm fides tantùm, sicut vegetatiuum, vt dixi, quàm vegetatiuum tantùm, seu planta.

Fides ergo, vt sic, non dicit obscuritatem, seu negationem claritatis positiuè, sed præcisiuè, sicut, vt ante dixi, animal vt sic præcisum, non dicit positiuè negationem rationalis, nec vegetatiuum vt sic positiuè negationem sensitiui, sed solùm præcisiuè, idest ex conceptu animalis, aut vegetatiui id non dicunt, non tamen excludunt; tunc enim non posset vmquam vegetatiuum esse sensitiuum, nec animal, rationale. Præscindi ergo possunt duæ formalitates in hoc actu, & formalitatem fidei habet in quantùm ex testimonio extrinseco procedit, & auctoritate dicentis: in quantum verò procedit à medio claro habet formalitatem scientiæ; Et Angelus hunc actum intuens, vtramque hanc in eo formalitatem identificatam cernit.

1148 Notandum tamen est, hunc actum, si sit de eodem indiuisibili obiecto, non pati secum formidinē formalem supra explicatam, seu dubitationem de veritate obiecti, cùm excludat omne dubium, imò nec fundat absolutè, & simpliciter formidinem radicalem; nam si quis supra principia illius adæquata reflectat, dubitare nequit, vtrùm actui illi subsit, aut subesse possit falsitas, Secundum qu.d tamen fundat formidinem formalem, id est talis est naturæ, vt si quis reflectat solùm super principia illius inadæquata, scilicet media probabilia, dubitare de veritate illius actus possit, saltem remotè, hoc est principia illa, vel actus in quantùm ab his procedit, nec claritatem habet, nec certitudinem, licèt aliunde habeat.

QVÆSTIO VLTIMA.
Quid, & quotuplex sit Methodus.

1149 CVm disput. 1. quæst. 3. diximus, Methodum esse obiectum partiale Logicæ, & hoc etiam sit certum, quia sicut Logica tradit modum sciendi, ita etiam tradere modum debet ordinatè sciendi, & procedendi in scientijs, tradendo regulas, & præcepta ipsius ordinis, seu Methodi; ideò aliquid de ipsa in Logica debebamus agere; & ideò in hac vltima quæstione aliqua de illa breuiter attingemus. Vndè est notandum; Methodum posse dupliciter accipi, vno modo pro regula, & Canone procedendi, in scientia, & ordinandi res in ipsa tractandas, vt de hac priùs, & de illa posteriùs agatur: alio modo pro ipso ordine, veluti in actu exercito, seu pro ipso progressu; Methodus sub vtraque acceptione ad Logicam pertinet, sub prima quidem ad Logicam docentē, cuius munus est tradere regulas, & instrumēta sciendi, & ordinatè sciendi: sub secunda autē acceptione spectat potiùs ad Log. vtentē, quā docentē; nàm Logica vtens talis appellatur, vt disp. prima diximus; quia ponit in vsum regulas, & precepta

logicæ

logicę docentis;cùm ergo ordinatè, & distinctè proceditur in aliqua facultate tradenda, talis progressus est actus Logicæ vtentis;& consequenter sub vtraque acceptione Methodus ad Logicum pertinet, & ab ipso sub vtroque sensu cōsiderari debet.

Ex quibus possumus facilè Methodū breuiter describere hoc modo: Methodus est modus ordinatus procedendi in veritatis indagine. Cùm autem dupliciter veritates soleamus indagare, scil. per experientiam,& discursum,& primus modus indagandi non spectat ad Methodū, benè tamen secundus,nã cũ Methodus versetur circa vniuersalia, experientia niti non potest; ideò ad hoc explicandum dicimus, Methodum esse modum ordinatum, per quod satisfecimus primo quæsito tituli. Vt autem secundo satisfaciamus.

1150 Dicimus, quòd Methodus est duplex,vna naturalis, seu naturæ, & alia doctrinæ. Prima est illa, in qua à prioribus in essendo ad posteriora eiusdem ordinis progreditur. Secunda verò est illa, in qua à rebus cognitu facilioribus paulatim ad difficiliores progreditur. Vbi est notandum, quòd in tradendis disciplinis semper vti debemus ordine, seu Methodo doctrinę;nam ideò sic appellatur, quia in tradendis disciplinis est valdè accōmodata, ideoq; Arist. sic tradidit scientias reales naturales, vt Metaphysicæ vltimum locum dedit,& Philosophię naturali primum, & planè ratio cur Aristoteles scientias has sic ordinauit, non est, quia ordo naturalis rerũ sic peteret, quia potiùs hic ordo oppositum postulabat, vt scilicet Metaphysica præmitteretur, veluti quæ agit de principijs primis, omnium rerum communissimis; non autem Physica, quæ agit de particulari ente; ordinauit ergo Philosophus has scientias hoc modo, & Physicam pręmisit Metaphysicæ, quia illa est facilior, vtpotè quę est de rebus sensibilibus, quæ sunt cognitu faciliores.

Prętereà videmus Aristot.pluries ordinem naturalem rerum prætermisisse, & ordinem nostræ facilioris cognitionis secutum esse;hinc priùs egit de animalibus,quàm de plantis, non alia ratione, nisi quia sunt nobis notiora, vt ipse dicit de longinquitate, & breuitate vitæ, & lib. 1. histor. animal. cap. 6. dicit priùs se agere velle de differentijs,& accidentibus, quæ circa animalia contingunt, postea ad causas inquirendas ascendere; ait enim, rationem congruam nostro naturali cognoscendi modo esse, vt à facilioribus,& propinquioribus nobis ad difficiliora, & remotiora procedamus, & ibid. de partib. animal. cap. 20. reddens rationem, cur prius de homine agere velit,subdit, quia *exteriorum partium eius forma notissima est*.

1151 Præterea est notandũ,quòd ordo doctrinæ non est adæquatè cōdistinctus ab ordine naturæ; sed interdum coincidit cum eo; nam pluries in scientijs ordo doctrinæ sequitur ordinem naturæ,ita vt priora naturæ declarentur,deinde posteriora; hoc autem non fit, quia ordo naturalis sit norma veri ordinis doctrinę, vt aliqui falsò opinati sunt; sed quia hic,& nunc ille ipse ordo naturæ est facilior, & accommodatior ad assequendam notitiam aliorũ in scientia con-

contentorum, nec posteriora poterunt ritè percipi, nisi supposita notitia priorum secũdùm naturam; hac ratione Aristoteles priùs agit de elemẽtis, quàm de mistis, quia ritè mixti naturam percipere nõ possumus, nisi prius elementa cognoscamus.

Deinde diuidunt Methodum in Methodum resolutionis, & compositionis. Methodus compositionis est via, in qua progreditur à simplicioribus, & prioribus ad magis composita, & posteriora, quod quatuor modis potest contingere. Primò, quando procedimus à simplicioribus ad magis composita, vt quando Grammaticus progreditur à litteris ad syllabas, à syllabis ad dictiones, & ab his ad perfectas orationes. Quem modum, vtpote magis Tyronibus accommodatum, ex parte etiam obseruauimus in introductione, agentes in lib. 1. de terminis, in secũdo de oratione, & in vltimò de argumẽtatione. Secundò, quando progreditur à magis ad minus vniuersalia, vt si disputaturi de animalibus, priùs ageremus de animali in communi, & postea de homine, vel alio speciali animali. Quem modum obseruauit Aristot. in tota Philosophia, & in lib. de Partibus, & historia animaliũ. Tertiò, quando proceditur à causis ad effectus. Quemadmodum obseruaret, qui disputaturus de eclipsi lunæ, priùs ageret de interpositione terræ. Quartò tandem, quando progredimur à medijs ad finem. Quem modum obseruat Architectus, iaciens priùs fundamentum, erigens deinde parietes, & tandem constituens tectum; ad quod sequitur secura, & commoda habitatio, quæ est finis.

1152 At verò Methodus resolutionis: cùm sit contraria methodo compositionis, erit contrario modo definienda, & diuidenda. Est ergo via, in qua progredimur à magis cõpositis, & posterioribus ad simpliciora, & priora. Quod consequenter alijs quatuor modis contingit. Primò, à compositioribus ad simpliciora, vt in Grammatica ab oratione ad dictiones, &c. Secundò, à minus ad magis vniuersalia, vt ab homine ad animal. Tertiò, ab effectu ad causam, vt ab eclipsi ad interpositionem terræ. Quartò, à fine ad media, vt à sanitate ad medicamenta.

Sed quęres: an in facultatibus tradendis vtendum sit methodo resolutionis, vel potius compositionis?

Resp. quòd non est necessarium in tradendis facultatibus speculatiuis procedere ordine compositionis, & in practicis resolutionis, vt aliqui opinantur; sed vtrumque ordo his, & illis inseruire potest, iuxta exigentiam nostræ facilioris cognitionis. Ratio est, quia (vt diximus) ordo doctrinę respicit nostram faciliorem cognitionem; sed multoties cõtingit, quod facilius addicimus incipiendo à compositis, & principiatis, procedendo vsque ad prima principia, & ab effectibus nobis notioribus ad causas, etiam in scientijs speculatiuis, vt ex supradictis cõstat; & multoties contingit oppositum etiam in practicis; ergo in vtriusque facultatibus iuxta exigentiam facilioris nostræ cognitionis arripere possumus vnam, vel alteram methodum. Imò contingere potest, vt plures partes eiusdem scientię totali ita sint dispositæ, vt vna procedat ordine compositio-

 sitio-

sitionis,& alia resolutionis, v.g. pars illa Philosophiæ, quæ priùs considerat mundum quantum ad compositionem, & structuram suam vnitatē, originem, & alia, deinde distinctè considerat singulas partes mundi, procedit methodo resolutiua: alia verò pars, quæ priùs considerat elementa, deinde mixtum, procedit ordine compositionis.

Qui plura vult de Methodo, seu ordine legat Complut. disp. 1. Log. quæst. vlt. Aemilium Acerbum in Quæstionibus Logicalibus, lib. 1. quæst. 10. & nostrum Clementem in suo Prodromo, tract. 3. quæst. 4. sect. 1. & 2. Et hæc sufficiant de hac quæstione, & pro tota hac disputatione, nec non de hisce quæstionibus Logicalibus. Vtinam sint ad laudem omnipotētis Dei, Iesu, Mariæ, Sancti P. N. Francisci de Paulà, nec non S. Michaelis Archangeli Protectoris Ordinis nostri Minim. Iesu, Mariæ, & omnium Sanctorum, atque Sanctarum. Amen.

Si quid dixerim, quod contradicat, vel contradicere videatur Sacrosancta Romana Ecclesia, illud annullo, & reuoco, & eius piæ correctioni me libentèr submitto.

INDEX

Librorum, Sectionum, Disputationum, & Quæstionum huius voluminis.

Sectio

Disputatio quarta, in qua breuiter soluentur præcipuæ quæstiones, quæ à Modernis exagitantur de vniuersalibus in particulari. 202

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Numerus marginalis est. A, & B. primam, & secundam columnam significant.

A

B

C

D

vt

ENS

E

F

G

H

I

INTEN-

L

M

N

O

P

Q

R

An

S

T

alius

V

Z

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

N. ſignificat numerum marginalem. L. lineam.

SIgnificat, n. 29. l. 34. ſignificaret. Onomatophœiam, n. 34. l. 2. Onomatopœiam. definiri, n. 88. l. 10. definiti. netiua, n. 201. l. 9. negatiua. conabimus, n. 272. l. 7. conabimur. obiectum, n. 338. l. 16. obiectiuum. identificatur, n. 341. l. 12. identificantur. ſubſequente, n. 384. l. 10. ſubſequentes. ſint, n. 479. l. 34. non ſint. natum, n. 535. l. 2. natura. expectantes, n. 645. l. 22. ſpectantes. perfectior, n. 648. l. 21. perfectiùs. corporea, n. 716. l. 19. incorporea. accedunt, n. 761. l. 78. accedant. in, n. 836. l. 31. in qua. per quem, n. 876. l. 6. per quod. amittens, n. 878. l. 14. admittens. aſſenſus, n. 1070. l. 53. aſſenſu. aſſentibus, n. 1071. l. 21. aſſenſibus. ſecus, n. 1100. l. 38. cæcus. ſecus, n. 1101. l. 4. cæcus.